


8
9
E
8

Opus Posthumum


R. P. F.

SEBASTIANI
DE AVENDAÑO
ORDINIS MINORUM
DE OBSERVANTIA

Prouinciæ Castellæ Prædicatoris.




SPECVLVM SPIRITVALE
De humanæ uitæ miserijs, De miris mortis effectib.⁹
et diffuse De excellentijs Purgatorij.
In Sex libros dispositum, et ad Concionatorum usum
accommodatum.
R.mo PRI. F. IOANNI MERINERO
Totius Ordinis Minorum S. Francisci
Generali Ministro.
PER. P. F. SEBASTIANVM DE AVENDAÑO
Hispanum, Concionatorem, Matritensemq; eiusdem Ordinis et instituti, Almæ Prouinciæ Castellæ filium, et in Romana Curia pro Vltramontana Familia, Secretarium.
MORS EST VITA
MORI LVCRVM
S. DIDACVS
SAC.
CLAR.
S. ELIS.
R. VNG
ROMAE. Typis Francisci Caballi. de Superiorum licentia. Anno Domini. M.D.C.XXXXII.




Reuer.^mo Patri, doctissimoq. Viro

P. F. IO. MERINERO
TOTIVS ORDINIS MIN.
MINISTRO GEN.

FR. GASPAR SANCHEZ
eiusdem Instituti in Romana Curia Procurator
generalis, & seruus.



NVMEROSVS ille Minorum Senatus (R.^me Pater) de Capite in Capitolio deliberans, vix deliberauit: nam subitò abreptus non præcipiti impetu, sed superno impulsu, supremum te membrum acclamauit. Protinus cœpit omnis Vrbis cœtus, deinde plures Orbis Vrbes tuam attollere virtutem, probare electionem, gratulari assumptioni, & venerari personam. Purpurati Patres, Regale Sacerdotium, Senatus Populusque Romanus, veluti è cœlo te delapsum, & in Tarpeio vertice exceptum, prius à Spiritu sancto delectum, quam ab hominibus electum, magnificárunt. Visa est ipsa Roma tibi fausta canere clangore tubarum, & exultationis voce. Non conti-



Reuer.[mo] Patri, doctissimoq. Viro

P. F. IO. MERINERO

TOTIVS ORDINIS MIN. MINISTRO GEN.

FR. GASPAR SANCHEZ
eiusdem Instituti in Romana Curia Procurator
generalis, & seruus.



NVMEROSVS ille Minorum Senatus (R.[me] Pater) de Capite in Capitolio deliberans, vix deliberauit: nam subitò abreptus non præcipiti impetu, sed superno impulsu, supremum te membrum acclamauit. Protinus cœpit omnis Vrbis cœtus, deinde plures Orbis Vrbes tuam attollere virtutem, probare electionem, gratulari assumptioni, & venerari personam. Purpurati Patres, Regale Sacerdotium, Senatus Populusque Romanus, veluti è cœlo te delapsum, & in Tarpeio vertice exceptum, prius à Spiritu sancto delectum, quam ab hominibus electum, magnificárunt. Visa est ipsa Roma tibi fausta canere clangore tubarum, & exultationis voce. Non conti-

cuit Academiarum apex Complutum, quod te litteras edocuit, & docentem audijt; in te sæpius gloriatum, modò triumphauit. Nec dissimulare potuit Monarcharum maxima sedes Regia Matritum, quæ nouam gloriam adepta, te in lucem dedit, & pusionem aluit. Collætata secunda tua genitrix fœlix Castellæ Prouincia, vniuersam citò Hispaniam laudis, & lætitiæ participem effecit. Sed neque hic rerum tuarum finis, R.me Pater, vltra Garamantas & Indos peruagati filij, patris sparsére famam, protulére nomen, dilatauére auctoritatem. Exinde adorauerunt Te lætabundi, qui te non nouerunt & populus, quem non cognouisti, hilari animo seruiuit tibi. En qualis & quantus in tua promotione Vrbis, & Orbis applausus! Veneratione pari vterque te colit. Et mehercule tam cumulatæ benedictionis ignarus aut liuoris morbo oppressus iudicaretur, qui à communi hac acclamatione se subtraheret. Ea propter huius operis Auctor multis tibi titulis adstrictus ingratitudinis, nedum socordiæ nœuum contrahere sibi videretur, si in tam festiua congratulatione, & solemni iubilo torpens taceret. Cœterùm manibus vacuis accedere, aut pereuntibus Te tantum salutare verbis piaculum putauit. Idcircò his folijs strenam tibi dicare, dicatam quoque perennare decreuit. Verùm hæc meditantem præpropera mors abstulit, vixque hanc informem prolem ceu moribunda parens mancam effudit, absoluendam igitur diligentiæ meæ commendauit. Quare mutilam quamprimùm integram, incultam, politam reddere curaui. Si quam pietatem redolet, si quod obsequium hæc mea cura præstat; habetur intentum: illam siquidem defuncto Amico, istud viuo Patrono exhibeo. Consecratas igitur Tibi, R.me Pater, qua soles benignitate has accipe lucubrationes; emortui viuam memoriam, viui immortale debitæ gratitudinis pignus. Et ita posthumum hunc fœtum amplectere, vt non tam doleat ereptum sibi proprium parentem, quam à te communi omnium patre se gaudeat adoptatum. Vale.



TYPOGRAPHVS BENEVOLO LECTORI SALVTEM.





RIVSQVAM libri huius elementa conſpicias, Lector humaniſſime, has breues lineas, ea, qua ſoles benignitate patienter legere digneris: quibus te monitum facere opus eſt, quot fortunæ luctamina opus hoc poſthumum contigit experiri. Poſthumum dixiſſe ſufficeret, ad tuæ pietatis ſuſcitandos affectus; vt quem poſthumum intelligis, quamquam minus cultum, benigna tamen acie conſpicere non renuas. Sed non hoc tantum infortunij didicit: ſuſtine; Patrem habuit voluntate magis, quàm valetudine valentem, ægritudine potius, quam calamo ſcribentem. Qualem igitur expectare fas eſt ingenij partum, quem aduerſante caſu obſtetricatum dignoſcis? Accedit morte intercedente mutilatum, ad integram ſtructuræ formam minimè peruenire potuiſſe; quo fit, vt partem, non totum accipias: dimidium enim vix operis tenes, quod nec teneres, benigniorem ſi auram, Poſthumum reſpicientem non habuiſſet. Amicitiæ Numini debetur, quod viuat: alioquin inuida ſors (ingeniorum partubus nouerca) ſuffocaſſet. Cæterùm ſorti ipſi quicquid imperfecti habet tribuendum. Duodecim tibi libros dare decreuerat Auctor, ſed aliud homo, aliud Deus diſpoſuit; ſextum

enim

enim nec adhuc perfecerat, cum vitæ stamina Atropos obtruncauit; e virescente ætate sublatus, ingenij penum clausit. Itaque ipsius voluntati magis debes, quàm operi. Notas marginales, Indices tàm locorum sacræ Scripturæ, quàm rerum notabilium, necnon alia plura, quæ opus haud parùm decorant, amici beneficio habes: cui etiam cordi erat Tabulam ad Conciones accommodatam adijcere, sed temporis breuitati indulgere potius, quàm tibi eo obsequendi desiderio cogitur. Vale.




RATER Gaſpar Sanchez Ordinis Minorum de Obſeruantia Lector iubilatus, Prouinciæ Caſtellæ, & Ordinis Pater, ac in Romana Curia Procurator Generalis, & Seruus. Quoniam iuxta Sacri Concilij Tridentini Decreta; & noſtri Ordinis conſtitutiones, quicumque libri, ſeu tractatus à Noſtris Religioſis compoſiti in publicum edi, typiſq. mandari nequeant, quin prius Viris eiuſdem Ordinis pari grauitate, & ſcientia præſtantiſſimis examinandi, & approbandi committantur. Idcirco librum, cui titulus eſt, Speculum ſpirituale de humanæ vitæ miſerijs, de miris mortis effectibus, & de excellentijs Purgatorij, à P. Fr. Sebaſtiano de Auendaño, Prædicatore, Prouinciæ Caſtellæ filio, & Noſtro in uria Secretario elucubratum, tenore præſentium Reuerend. admodum P. Fr. Sanctoro. Melphienſi, ſacræ Pœnitentiariæ Lateranenſis Præſidi, examinandum, atq; approbandum committimus. Dat. Romæ in Conuentu Aracœlitano, ſub noſtra manu, maioriq. Officij noſtri ſigillo. Die 10. Iulij, Anno 1641.

Fr. Gaſpar Sanchez Proc. Gen.

Librum, cui titulus, SPECVLVM SPIRITVALE, DE HVMANÆ VITÆ MISERIIS, DE MIRIS MORTIS EFFECTIBVS, ET DE EXCELLENTIIS PVRGATORII, à P. Fr. Sebaſtiano de Auendaño Prouinciæ Caſtellæ, Ordinis Minor. Regular. Obſeruantiæ S. P. N. Franciſci Concionatore, ac Theologo, Reuerendique admodum P. F. Gaſparis Sanchez eiuſdem Prouinciæ Lectoris Iubilati, & totius Ordinis Proc. Gen. à ſecretis compoſitum, ex eiuſdem R. A. P. commiſſione perlegi; nihilquè, quod ſanam doctrinam, & caſtos mores dedeceat, offendi: Immò permulta, quæ concionatoribus vſui, & profectui eſſe poſſunt, inueni. Quare typis mandari poſſe cenſeo. Datum Romæ in S. Pœnitentiaria Lateranenſi die 1. Iulij Anno 1641.

Ita cenſui F. Sanctorus de Melfi, eiuſdem Ordinis, Romanæ verò Reformatæ Prouinciæ Theologus, ac prælibatæ S. Pœnitentiariæ Lateranenſis Præſes, &c.



LIBER PRIMVS.
DE HVMANAE VITAE MISERIIS.



CAPVT PRIMVM.

Quòd in vita præſenti, quæuis magnitudo adeò tenuis, miſeraq. eſt, vt qui poſſidere velit, deſpiciat; ſiquidem cupita deperditur, & cupientes perditioni dedit.



VNDIALIVM rerum cõtemptor eximius, homo ille cœleſtis, Seraphim, inquã, humanus, parens meus D. Franciſcus, Seraphico ignitus amore, cupiens, vt præ omnibus, ſui, paupertatem diligerent, in quodam colloquio, magno feruoris affectu ſic eleganter aiebat. *Quantus eſt homo coram Deo, tantus eſt, non plus.* Quid ais, mi Seraphine? Nulla in homine apud homines magnitudo reperitur, præter illam, qua pollet apud Deũ? Ita planè. Quamuis enim diuitias accumules, ſceptra, diademata, imperia congeras, magnitudinem non addes. Tantusque rerum huiuſmodi coacervatione reputabitur homo, quantus, nec vltra, apud Deum æſtimatur. Cum igitur in vita præſenti Deus paupertatem, & humilitatem adamauerit, diuitias, altitudinemque deſpexerit; proculdubio, quiſquis apud ipſum magnus fieri exoptat, magnitudinem ipſam contemptui habeat; & tunc omnes magnitudinis numeros adimplebit. Verè enim nouus in carne protulit Seraphinus: *Quantus eſt homo coram Deo, tantus eſt, & non plus.* Nam terrena magnitudo, quantumuis accreſcat, & nouis acceſſionibus cumuletur, miſera tamen eſt; deſpiciendo poſſidetur; cumque appetitione conquiritur, euaneſcit, & appetẽtes in perditionẽ conijcit.

S. Franc. exhort. ad humilitat.

Tantus eſt homo, quantus eſt corã Deo.

Terrena magnitudo miſera.

Primam huius inſtituti probationem, mihi ſuppeditat Seraphicus parens: Dũ enim contemplatur, qua ratione Deus Populum Iſraeliticum Terræ promiſſionis acquiſitione ditaturum promiſit, dicens: *Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit:* Deuter. 11. & Ioſue cap. 1. *Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam.* Iure optimo demiratur, quòd, cum in vita præſenti fortunatiſſimos reddere inſtituat, cum omnes magnitudinis cumulos adijcere repromittat; omnia pedibus conculcanda præoſtendat. Ita

Deut. 11.
Ioſue 1.

quod bona illa, non nisi calcando, seu, quod perinde est, despiciendo, possideant. Pulchrè enim euangelicæ paupertatis amator Pater meus S. Franciscus. *Calcare* (ait) *est contemnere: Paupertas omnia calcat: ergo omnium est Regina.* Cum igitur calcare, tantundem valeat, ac despicere quicquid à pede conculcatur; Perbellè paupertas, quæ omnia calcando contemnit, omnium Regina prædicatur. Atque adeo, cum Deus suos reddere magnos, & diuitijs cumulatos statuisset, calcandi verbo cógruenter est vsus: vt tunc veros rerum omnium possessores fore præostenderet, cum ea calcando contemnerent. Quidqnid enim contemnitur, in ipso contemptn possidetur. Quicunque ergo vitę præsentis magnitudinem ambit, contemnat: quoniam qui appetit, perdit: & appetendo in perditionem præcipitatur. Hæc tamen est paupertatis prærogatiua, quæ omnium dominatrix, calcando, seu contemnendo euadit: *Paupertas omnia calcat: ergo omnium est Regina.* Vt videant possidendi artem, qui rerum mundialium possessores, fieri, desiderant, *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Calcent diuitias, pedibus magnitudinem premāt, magnique euadent, & diuites efficientur: aliter, cupiendo amittent, seque ipsos perditioni dedent.

S. Frāc. orat. pro paupertate.

Paupertas omnium Regina.

Mundialia calcādo possidentur.

Secundam probationem, à D. Antonio, Seraphici spiritus filio, mutuatam gratulor. Vitæ insidiabatur mors, ante fores consistens, donec, aperta per culpam fenestra, subintrauit, vitāq euertit, vt D. Paulus ad Rom. 5. asseuerat. *Per peccatum mors*, & illa Dei sententia contra primum parentem, sui mandati contemptorem manifestat; *In puluerem reuerteris.* Vnde peccato mors tanquam pœna irrogatur. Nunc autem D. Antonius inquirit, cur pœna propter peccatum inflicta, mors dicitur? Nonne primam experti sunt nuditatem, in peccati vindictam, & ideo vt se tegerent, arborem foliorum tegmine denudarūt? Hac enim solummodo post peccatnm molestia torquebantur. *Comedit*, inquit textus, *deditque viro suo, qui comedit.* Et statim subdit: *Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Cur ergo primam in corpore pœnam cum senserint nuditatem, quæ animæ nuditati gratiæ stola denudatæ, corresp̄ondebat, eiusmodi pœna, non nuditas, sed mors appellatur. Ante responsum sciscitor: Quid Adamum, vt culpam committeret, obcœcauit? Plane appetitio magnitudinis, qua Deus fieri cupiebat. Quid vero comedendo fuit assecutus? Tantum abest, vt quod sibi dæmon spondebat, obtinuerit; quod gratiam, qua fruebatur, amiserit. Si verò oblatam à dæmone magnitudinem, contemnendo, repudiaret: quid comparabat? gratiæ possessione frui, quam comedendo amisit. Hæc autem iactura, fraudisque detectio, vndenam prouenit? è comestione, & vnico mali morsu, dimanauit. Et mors, nō ne est carentia omnium huius vitæ felicitatum, magnitudinumque? Ita plane. Vt igitur nouerint homines omnia, quæ in vita præsenti magna existimantur, sic inania esse, & misera, vt non, nisi cum despiciuntur à nobis, possideri queant, cupita namque amittuntur, & nos perdunt, totumq; id cum, ex vnico morsu pullulauerit; egregie delicti pœna, non nuditas, sed mors, à morsu deriuata, compellatnr; vt pœna delictum in memoriam reducat, & delinquentem erudiat, nunquam melius magnitudine, quàm despiciendo fruiturum. Qui enim magna huius mūdi concupiscit, & ipsamet appetitio causa fit amittendi; & cupientem omnino perdit. Diuum meum Antonium ita loquentem reddo. *Mors est dicta à morsu primi hominis, quia vetitæ arboris pomum mordens mortem incurrit. Qui si sermonem Domini, (ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas) seruasset, mortem in æternum non gustasset. Sed quia non seruauit, mortem gustauit, & cum omni posteritate sua perijt.*

Rom. 5.

Gen. 3.

Nuditas corporalis respōdet nuditati spirituali.

Mors pœna morsus.

S. Ant. Pad. ser. Dom. 5. in passione.

Noua autem, hic quæstio, sese mihi obijcit. Nimirum: Mortis pœnam peccanti Adamo, minitatus fuit Deus; sicut Genes. 2. perhibetur. *In quocunque enim die comederis, morte morieris.* Vt quid ergo peccatum admittens, non mortem primo, sed nuditatem experitur;

Gen. 2.

tur; vt ibidem Sacer historicus enarrat? *Comedit, deditque Viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Quia verò, si mors erat culpę designata, & illa in pomi morsu constitit; (vt peroptimè ait D. Antonius, mors, à morsu deriuatur). deinde, admissa culpa; cur nuditas, vt iam dicebamus, & non mors subsequitur? Respondet Seraphicus Doctor S. Bonauentura, hoc, ita Deo disponente, prouisum, vt nuditatem primò expertus, seque tot bonis spoliatum, agnoscens, in postremum miseriarum, abiectionisque proiectus, præ dolore compunctus, dolor ille, in delicti pœnitentiam cederet, culpæ grauitatem ostenderet, & erroris cæcitatem propalaret. *Innocentiam*, inquit, *peccans perdidit, eam nunc pœnitens nudus resumat. In bono insolens fuit, nunc in malo sit patiens. Et qui tot, tantisque bonis se indignum reddidit, nunc malis dignas pœnas luat.* Ita ille: sed nobis adhuc inquirendum est: Quid plus nuditas habet, quam mors, vt non hæc, sed illa, peccanti Adamo pœna peccati foret, & deceptionis errorem, ac cæcitatem patefaceret: ideoque hanc, vt primam torturam sentiret à Deo ordinatā? Nonne sat erat ad supplicium, vt morte plecteretur? Ita quidē. Quare ergo mors differtur, & nuditatis pœna statim iniungitur? Dicam: Si, vt vitæ huius bonis quispiam fruatur, vt illa despiciat necesse est; siquidem appetita amittuntur, & eos qui appetunt, in perditionem pręcipitant: Cum Adā, de vetito malo comedens, nouis potiri felicitatibus procurabat: pro his nuditatem, vt primam delicti pœnam, reperit; vt agnoscat, quod noua cupiendo bona, non solum ruinæ præcipitium incurrit, mortem pro culpa statutam promeritus, sed insuper, appetita perdidit bona, pauper, & nudus remanens: rebus omnibus (quarū ingens copia suppetebat) spoliatus, miram assecutus deceptionis eruditionem, quæ peccanti aurem vellebat, identidem inclamans: quod, vt vitæ felicitates quisquam potiatur, vt illas despiciat, necessum habet: Siquidem cupita perduntur, & cupientes in ruinam propellunt. *Innocentiam peccans perdidit, eam nunc pœnitens nudus resumat. In bono insolens fuit, nunc in malo sit patiens; & qui tot, tantisque bonis se indignum reddidit, nunc malis dignas pœnas luat.*

Nuditatis, & amissionis bonorū dolor prima delicti pœna.

S. Bonau. ser. Dom. 1. post Pasch. par. 1.

Ideoque, pergit adhuc Antonij lingua (audacter dico) Seraphicis spiritibus, si fas esset inuidenda. Hieremiæ Populo Israelitico, olim prædicaturo. Deus loquebatur, vtque miserum ipsius statum, in quem post culpam deuenerat, palam faceret, ita ait: *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius.* Mirum sanè videtur, & intellectu difficile, quod arbor pulchritudine, amœnitate, fructuum vbertate commendabilis, ad vocis humanæ sonitum, ignem conciperet, flammisque combusta pulchritudinem, amœnitatem, vbertatem repente deperderet. Quod si vox illa in ignem conuersa, potuit tot bona, tam breui flammis dedere: mirabilius adhuc est. Quis enim vocem humanam in ignem conuerti posse, vnquam audiuit? Cæterùm metaphoricè dictum est, & cum D. Antonio allegoricè explicandum. Oliua hæc, naturam designat humanam, quæ ante culpam in agro Damasceno fuit creata: deinde in paradisum translata, iustitiæ originalis pulchritudine efflorebat: cæterum auscultata dæmonis voce, quæ instar ignis omnia deuorauit, gratiam, & iustitiæ fructum amisit. *Oliua est humana natura, quæ ante peccatum fuit oliua in agro Damasceno creata, sed in paradiso voluptatis (vt ita dicam) plantata, vber, idest fertilis in gratuitis, pulchra in naturalibus, fructifera in delicijs, speciosa in dotibus; sed, heu, ad vocem loquelæ grandis (scilicet, diabolicæ suggestionis, grandia promittentis: eritis sicut dij) ignis vana gloria, & auaritiæ exarsit in ea, & sic combusta sunt fruteta eius, idest, omnis posteritas ipsius.* Hæc ille: sed nunc inquiro: fuerit certe vox illa in ignem conuersa, qua ratione fieri poterat; vt omnem illius oliuę pulchritudinem absumeret, quin aliquid superesset? Quod si tantum potuit, vt illud inustum reliquerit, videndum est, in quo periculum

Ierem. 11.

Natura humana vnico dæmonis afflatu labefactata.

S. Ant. Pad. serm. Dom. 5. Pasc.

conſtitit, vt alij præcauentes effugiant. Cernite quiſnam ignis iſte extiterit, & quo pacto euitandus ſit, & difficultatẽ enodandam capietis. *Ignis*, inquit Antonius, *Vanæ gloriæ, & auaritiæ exarſit in ea.* Perbelle diſpoſitum. Quoniam ſi amplior vitæ huius magnitudo adeo futilis, & inanitate affecta eſt, vt vſque ad ſui poſſeſſionem contemptum exigat; appetita namque perditur, & appetentes in perditionem præcipitat. Vnde cum hæc oliua, hominem dico; tot dotibus, & prærogatiuis, quibus fuerat adornatus minime cõtentus: hinc tranſijt; & aliarum rerum cupiditatibus cœpit agitari, maiora appetens, quam par eſſet. Non ſolum quæ deſiderat, non aſſequetur, quoniam non deſiderando, ſed contemnendo acquiruntur, & cum poſſidentur, nos perdunt, & in perditionem abeunt. *Et ſic combuſta ſunt fruteta eius, ideſt, omnis poſteritas ipſius:*

Ignis vanæ gloriæ naturam humanã exarſit.

Addo quod ſolito acumine diſcuſſit Scotus; nimirum, quod cum Hebræorum populo lex danda foret, præcepit Deus, vt in lapideis tabulis ſcriberetur. *Reuerſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonij, manu Dei ſcriptas vtraque parte, & factas opere Domini.* Cur quæſo vilem adeo materiam Deus elegit, quam (ipſius digito dum ſcriberet contingendam) pretioſiſſimam fore oportebat? Reſpondet egregie Subtilis Doctor, Tabulas illas propterea lapideas extitiſſe, quia quidquid in petra exciditur, difficulter aboletur, & volebat Deus, vt præcepta ibi ſcripta permaneret, nec vnquam e fidelium memoria exciderent. *Item*, inquit, *fuerant lapidea, vt nunquam de tua memoria deleantur; quod enim in lapide ſculpitur non de facili deletur.* Iterum rogo. Nonne lex illa a Deo data erat? Verũ eſt. Non etiam a Moyſe ex Dei parte fuerat intimata? Ita quidem. Vt igitur lex illa obſeruaretur, & ſemper in memoria reſideret; ad quid neceſſe fuit, vt in tabulis lapideis ſculperetur? Quid in vita præſenti inueniri poteſt, quod, ob ſui fruitionem, ad deſerendum Deum, homines compellat? Quæ dignitas, aut magnitudo tantæ valet magnitudini exequari? Nulla prorſus. Superuacaneum ergo fuit legem tabulis incidere! Abſit; quoniam ita praua eſt hominis conditio, vt cum amplior mundi huius magnitudo, tam inanis, ac miſera ſit, quod ad ſui poſſeſſionem cõtemni debeat, ſiquidem cupita deperditur, & cupientes perdit. Nihilominus propter humanas commoditates Dei legẽ, & animæ ſalutem contemptui habet, atque amittendi periculo exponit.

Exod. 32.

Lex in lapide ne memoria excidat.

Scot. ſerm. 3 de temp.

Fallar, niſi hoc hominum ingenium mihi probet, illa ſcripturæ conteſtatio in actis Apoſtolorũ: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* At hi Deum contemnunt ne hominem amittant; vtque terrena bona conquirant, cæleſtia perdere non verentur: corpus hic delicijs tractant, quamuis poſtea Tartari incẽdijs anima crucietur. Quod quam ſtultum ſit, carpit egregie Subtilis Doctor. *Magna*, inquit, *ſtultitia eſt, quod homo ne offendat hominem mortalem, potius vult offendere Deum immortalem: ne perdat bona temporalia, vult perdere æterna: ne lædatur in corpore, occidit ſeipſum in anima.* Sed contra hoc, Auſcultanda eſt illa Chriſti apud Matthæum admonitio. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Et quam male à nobis obſeruetur, non ſine pudore conſiderandũ. Siquidem ob tenuiſſimam commoditatem, feſtum violatur; ob leuem noxam Proximus occiditur; & plus operæ in promerenda hominum, quam Dei gratia collocatur. *O Deus, quanta miſeria eſt in hoc mundo! Qui ſeruiunt Dominis terrenis, ſiue militibus, ſiue ruſticis, pro quinque, vel ſex ſolidis ad annum, in omnibus obediunt eis: ſurgunt in nocte, ambulant in hyeme, ſub pluuia, niue, vento, currunt per vias lubricas, periculoſas, in fame, ſiti, frigore, æſtu. Hæc pro vili pretio; & nos miſeri ſumus pigri ad ſeruiendum Creatori noſtro, & eius mandata adimplere, qui pro nobis in carne aſſumpta, amplius quam triginta annis, multa incommoda ſuſtinuit, & pro nobis factus eſt obediens vſque ad mortem, & promiſit nobis præmia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt.* Quid autem homines adigit, vt Deum deſerant, hominem quærant? lucra corporis ambiant, animæ detrimentum ne ſentiant quidem? Vilis certe commoditas.

Act. 5.

Homo ne terrena amittat, Deũ negligit.

Scot. vbi ſup

Mat. 20.

Scot. vbi ſup.

Vile cómodum magis alicit homines quam cælestia.

tas. *Pro quinque, vel sex solidis ad annũ.* Cum ergo nouerint homines, quamuis vitæ huius magnitudinem, ita futilem, & abiectã esse, vt ipsam oporteat ab eo contemni, qui possidere desiderat: attamen vitæ commoda, & lucra, tam ardenter inhiat, vt Dei præcepta, legesque posthabeat, & obliuiscatur. Iure optimo ad memoriæ, & obseruationis remedium, Deus legem tulit, & vilem materiam non dedignatus, in lapideis tabulis digito suo sculpendo exarauit. *Item fuerunt lapideæ, vt de tua memoria nunquam deleantur. Quod enim in lapide sculpitur, non de facili deletur.*

Illustranda est, heu, de hominis conditione propositio, pulcherrimo, S. Bonauenturæ cogitatu, qui illam Dei comminationem ad Adamum factam, ne de arbore vetita comederet, expẽdens.

Gen. 2.

In quoqunq; die comederis, morte morieris. Iure optimo demiratur, quod cum mortem antea fuerit minitatus, postquam verò præceptum de non comedendo violauit, non illico mortis pœnam irrogauit, sed a paradiso iussit exulare, & proprio labore viuere.

Gen. 3.

Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: Et statim: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* In quo non indulgentia visus, sed pœnam visus est intulisse grauiorem; acerbius enim fuit laboris supplicium, cui quandiu viueret addictus, victum sibi pararet ad vitam, quam si statim mortem pateretur. *Principio enim*, ait S. Bonauentura, *terram si non colas, non profert aptos fructus, & bonas fruges, quibus vescamur.*

Bonau. serm. 10. post Pent. introd. spirit.

Labor vitæ morti adæquatur.

Vnde videtur, quod labor impositus mortis supplicio adæquari potuerit, & tantundem valuit, quod damnaretur ad laborandum, quam si statim vita priuaretur, vt enim delicti pœnam laborando penderet, cum vita relinquitur. Tostati verba sunt: *Finis ergo eiectionis Adæ fuit, vt interea lueret pœnas debitas sceleri suo, cum tota posteritate, donec rediret spiritus eius ad Deum, qui fecit illum, per mortis resolutionem.* Eijcitur itaque, vt criminis pœnas luat. At cum mors pro pœna fuerit designata: dum pro morte labor iniungitur, planum fit, mortem, & laborem æquales esse. Et

Tostat. in Genes. 24.

ideo tantundem fuisse mortis damnari, quam laboris. Quod si ita est: cur qui e paradiso expellitur, (sicut notat Abulensis) non statim, comedendi reus, occiditur, sed ad laborem reseruatur? Respondet Seraphicus Doctor. *Adde quod dum voluptatibus obtemperatur, augescit: & labor: neque enim sine opere, & magno negotio, ea quæ voluptatem afferunt, comparantur.*

S. Bonau. vbi sup.

Mundialia non sine labore comparantur.

In quo igitur, stetit primi hominis delictum? Plane, quia vitæ præsẽtis magnitudinem concupiuit: cum tamen huiusmodi bona adeo misera sint, vt ad sui possessionem contemni oporteat; vnde cupita amittuntur, & cupientes perdunt. At vero, Adam perditis paradisi bonis, vbi nam spem suam reponere instituit? Absque dubio in vita, quæ supererat, quæque in mundo perfrui meditabatur. Quid igitur Deus? Nolo, inquit, vt moriatur Adam, sed labor in delicti pœnam ei proficiat, quidquid enim magnitudinis & felicitatis, laborando acquiret: labor iste in celsitudinis fastigio consistenti; pro remedio erit siquidem, totum id, mediante pœna, culpæ suæ addita, fuit consecutus. Et subinde agnosceret, ampliorem huius vitę magnitudinem, adeo miseriam esse, vt despicienda sit, quò possideatur: ipsam enim appetere, perdere est, dumque appetitur, suos appetitores euertit. Quapropter, Deus loco mortis, laborem Adamo imposuit, in quo de remedio, eruditioneque prouidit. Iterum S. Bonauentura: *Adde, quod dum voluptatibus obtemperatur, augescit & labor; neque enim sine opere, & magno negotio, ea, quæ voluptatem afferunt, comparantur.*

Diui Bernardini Senensis clausulam appono, qui aduertens Diuitem illum, cuius meminit S. Lucas, cum pręsumebat minus, mortis sententiam audijsse. Quid ille? *Cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Cæterum inter hanc frugum vbertatẽ, genio indulgere, seq; deliciosius tractare meditabatur. *Dicã*, inquit, *animæ meæ: Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos, comede, bibe, & epulare.* At miserum sua lusit opinatio: nam, & bona quæ possidebat, & vitam, quam fore diuturnam sperabat, amisit.

Luc. 12.

Di-

Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. Et ſtatim: *Quæ autem paraſti, cuius erunt?* Quid de tanta fiet opulentia? cui hanc relinques magnitudinem? In cuius poſſeſſionem bona deuenient, quæ tam ardenti ſtudio quæſijſti? Non tamen hic ſiſtet dãnum, quia vltra hæc, etiam animam perdes. Sic enim ſtultum arguendo fatur S. Bernardinus. *Imo tu qui paraſti, cuius eris?* Cur autem hic non ſolum res ſuas, magnitudinem totam, opulentãque amiſit, ſed inſuper animæ damnationem ſubijt? ſtricte præſtrinxit Bernardinus interrogans: *Imo tu qui paraſti cuius eris?* Quaſi dicat. O ſtulte? Si noueras omnem vitæ huius magnitudinẽ adeo miſeram eſſe, vt ad ſui poſſeſſionẽ contemni oporteat, ſiquidem appetendo amittitur, & appetentem perdit, cur tam ardenti flagrabas ſtudio poſſidendi? Cur cupiditati metas non imponebas, ſed domi congregandis frugibus horrea, & in animo ad cupiendum cordis ſpatia dilatabas? Incautum nimis & improuidum capit dementia? qui de frugibus cogitans, nihil de te ipſo quid faciendum eſſet, aut in cuius poſſeſſionem venturus cogitabas. Taces, & obtumeſcis? Planè filius eris perditionis: Iam te Tartari ſupplicia prement. Iam in Plutonia domo tibi ſtatio prępenitur. Dauidem auſculta, qui tuo nomine illi interrogationi (Cuius eris) reſpondens, ita loquitur: *Pericula inferni inuenerunt me.* Cum in vita præſenti amplius deliciari ſperabam, Tartari flammis mancipatus diſcrucior. Proh, quam male perditus abis improuidè! non vnum, ſed plura te pericula expectant, nec quælibet, ſed inferni pericula. Et meritò: qui enim vitæ fœlicitatis, & opulentiã appetit, miſeriam cupit, non magnitudinem, & hæc non poſſidendo, ſed deſpiciendo acquiritur; qui contemnit, habet; qui deſpicit, poſſidet; qui deſiderat, perdit; Et ſe ipſum perditioni dedit. Quid inter hæc agitis ò ſtulti vitæ amatores? Cum enim diu vos victuros eſſe exiſtimabitis, repente mors inuadet, & incautos in inferni puteum pręcipitabit. Reſipiſcite aliquando, & illam S. Bernardini Senenſis de vitæ huius fragilitate, & fallacitate exclamationem penditote. *O vita præſens quam multos decipis: quæ dum cognoſceris, nihil es: cum videris, vmbra es: cum exaltaris fumus es: inſipientibus dulcis es: ſapientibus vero amara es. Qui te quærunt, non te cognoſcunt, & qui te cognoſcunt, non te quærunt: qui te fugiant, ipſi te intelligunt. Vera non eſt via, quam tu oſtendis: fugitiua eſt velut ſomnium. Alijs oſtendis te longam, ut perdas in fine: alijs breuem, vt dum pœnitere volunt, non permittas: alijs largam, vt faciant quæcunque volunt: alijs anguſtam, vt non faciant bonum: alijs triſtem, vt non conſolentur de bono. Hæc ſunt duodecim pericula, de quibus Pſalmus in perſona huiuſmodi peccatoris, ait: Pericula inferni inuenerunt me.* Hactenus ille. Quæ incautis vitæ huius amatores aſſidua meditatione neceſſum eſſet recolere. Vt fallacem deſpicerent, & ne falli poſſent, de remedio prouiderent, & vanæ glorię, aut auaritiæ flammis ardere nõ ſuſtinerent. Ignis enim iactantiæ, & cupiditatis faciebus ſerpit, & omnem arboris noſtræ viriditatem abſumit. *Ignis vanæ gloriæ, & auaritiæ exarſit.* Pręterea illud altè defixum in corde retinerent, quod a Parente meo Franciſco verè dictum: *Quantus eſt homo coram Deo, tantus eſt, & non amplius.* Quo fiet, vt veram diteſcendi rationem aſſequantur, diuitias nimirum contemnentes. Ipſe namq; rerum omnium cõtemptus certiſſima eſt earum poſſeſſio: qui enim diuitias, magnitudinem, opulentiam contemptui habet, & calcat, regali dominatu omnium poſſeſſor efficitur: Etenim *Calcare eſt contemnere: paupertas omnia calcat: ergo omnium eſt Regina.*

S. Bern. Sen. ſer. 2. poſt Do. 2. quad. ar. 2. cap. 4.

Pſal. 114.

Miſeriã vult qui fęlicitatem cupit in hac vita.

S. Bern. Sen. ſer. 4. poſt 1. Dom. cap. 4.

Vera diteſcendi ars, diuitiarũ contemptus.

Quia felicius contemnendo poſſidet, quam habendo perfruitur: amittendi periculo, non ſubiacet, & ſeipſam per contemptum à perditione eximit.





CAPVT II.

Quod nullum in hac Vita sit bonum, cuius nisi bonus sit vsus, in malum non conuertatur; Possessores suos in eo ipso pœna distorquens, in quo gloriæ spem repositam habebant.



Solertissimus difficultatum indagator, & acutissimus pariter innodator Scotus, circa secundum Christi in Orbem aduentum scrutatur, cur tunc diuinam ostentans potentiam homo potius apparare velit quam Deus: vt cernere est apud Matthæum 25. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua:* Et D. Luc. 21. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate*. En age, in eo spectaculo hominem se ostentabit, an Deum, vel Deus pariter, & homo cōparebit? Plane Christi humanitas Diuinitatis fulgoribus illustrata, diuinitatem, quæ antea latebat in homine quamdiu inter homines vixit clarissima visione demonstrabit: Eo tamen discrimine, quod iusti illius fruitione exultabunt, & reprobi eandem amittendo torquebuntur. Quod enim illis inseruit ad præmium, istis acriter in cruciatum. *Itaque*, ait, *omnes eum videbunt, non solùm in forma humanitatis, sed etiā diuinitatis; vt gaudeant iusti, Reprobi autem videbūt eum in forma humanitatis, secundum Isidorum, in forma, in qua iudicaturus est, videbunt eum mali; vt doleant*. Sed iam inquiro: qua de causa cū torquere destinat peccatores, solam ostendit humanitatem, in cuius conspectu cruciatus eorum primitias dedicat? Nonne Christi diuinitas illa est, quæ omnem ei confert celsitudinem? Quis neget? Secundū hanc ignis omnia deuorantis potentiam habet, iuxta illud, *Deus noster ignis consumens est*. Cum ergo vult rigorem exhibere, humanitatem occultet, & diuinitatem ostendat? Cæterum (authore Isidoro) ait Subtilis Doctor, vt rigidus, seuerusque appareat, homo videri vult, quia quidquid in eo iudicio formidandum est, ab humanitate prouenit. *Quāuis Christus sit benignus secundum veritatem, tamen apparebit terribilis reprobis: in aspectu enim eius mali multum confundentur*. Quisnam autem aspectus est iste, qui talem reprobis confusionem parit? Reprobi autem videbunt eum in forma humanitatis. Quid autem habet Christi humanitas, vt sic appareat formidabilis? in quo districtæ adeo seueritatis rigor positus est? In Christi humanitate omnem spem suam homines collocauerant, in hac Dominus placabilē se, mansuetum, humilemque demonstrauit. Etenim, sicut ait Scotus, *In primo aduentu venit cum humilitate: Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Iacuit in præsepio. Inuenietis infantem pannis inuolutum positum in præsepio*. Mirum igitur est quòd inhumanitate, in qua gratiam, & benignitatem senserant, nunc rigorem, & terribilitatem experiantur? At videndum in quo loco humanitatis beneficia acceperunt? Nonne in vita præsenti? Ita quidem. Hic Dei amorem erga ipsos, & benignitatem contemplantes plus quam par erat fidere cœperunt, opera negligētes; quo factum est, vt operandi obliti, & peccatis oneratos, mors interceperit. Vt igitur nouerint, quod huius vitæ bona, cum illis non benè vtimur, in mala conuertuntur, & possessores suos in eodem pœna afficiunt, in quo antea spe gloriç lętabantur: Vnde si in Christi humanitate spem gloriæ repositam habebant, quia tamen male vsi sunt tanto bono iure optimos ingens in eo malum experiuntur; ideoque, dum torquere intendit, nō Deum, sed hominem se exhibet. *Reprobi autem videbunt eum in forma humanitatis, in forma in qua iudicaturus est, videbunt eum mali, vt doleant*.

Pergit adhuc Subtilis Doctor, & acumine solito, perscrutatur, quod vterque Euangelista aduentum Christi, in quo reprobis se exhibiturus est formidabilem, magna cum maiestate futurū contestetur. *Tunc sedebit super sedem maie-*

Matt. 25.

Luc. 21.

Christi Iudicis diuinitas, vt iustos lætificet, reos verò torqueat ostendetur.

Scot. serm. 1 de temp.

Deut. 4.

Quidquid in Christo formidandum hac ab humanitate.

D. Isid. apud Scotum.

Scot. vbi sup. Isa. 9. Luc. 2.

Peccatores inde pœnā trahunt, vnde spem gloriæ alliciebant.

Matt. 25.

maieſtatis ſuæ: ait Matthæus cap. 25. Et Lucas 21. in nube, tanquam in throno ſeſſurum deſcribit. *Tunc videbunt filiū hominis venientem in nube, cum poteſtate magna, & maieſtate.* Subſcripſit poſtea Ioannes Apocalipſis, *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus*. At ſi terribilem ſe, & formidandum in hoc aduentu oſtētare decreuit, & ideo cum poteſtate veniens, & maieſtate deſcribitur: Quare ad oſtentationem maieſtatis nubem delegit, quæ pro Throno deſeruiat? Quare ſi elementorum materiam volebat, ignem, in quo ingens terror eſt, non adaptauit? Cur item ſolares radios non adhibuit, qui illius maieſtatis conſpectum ſplendidiorem claritate ſua reddere potuiſſent, ſicuti ſpoponderat, ſed nubem eligit, extra terrenis vaporibus coaleſcentem, vnde tenuis aure flagello in pluuiam diſſoluitur, quo reſpexit, S. Ambroſius in Luc. lib. 10. dicens: *Et quomodo in ſole poſuit tabernaculum ſuum, ſi pluuialis erit aduentus eius?* Adde quod hæc nubes (iuxta naturæ ordinem) adeſſe tunc temporis minime poterat. Vnde miraculosè conditā pro Throno maieſtatis credendum eſt, quia ceſſante cœlorum motu, ceſſabit pariter nubium generatio. Ita cenſuit, ex ſententia F. Angeli de Pace, Didacus Stella in Lucam. *Porrò, ait, hæc nubes non erit naturalis: nam in momento reſurrectionis, motus cœli ceſſabunt; Vnde vapores eleuari non poterunt; Quare ſupernaturalis erit, & credimus condenſari virtute diuina, & ſupernaturali.* Nec dubium eſt, quod pro amplificanda ſui aduentus maieſtate, nubē de nouo creaue rit. Stellæ verba ſunt. *Vt virtus diuina filij Dei euidentius appareat, & maiori ſit ſpectantibus admirationi*, ſic enim prædixerat: *Et thronus meus in columna nubis*. Quod F. Angelo tantumdem eſt ac ſi diceret: *Iudicij ſedes, & iudicium meum, velut in nubis potentia*. Ex quo incredibilem venientis maieſtatem terrore coniunctam, infert Scotus: *Ecce*, inquit, *in quanta maieſtate veniet, quia in nubibus cum Sanctis omnibus ſedebit in aera*. Cæterum non vacat myſterio, quod ad terroris, & maieſtatis demonſtrationem, nubem adhibere velit. *Iudicium meum, velut in nubis potentia*. Nubes enim diuinorum beneficiorum ſignificatio quædam eſt: vt autem oſtendat, quæ hominibus impertitur, ſuam magnitudinem in nube conſtituit. Do Angelum ita loquentem. *Vt enim in nubibus ros, pluuia, nix, & huiuſmodi, quibus terrena creatura iuuatur, ita magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.* Hinc eſt, vt aſcendentem in cœlum nubes oppoſita ab adſtantium conſpectu eripuerit, quo firma in ipſis promiſſionum ſpes remaneret. Et cum hæc dixiſſet, *videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Ergo vt noſcant homines, quod dum vitæ huius felicitates in nube promittuntur, quicunque illis malè vtantur, pro gloria, pœnam obtinebunt; & qui in nube ſpem collocauerant, ex eadem meritas dānationis pœnas reportent. Vt enim terreat, & terrēdo torqueat, quos male tractata ſpes feſellerat, ad iudicium in nube ſe aduenturum pollicetur. *Ecce veniet in nubibus, & videbit omnis caro, & qui eum pupugerunt, tunc plangent ſuper eum omnes tribus terræ*. Quo loco aduertere iubet Scotus, dicens: *Attende, & pondera verba: Ecce*, inquit, *veniet in nubibus. Vbi innuitur, quod magna maieſtate veniet, quia nubes ſubſeruiunt ei: ſicut enim in nubibus aſcendit: ſic in nubibus deſcēdet. Actor. 1. Sic veniet, quēadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.*

Addo ex Abulenſi, rem minimè vulgarem: Omnes anguſtiæ, quas ſuſtinuit Iacob, ab eo tempore inceperunt, ex quo perdidit Ioſeph, quouſque poſt annos viginti tres, de filij vita certior factus, reuixit ſpiritus eius. Hoc enim ſpatium intercurriſſe, vulgatus interpres appoſita clauſa, (multo tempore) viſus eſt expreſſiſſe. *Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore*. Quod ita verſat Toſtatus: *ideſt viginti tribus annis, quia durauit plā ctus Iacob à tempore, quo allata fuit ad eum tunica, vſquequo dictum fuit ei, quod viueret filius ſuus Ioſeph, & dominaretur in Aegypto*. Hinc conijcere fas eſt, tunicam hœdino ſanguine litam, principium dolorum Iacob extitiſſe, quod innuere videtur Benedictus Pererius. *Heu nimium crudeles*, inquit, *filij Iacob, qui ueſtem Ioſepho detractam, atque hædino*

ſan-

Luc. 21.
Apoc. 1.
S. Amb. lib. 10. in Luc.
Fr. Didacus Stell. in Luc. ap. Fr. Ang. de Pace.
Fr. Ang. de Pace vbi ſup.
Scot. vbi ſup.
Chriſtus Iudex ſedebit in nube ad terrendum.
Nubes ſignificatio diuinorū beneficiorū eſt.
Fr. Ang. de Pace vbi ſup. Pſal. 61.
Scot. ſerm. 1. de temp.
Gen. 37. Toſtat. in hūc locum.
Bened. Perer. ibi. Ver. 33.

sanguine polutam, paternis oculis ostentari fecerunt. Verum enimuero, Iosephus de Antiquitatibus (cui adhæret Philo, & Santes Pagninus) sentit, fratres Ioseph Caprum occidisse, atque eius sanguine tunicam, quam Patri ostẽderunt, infecisse. *Placuit tandem*; ait, *tunicam, qua indutus Ioseph ad eos venerat, quamque, dimittendo in puteum, detraxerant, laceratam prius, sanguine hircino inficere, atque ita patri allatam ostendere, ut à feris deuoratum putaret.* Pagnino fauet Hebraica vox *Sanghir*, quę Caprum significat. Et verbum *Ghedi*, pro hædo accipitur. Nihilominus, iuxta Gręcum (& translationem, quam apud 70. Vatablus; & D. Hieronymus amplectuntur) tenendum est cum nostra Vulgata, tunicam illam, non caprino, sed hædino sanguine fuisse maculatam. Verbum namque *Sanghir*, Caprum ęquè, & hædum significat, vt egregiè concludit Pererius. *Nostra tamen*, inquit, *lectio Latina, & Græca, & translatio, quam sequitur Vatablus, atque alij, pręter unum Pagninum, qui similiter uertit, pro hædo hircum habent, tinctam fuisse illam tunicam sanguine hædi. Et Iosepho, & Pagnino, fauere uidetur Hebræa uox* Sanghir, *quæ est hoc loco, quæ quidem uox significat hircum, ut uidere est Leuitici 4. & alijs quamplurimis locis. Hędus enim Hebraice dicitur* Ghedi; *Sed enim cum & S. Hieronymus, & Septuaginta, & alij Hebraicæ doctissimi interpretati sunt, hoc loco hædum scire conuenit; licet* Ghedi, *hædum tantummodo significet,* Sanghir, *tamen hircum quidem frequenter, sed nonnunquam, etiam hędum significet.* Itaque Ioseph fratres hędum occiderũt, & eius sanguine tunicam respergentes, fraudẽ contexerunt. Quod Vulgatus interpres cẽsuisse videtur, dum transtulit. *Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt.* Hoc posito: inquirendum est, cur hædino potius, quam alio sãguine tunicam Iosephi macularunt, vt eum a feris deuoratum, Patri mentirentur; atque adeo, primus Patris dolor, ex sanguine hędi promanauit, quem, in Parentem crudeles, occiderant? Deinde, cur fraus ea re latuit, nec a patre (quamquam propheta esset) intelligi potuit? Diuinitus ita factum monet Abulensis, vt quod olim

Ioseph. de antiquit. l. 1. Phil. ibi. S. Pagn. ibi.

Bened. Perer. 37. ver. 31. & 32.

Gen. 37.

Iacob ad gloriæ expectationem profuit: nunc in pœnã, doloremque verteretur. Quandò Iacob benedictionẽ fratri pręripuit, hędi pellem manibus circumdedit, vt vilosas Esau manus mentiretur: *Dum cibi parabantur, Rebecca consuit pelliculas in modum chirothecarum, vt aptarentur digitis, quia aliter fraus nuda patuisset.* Hæc Abulensis, vbi vides, hædum occisum, Patri pro cibo adhibitum; pelliculam, tegendę fraudi, manibus circumpositam, primam felicitatis portam Iacob apetuisse. Merito igitur alter hędus, sanguine suo, in filij tunicam effuso, primos ad pęnam aditus reserauit, vt inde doleret, vnde primum gloriandi initium fecerat. Itaque artificium illud, versum est in supplicium. At, qua meruit culpa Iacob, vt primos cruciatus hædi sanguine experiretur, qui ipsius pellicula manibus circumducta, gloriæ spem fuerat auspicatus? Fors, quia hac arte fratri benedictionem, maioratumque abstulit? Non equidem. Nam maioratum, lenticulis ad Esau venditum accipio, & cœlo prædictum, quod in Iacob possessionem venturus esset, reperio. *Maior seruiet minori.* Cæterum, cum sicut statuimus, nullum sit in hac vita bonum, quo si male vtimur, non cedat in malum, & possessores suos in eodem excruciet, in quo antea delectabantur. Quamuis Maioratus; vel cibo emptus, vel e cœlo datus, ad Iacob pertineret; dum tamen patris benedictionem artificioso, & fraudulento pellium circunductu acquisiuit, eo bono, non bene vsus deprehenditur, ideo in malum conuertitur. Quapropter, dum pro paranda benedictione hędi sanguinem effudit, & manibus pellem circundedit, postea respersa alterius hędi sanguine tunica, filium luget a feris deuoratum, & prima afflictionis, & mæroris vulnera in corde experitur. *Heu nimium crudeles filij Iacob, qui uestem Iosepho detractam, atque hædino sanguine pollutam, paternis oculis ostentari fecerunt.*

Pœna pecc[ato] sim[i]lis.

Abul. ibi. q.

Inde dolo[r] vnde glori[a]

Gen. 25.

Non tamen hic sistendum est, sed cũ Abulensi, quo pacto res processerit, solerter inuestigandum. Igitur: *Dum cibi parabantur, Rebecca consuit pelliculas in modum chirothecarum, ut aptarentur digi-*

tis, quia aliter fraus nuda patuisset. Vnde pellis, quæ ad fraudem aptabatur, retegendæ fraudi seruiebat; si enim Isaac volas manus exploraret, & pilosas deprehenderet, deceptionem aduerteret, cum nullus hominum in vola manus pilos habeat. *Adhuc*, ait Tostatus, *in pellibus hædorum poterat patere fraus, quia manus uirorum, licet a parte exteriori pilosæ sint, tamen interius in palma pilos nullos habent*. Non tamen explorauit, nec tãquam Propheta latentem agnouit deceptionem, Deo ita disponente, vt Iacob benedictionem largiretur. Iterum Tostatus: *Sed Deus direxit manum Isaac, ut solum respiceret ea, quæ extra manus, & non quæ intra*. Ergo Dei dispositio fuit, vt Iacob hac astutia, maioratus possessionem, quem antea pro lenticulis emerat, obtineret. *Esau enim*, ex D. Gregorij sententia, *primatum pro lenticula perdidit*. Ad quid ergo fraude vtitur, & astu, vt, debiti per venditionem, maioratus possessionem obtineat? cur clanclũ inuadit, & nõ patenter vsurpat? & quod magis mirere, cœlum astui fauere visum est, dum Pater externas manuum partes solummodo explorat. Totum hoc ad mysterium referendum est. Esau, sicut iam ex D. Gregorio supposuimus, primatum pro lenticula perdidit: At expendendum est, quando contigit maioratus iactura, quando nimirum, lenticulas comedit, quando patelam manibus suscepit, comedendi voluptate delibutus, vtrumque interiori manus parte contingens: nam exteriori minime poterat. Qui ergo, manus propriæ contactu, voluptatem perceperat, non immerito, alterius manus contactu, cruciatum experitur: quia hæc est bonorum huius vitæ conditio, vt inde, qui potiuntur, torqueri incipiant, vnde antea delectabantur. Esau ergo, dum lenticularum escam appetit, & comedendo delitiatur, manibus tangens; Pater eius Isaac, filij alterius manus contingens, benedictionem abstulit, & pœnam intulit: atque adeo, infelici quadam metamorphosi, bonum, quo non bene fuerat vsus, ipsi vertitur in cruciatum. Do Magnum Gregorium. *Hinc Esau primogenita amisit, quia magno æstu despicabilem cibum, idest, lenticulam concupiuit, neque cibus, sed appetitus in vitio est*. Quod enim appetit, quod in appetitu voluptatem omnem, & delectationem constituit, quod comedendo delibutur; hoc ei ad torturam, suppliciumque refertur.

Abul. ibi q. 4.

Tost. vbi sup.

D. Greg. in Gen. c. 25.

Bona hęc in de torquẽt, vnde delectant.

D. Greg. in hunc locũ Tost. vbi sup.

Mirum certe est, quod Saul in ipso Victoriarum cursu, filium suum Ionatham capite plectendum præceperit, & triumphi gloriam, crudeli filij interitu voluerit funestare. Primo Reg. 14. *Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha*. Pro quo morte punitur? Ob Dei offensam, respondet D. Ambrosius, quæ nihilo melius quam delinquentis sanguine expiatur. *Saul ex ipsa diuinitatis offensione cognouit, peccatum admissum, effusione sanguinis expiandum*. In quo tamen hæc stetit offensa ponderandum est. Pręcepit Saul vniuerso exercitui suo, dicens: *Maledictus vir qui comederit panem hodie*. At vero Ionathas, præ fame deficiens, fauum mellis comedit, & tanquam paterni mandati violator, præcipitur. *Ionathas*, ait S. Gregorius, *mortis sententiam meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus anteceßit*. At adeo grauis culpa censenda est, vt lassus, & fame stimulatus, tantillum mellis comederet, quantum sumitate virgæ corripere posset, vt propterea irremissibiliter ad capitale supplicium extrahi iuberetur? Non equidem; sed in eo comedentis stetit delictum, quod in vita præsenti obstante Patris mandato, nihil aliud, quam mellis dulcedinem gustare procurauit; & in eo felicitatem omnem, & gloriam consistere arbitratus est, & ideo morti adiudicatur, vt ibi pœnam sentiat, in quo delectationem habere destinauerat. *Ionathas mortis sententiam meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus anteceßit*.

1. Reg 14.

Dei offensa nihilo melius quã Dei sanguine expiatur. D. Amb. ser. 14. quadr.

D. Greg. ibi.

Mũdana dulcedo vetita, vtpote mortifera.

Hinc est, vt merito dixerit meus pater S. Franciscus, nullam in hoc sæculo felicitatem maiorem inueniri, quam si homines bona quęcunque possent, in cœlo, tanquam in thesauro reconderent, quin alij hoc animaduerterent. *Beatus seruus, qui thesaurizat in cælo bona, quæ sibi Dominus ostendit, & sub spe mercedis non cupit ea manifestare hominibus*. Cur tamen occultare iubet, quæ fide-

S. Franc. cap. 27. admoni. Spem mercedis in cælo ponere, beatum.

ſi detegerentur Deo gloriam, & proximis ædificationem parere potuiſſent; Conſilium Chriſti eſt apud Matthæum cap. 6. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*. Non prohibet theſaurizationem, ſed locum: & ideo, ſtatim ſubdit: *Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo*. Audiendus hoc loco Seraphicus Pater. *Hæc igitur*, inquit, *ſunt verba vitæ, & ſalutis, quæ ſi quis elegerit, & fecerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino*. Pulchre autem verba vitæ, ſalutiſque appellat, quæ bona noſtra in cæleſtibus theſauris reponere adhortantur. Cum enim terreſtria bona eius conditionis ſint, vt poſſeſſoribus conuertantur in malum, & inde eos excrucient, vnde antea deliciabantur: ſalubre eſt, vt bona cœlo reponamus, vbi fideliter cuſtodita, tali periculo minime ſubiacent, ſed poſſeſſoribus ſuis, ad ſalutem, & vitam proficiunt. Et ideo terque, quaterque felicem illum dixerim, cum Seraphico Parente meo, qui monitum Chriſti auſcultando, bona ſua clanculum, & nemine vidente in cœlo recondit. *Beatus ſeruus, qui theſaurizat in cœlo bona, quæ ſibi Dominus oſtendit, & ſub ſpe mercedis, non cupit ea manifeſtare hominibus*. In hoc enim, æternæ vitæ, felicitas conſtituta eſt. Et propterea ſubiungit: *Hæc igitur ſunt verba vitæ, & ſalutis, quæ ſi quis elegerit, & fecerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*.

Mat. 6.

S. Franc. vbi ſup.

Verba vitæ & ſalutis, qualia.

Aeternæ vitæ felicitas, in quo conſiſtat.



CAPVT III.

Quod maior vitæ miſeria ſit mortis dominio ſubiacere: ſiquidem nullum eſt vitæ indicium, quod manifeſtum non ſit mortis præſagium.



INVIDIÆ facibus agitatus, in ipſo mundi naſcẽtis exordio, Caim fraterno Abelis ſanguine, crudelis manus polluere deſtinauit, innocentemque occidere, primus fratricidij reus, vt antea conceptum de Germani occiſione conſilium exequeretur, in campum euolauit, quo vbi primum acceſſit, incautum occidit. *Dixitque Caim ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras: cumque eſſent in agro, conſurrexit Caim aduerſus Abel fratrem ſuum, & interfecit eum*. Geneſ. 4. Cæterum, inquirere fas eſt. Quiſnam ſit ager iſte, in quem Caim fratrem ſuum Abel, crudeliter occidendum, euocauit? Cum enim orbis adhuc non eſſet populatus, nec opida, aut Vrbes in eo conditæ, totus ager vocari poterat. Ad quem ergo campum educitur? Cur fratricida futurus ſuadet? *Egrediamur foras*. Videtur, ſicut cenſuit Toſtatus, quod Adam aduerſus temporum iniurias Tuguriola quædam, & Caſas humiles extruxerit, ita vt opiduli ſimilitudinem referret. Atque ex hoc loco extraxit, dicendo: *Egrediamur foras*: Cumque egreſsi fuiſſent in agro, occidit; *Secundum hoc*, ait Abulenſis, *Videtur, quod Adam, & filij ſui fecerant aliqua tuguria ſimul, in quibus manebant contra aeris intemperiem, & illa erant, quaſi Villa, vel locus populatus, & reſpectu illorum dicebantur alia loca agri, vel dicebantur eſſe foras*. Ab his igitur caſulis egredi ſuadebat Caim, & ab his in Campum Damaſcenum (iuxta Rabinorum exiſtimationem) egreſſi ſunt. Quod ſi verum habetur cur potius in agrum Damaſcenum, quam alioſum pergit, homicidium patraturus? Nonne, vt occultum eſſet delictum, ab habitatione ſeceſſit? Ita quidem ſcribit Honcala, *Cumque eſſent in agro: videlicet, quia Cain fratrem Abel in agrum ſeduxerit, vt ibi ſine teſtibus occideret*. At ſi hoc volebat: quare e Campo Damaſceno, vbi Adamus habitabat, non abſtraxit? Improuida fuit actio, ſed plena myſterio: Ibi enim, ait Abulenſis, primus homo vitæ beneficium, Deo inſpirante, ſuſcepit. *In illo enim loco Adam formatus fuerat*. Qui locus, ex Hebræis, & Origene, apud Neotericum, Campus erat Damaſcenus. *Locus in quo prima homini vita indulta eſt, fuit ager Damaſcenus*. Congrue igitur mortiinferendæ locus eligitur, in quo pri-

Gen. 4.

Abul. in hūc locum.

Rabbini, ibi.

Honcalla. ſuper Gen. 4.

Vitę exordia mortem olent.

Abul. vbi q. 24.

Hebr.
Orig. apud Men. in 1. Re Ro. 4. an. 14.

Nota. B mortis loco primum beatitatis argumentum.

ma vita inceperat: quoniam, cum nullum sit Vitæ indicium, quod apertum non sit mortis auspicium, locus moriendi, & viuendi sit idem. Et Damascenus, Ager, primum hominem ex mortis inuasione cadentem excipiat, qui primum etiam hominem, suscepto vitæ spiraculo, surgentem inspexerat; Et qui Adamo, primum viuenti, incunabula præstiterat, Abeli, primum morienti, pro feretro deseruiret; idemque esset vitæ desinentis occasus, qui fuerat incipientis exortus. Neoterici verba sunt. *Quid opus fuit ex primo viuendi incunabulo, primum efficere sepulchrum moriendi? Credo singulari prouidentia ita factum, vt maxima inter vitam, mortemque necessitudo ostenderetur. Nam vix homines viuere incipiunt, cum statim insidias a morte patiuntur.*

Vitæ limina, mortis exordia.

Proh mortalium deceptionem, qui vitam adeo fragilem adamant, in qua ipsum, quod viuunt, mori est, ac eo temporis momento, quo vitam auspicantur, ad mortem, cursu properant citatissimo; siquidem mors ipsa in vitæ primo limine constituta, illi insidiatur; vt cum incipit, statim extinguunt; quod vlterius iuuat illustrare.

Postquam Deus hominem, e terra subactum condidit, vt postea animaret, vitam spirando tribuit, sicut 2. Genes. dicitur. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ; & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Vbi ponderandum est cum Abulensi, quod in aliarum rerum creatione, solo verbo est vsus, dicendo: *fiat.* Creando autem hominem, peculiarem sollicitudinem, & manuum diligentiam, operamque adhibuit. Tantundem namque valent illa Verba. *Formauit igitur Dominus Deus hominem, hoc est, diligentius, & excellentius dispofuit materiam illam.* Deinde peculiari studio, & consilio, vitæ beneficium contulit. Quod aduertit. S. Bonauentura. *Homini, inquit, Deus omnipotens in faciem inspirans spiraculum vitæ, id profecto ea mente egit, eoque consilio, vt viueret.* Poterat equidem, vt vitam homini largiretur, dicere: *fiat:* at noluit, sed inspirando tribuit, *inspirauit.* Quæ nam huius discriminis causa fuit? Respondet acute Honcala.

Gen. 2.

Abul. ibi.

...ei Psalma ...oris diligen...a.

...Bonau. ser. ...o post Pent.

Vt hominis reparatio, cum prima ipsius molitione cohæreret. Hominem reparauit Christus moriendo, & Euangelistæ, vt mortuum testarentur dixerunt: *Spirauit,* & merito, vt notauit Abulensis, quia tandiu durat vita, quandiu respiratio perseuerat, vita enim ex spiratione, & respiratione coalescit. *Licet anima est vere spiritus, tamen scriptura voluit manifestare animam per vitam, quæ est ab anima, ipsa autem vita permanet quandiu in homine est inspiratio, & respiratio.* At vero inter hos duos terminos *inspirauit,* & *exspirauit.* Syllabam nihil præter intercedit. Probe igitur, cum secundus Adam moriendo, primi Adam ruinam reparaturus esset, & mors illa verbo vnico *exspirauit,* fuerit significata: Vitæ beneficium homini indultum, verbo, *inspirauit,* declaratur, vt inter mortem, & vitam, nihil interiacere dignoscatur. Atque adeo, nouerint homines vitæ initium, esse principium moriendi. Nam vbi primum viuere incipiunt, mors, in ipso vitæ ostio constituta, insidiatur: vnde, dum vita confertur, verbo vtitur *inspirauit,* quod mutata syllaba mortem adsignificat. Fallar, nisi Abulensis ille Canonicus, dudum citatus, hoc senserit. *Hic insuper spiritus, quamuis vnus sit in homine, quantum ad substantiam suam, eodemque, aut præsente ipso viuat, aut absente moriatur. Vnde & sublimis Euangelista, Dominum Iesum dixit tradidisse spiritum, pro eo quod est mortuum fuisse.*

Hominis molitio, & reparatio cohærent.

S. Marc. 15. S. Luc. 23.

Abul. in Gen. c. 4.

Honcal. in Gen. 2.

Ioan. 19.

In his autem ponderandum est, summopereque dolendum, quam magna sit vitæ præsentis miseria, quam homines tam impense diligunt, cum inter viuere, & mori, tam minima sit distantia, quantum est syllabæ vnius spatium. Et ideo nihil homine miserius, in quo vitæ indicium, certissimæ est mortis auspicium. Vnde a D. Hieronymo vere dictum: *Quid miserius homine, qui æterna mortis terrore prostratus, uiuendi sensum ad hoc tantum acceperat, ut periret?* Singulas hominis ætates recole, infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, virilem ætatem, senectutem, omnium transitus, acta, conditiones, consilia, fines considera, & merito sciscitaberis. *Quid miserius?* siquidem nihil in quibusli-

S. Hier. epist. 3. ad Heliod.

Homo lapsus viuendi sensum accepit ad interitum.

Quorundam eadē eſt feſtinatio ad mortem ac reſpiratio.

libet, quam ad mortem feſtinatio tepeſcit. Egregie S.Bonauentura. *Hoc ipſum*, ait, *noſtrum viuere quotidie e vita tranſire eſt : quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adoleſcentiam, adoleſcentia ad iuuentutem; iuuentus ad ſenectutem, ſenectus tranſit ad mortem*.

S. Bonau. in opu c.p. 1.l.3 c.46.

Infelix humana conditio, quæ omnem æſtimationem in vita conſtituit, quæ, vmbræ inſtar, exareſcit, & cum magis creſcit, tum propior eſt vt diſpareat, & per ſingulos ætatum gradus, ad mortem viuendo, vel potius moriendo, feſtinat. *Hoc ipſum, namque noſtrum viuere, quotidie a vita tranſire eſt*.

Noſtrum viuere vitæ tranſitus.

Adnotandum hic etiam venit, quòd in communicanda homini vita, faciem eligit; *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*; vt in eam ſpirando, hominem redderet viuentem. Quoniam, licet vita torius ſit corporis, in vultu tamen apparet euidentius, & in facie clariora ſunt viuentis argumenta, propter ſenſus, quibus adornatur. ita Philoſophatur hoc loco Honcala, dicens: *Nec adiecit in faciem, eo quod non totum corpus animet inſpirata ei mens, ſed quod humana facies bis ſenſibus ornata eſt, in quibus hominis vita elucet maxime*. Iam vero, quod facies potius eligitur ratio eſt, quam reddit acute Abulenſis. *Dicitur*, inquit, *Deus inſpiraſſe in faciem, quia in facie, magis quam in a ijs corporis partibus, anima demonſtratur, cum ibi ſint omnes quinque ſenſus, ex quorum actibus, animam intrinſecus agentem arguimus*. Hinc eſt, vt cum aliquem, an vere mortuus ſit, deprehendere volumus, ad faciem recurrimus, hanc exploramus, ex illa certæ mortis indicia deprehendimus; partes aliæ non exquiruntur, nec etiam cor, quod poſtremo emoritur, obſeruatur. Cum ergo, ſicut ſtatuimus, nullum ſit vitæ indicium, in quo non etiam mortis demonſtratio appareat: merito in faciem vita inſpiratur, ex qua mortis indicia, & argumenta colligimus, Replico Toſtatum: *Dicitur Deus inſpiraſſe in faciem: quia in facie, magis quam in alijs corporis partibus, anima demonſtratur. cum ibi ſint omnes quinque ſenſus, ex quorum actibus, animam intrinſecus agentem arguimus*.

Gen. 1.

Honcal. ibi.

Nullum eſt vitæ indicium, in quo non mortis demonſtratio apparet.

Abul. ibi.

Addo inſuper ad hunc locum, quod iuxta Hebræum, vbi noſter Vulgatus Interpres poſuit, *in faciem eius*, habetur, *inſpirauit in nares eius ſpiraculum vitæ*. Nec vacat myſterio, quod Vitam in faciem, tanquam præcipuam corporis humani partem, inſpiraturus, nares elegerit. Cum enim, ſicut ex Abulenſi retulimus, *Ipſa autem vita permanet, quam diu in homine eſt inſpiratio, & reſpiratio*. & quempiam, hac deficiente, mortuum iudicamus, & organum reſpirandi ſint nares, ſiquidem per eos, clauſo ore, reſpiramus, & ideo cum volumus reſpirationis indicium captare, ad nares recurrimus. Perbelle igitur ibi incipit vitæ indicium, vbi mortis argumentum, probatioque deſumitur; quia) vt aſtruimus) nullum eſt vitæ indicium, ex quo mortis euidentia non deſumatur. Iterum Abulenſis: *In Hebræo dicitur: Inſpirauit in nares eius, inuenies tamen animam, quaſi quemdam flatum fuiſſe, qui per nares introiſſet*. Itaque pars eadem, per quam vita, tanquam oſtium, intrauit in corpus, verſa eſt in ipſius vitæ deficientis indicium, vt vnde vita inciperet, inde mortis auſpicia deſumerentur.

Lit. Hebr.

Toſtat. in Gen. 3.

Ibi incipit vitæ indiciū. vbi mortis argumentum deſumitur.

Abul. ibi.

Appono vltimam clauſulam: vbi vulgata lectio tenet, *inſpirauit*, legunt alij, apud Cardinalem Hugonem *exſufflauit*: hoc eſt, flatu quodam, vel ſuffitu vitam contulit. Porrò, quid eſt flatus, niſi ventus, & aer, quique per nares ingreditur tenuiſſimus, & vento communicatur homini vitæ beneficium, quæ ventus quidam eſſe videtur, iuxta illud: *Quia ventus eſt vita mea*. Quaſi nihil aliud fuerit vitam, reſpirationemque indulſiſſe, quam ſi ventum, & tenuiſſimum largiretur: S. Chryſoſtomi, & Polychronij, ſententia eſt, qui pro *Ventus eſt uita uita mea*, legunt: *Spiritus eſt vita mea*. Et commentantur ſtatim: *Hoc loco, cum dicit Spiritus reſpirationem hanc, quæ ſenſu percipitur, & ſpiritum hunc, quem reſpirando ducimus, intelligit. Simile eſt illud Salomonis: Quia ſpiritus in naribus vita noſtra*. Satis, ſuperque vitæ breuitatem exaggerauerat, ventum appellans; attamen vt breuiorem oſtenderet, ſpiritum narium appellauit: quam breuitatem reſpexit interlinealis addens, Epithetum: *Quia ven-*

Aliam lic. ap. Hug. Car. ibi.

Vita Vētus.

Iob 7.

S. Io. Chriſoſ. Polychron. in Iob 7.

Gloſ. interl. n.

ventus breuis est vita mea. Iam vero D. Gregorium Nyssenum interroga quid sit ventus? & dicit: *qui nec colorem proprium, nec figuram habet*. Atque adeo, cum audis vitam homini in vento per nares inspiratam fuisse, breuissimam cogita illius durationem. Et cum respirando tenetur, spirando euanescit; (Vita spirando euanescit) sicque vitæ ortus, & eiusdem occasus, iunguntur; vt nihil medium intercurrere videatur. Quinimmo ipsius nascentis principium, sit occidentis auspicium: Cum enim, venti instar, flare incipit, repentino abscessu, euanescit: *Quia uentus breuis est uita mea*: & *hoc loco cum dicit*: *Spiritus est uita mea*, *respirationem hanc, quæ sensu percipitur, & spiritum hunc; quem respirando ducimus, intelligit. Simile est illud Salomonis. Quia spiritus in naribus uita nostra*.

CAPVT IV.

Quod vita adeo morti subijciatur, vt ipsummet nasci, moriendi causa sufficiens habeatur.



APTISSIMA est, pro argumento præsenti, illa Regij Vatis, & Gentium Doctoris, ad Thessalonicenses elocutio. Ibi enim cap. 1. de vniuscuiusque nostrum morte fatus ita habet: (1.Thes. 5.) *Dies Domini sicut in nocte, ita ueniet: cum enim dixerit pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in utero habentis*: Hæc Diuus Paulus. At Dauid quid ait? *Circumdederunt me dolores mortis*: (Psal. 17. Ps. 114.) pro quo reperitur in Chaldæo: *Dolores parturientis*, (Chald.) & alibi ait: *Dolores parturientis*. (Ps. 47.) Vterque de communi hominum morte philosophatur. Pro Diuo Paulo stat S. Thomas, (D. Thom. in hunc locum.) dicens: *Quomodo autem dies dicitur uenire in nocte? Sed sciendum, quod utrunque est, quia in die uenit, pro pter manifestationem cordium*. Porrò (Nota:) quid commune habent dies mortis, & dies natiuitatis; vt Psalmographus, & Apostolus, cum de die mortis agere instituunt, de natiuitatis die etiam loquantur? Nonne nascendi principium, & moriendi terminus inter se maximè distant? Ad quid ergo vnum alteri copulat, & de die mortis locuturus, diei natiuitatis mentionem inijcit? Causam vidit acute Tertullianus, & in hunc modum reddidit: (Tertul.) *Mutuum debitum est inter se, natiuitati, cum mortalitate: forma moriendi; causa nascendi est*. Ita enim inter se colligata sunt viuere, & mori, vt necessario morte extinguendus sit, qui nascendo vitæ lucem accepit. Ideo moriturus, quia natus: (Ideo moritur quia nati.) Probe igitur Diuus Paulus, & Dauid, natiuitatis diem cum mortis die coniunxerunt, vbi vides, eodem vocabulo mortem significari, quo vita incipiens designatur. Et bene, *Quia forma moriendi, causa nascendi est*.

Hinc iam capit excusari vetus illa Gentium consuetudo (quo ad speciem crudelis); nam (vt memorant Lorinus, & Pineda) infantes recenter editos in nuda humo reponebant. *Fuit illa ueterum Religio, ut natos pueros nullibi prius, quam in terra collocarent*. (Pined. in Iob c. 1. Lorin. in Sap. c. 7.) Vbi expendendum est, quod ritum crudelitate plenum, Religionem appellant: Multum profecto sæuitiæ, ac immanitatis videtur habere, vt tenellum infantem cui materna vbera essent admouenda, quique genitricis amplexibus, & delicatissimo Gausapis, & byssi inuolucro fouendus esset, in terram proijciant, quasi natum pœniteat, & moriturum desiderent. Religio tamen est, & ita inuiolabiliter obseruata, vt nec Regibus in hac parte pepercerint. Salomonem ausculta: *Ego natus accepi communem aerem, & insimiliter factam decidi terram*. (Sap. 7.) Nec satis fuit alijs hominibus vilissimæ conditionis adæquari, sed brutis insuper animantibus æqualem reddiderunt. Hugo Cardinalis. *Accepi communem aerem, idest, natus ueni in aerem communem omnibus, etiam animalibus*. (Hug. Card. ibi.) Cur quæso tenellula sic ætas immaniter tractatur? Cur item immanitatem hanc Religionem dicere non verentur? Respondebunt, quod Diuus Bernardus: *In terra orimur, in terra* (D. Bernard.)

mo-

morimur. Terra naſcentibus nobis incunabulum præſtat, & morientibus ſepulchrum donat; Vt ergo nouerint homines, formam naſcendi, cauſam eſſe moriendi: Natus infans, terræ datur, quaſi in ipſo vitæ veſtibulo tumulandus, qua cæremonia de vitæ breuitate admonetur, quæ ita morti ſubijcitur, vt propterea, quia natus eſt infans, ſit moriturus, nec largum viuendi tempus intercurrat, ſed inſtar tenuiſſimi flatus diſſoluetur. Iute ergo. *Fuit illa veterum religio, ut natos pueros nullibi prius quam in terra collocarent: Quia in terra orimur, in terra morimur*.

Terra naſcentibus incunabula, & ſepulchrum.

Cur Antiqui natos paruulos in terra collocabant.

Redempturus Orbem Deus ſtatuit, vt filius ſuus homo fieret, & communi cum alijs natiuitate in lucem ederetur. *Qui propter nos homines, & propter nostram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt, &c.* Cur hoc redimendo homini medium adinuenit? Non poterat hominem à diaboli ſeruitute liberari; quin noſtris miſerijs ſubijceretur? Poterat plane. Sed ex eo, quod decreto ſuo ſanciuit, vt filij vitam in generis humani redemptionem daret: neceſſe fuit, vt carnem noſtram ſuſciperet, & naſceretur: Aliter ex Diui Leonis ſententia, nulla, ob quam moreretur, cauſa exiſteret. *Nec alia fuit Dei filio cauſa naſcendi, quam ut cruci poſſet affigi*: Ergo cauſa interuenit, vt moreretur Dei filius? Ita quidem. Cur tamen affirmat Iudex: *Ego nullam inuenio in eo cauſam*. Ipſimet crucifigentes dicebant: *Nobis non licet interficere quemquam*: non enim contra eorum legem deliquiſſe repererant. Ita verſat hunc locum Diuus Chryſoſtomus. *Nobis non licet: non enim ſecundum legem noſtram peccauit*. Quod ſi cauſam iſti non inueniſſe teſtantur, cur ſcripſit Diuus Matthæus: *Poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam?* In quo redarguuntur. At videndum, quid dixerit Leo: *Nec alia fuit Dei filio cauſa naſcendi, quam ut cruci poſſit affigi*. Ideo natus eſt, vt poſſet mori; ideo vitam ſuſcepit, vt eam pro hominum ſalute moriendo largiretur. Quia tamen iuxta legem nulla erat cauſa moriendi, nec ipſis fas erat quemquam occidere: euacuaretur Redemptio, & Chriſti

Ecc°. in imb. ſid.

D. Leo Pap. ſer. 10. ſer. 10. *gius.*

Chriſtus natus ad Cruci figendum.

Io. 18.

D. Io. Chriſ. hom. 82.

Mat. 27.

mors illius pretium ſequatur, homo fiat, naſcatur, communem hanc vitam viuat, quæ ita morti ſubiaceat, vt mori neceſſe ſit, eum qui naſcendo vita fruitur. Vnde quamquam moriendi cauſam non inueniant, innocensque moriatur, non tamen ſine cauſa moritur. Et tamen cauſa non erit alia, quam, quod natus eſt, ideo moritur, & hæc eſt Diui Leonis ſententia. *Nec alia fuit Dei filio cauſa naſcendi, quam ut cruci poſſit affigi*.

Chriſtus, ſi innocens non ſine cauſa mortuus.

Nota.

Proſequamur vlterius, & forſan aliam in Chriſto moriendi cauſam inueniemus, præter eam, quæ à Diuo Leone aſſignatur. Nonne, Chriſto in cruce confixo, ſicut refert Diuus Matthæus: *Poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam, Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum?* Quod ita fuiſſe, teſtatur Druthmarus Chriſtianus; quia Romanorum conſuetudo erat, vt damnatis ad mortem cauſam apponerent, propter quam plectebantur. *Conſuetudo*, inquit, *erat apud Romanos, ut quando aliquis morti adiudicabatur, poſt omnium iudicium ſcribebatur cauſa, pro qua occidebatur, & in loco ubi plectendus erat, legebatur; Ex hac conſuetudine Pilatus iuſſit ſcribi*. Mirum tamen eſt, quod fatente Pilato Chriſti innocentiam, & dicente: *Nihil inuenio cauſæ in homine iſto*, Luc. 23. Nihilominus cauſam damnationis inſcribi præceperit. Et mirabilior adhuc eſt cauſa, quam apponit. *Hic eſt Ieſus*. Porrò quid in ſuauiſſimo Ieſu nomine Gentilis homo adinuenit, vt pro damnationis cauſa poneretur? Iam dicam: Prius tamen ſciſcitor? quando in more poſitum erat, vt infantibus nomina imponerentur? Ante natiuitatem ne: an poſtquam nati eſſent? Planè poſt natiuitatem. Et ſæpè ex partubus, ac eorum euentibus, nomina capiebant. Beniaminum appellauit Rebecca Benoni, ideſt, filius doloris, quia ipſo naſcente, mater obijt. Poſtea verò Iacob, eum dixit Beniamin, hoc eſt filius dexteræ. Sic habetur in Geneſi cap. 35. *Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, uocauit nomen filij ſui Benoni, ideſt filius doloris mei. Pater vero appellauit eum Beniamin, ideſt, filius dexteræ*. Alijs

Mat. 27.

Chriſtianus Druthm. ib

S. Luc. 23.

Gen. 35.

quorum conceptus ab Angelis prædicebantur, nomina à Parentibus fuerunt imposita. Abrahamo dictum fuit. *Habebit filium Sara vxor tua*. Gen. 18. Et de Samsone refert Iudicum Historia: *Erat autem quidam vir de Saraa, & de stirpe Dan, nomine Manue, habens vxorem sterilem, cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & absque liberis; sed concipies, & paries filium*. De nomine autem non meminit, quia à parentibus imponendum relinquebatur. Longe aliter se res habuit, in prænuntiando Christi conceptu, & partu; quia tunc Angelus Gabriel aliorum leges nequaquam obseruauit; sed partum prænuncians, & conceptum nomen, nasciture imponendum, indicauit, dicens. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*. Quod ideo fecit, vt etiam antequam conceptus esset, & natus, nomen haberet: Non enim (commentatur Diuus Gregorius in Catena) à matre vocandum ei nomen fuerat, sed à Patre, cui consubstantialis erat. *Non vtique*, ait, *tu impones vocabulum, sed ipse vocabitur: A quo? nisi à consubstantiali Genitore*. Imponitur ei tamen nomen à Patre, antequam nascatur, quia cum nasci debeat, vt moriendo genus humanum redimat, nec sine causa occidendus sit: mori autem solummodo, quia natus est, non videtur causa sufficiens moriendi apud hominum existimationem; culpam quærunt, vt perimant, sola natiuitate non certi; Christus tamen culpa erat immunis. Vt ergo mortis ipsius causa coloretur, antequam natus sit, nomen ei imponatur, & quoniam innocens moritur: quidquid in eo vitæ principium apparuit, mortis causa extitit. Nomen antequam conceptus sit, & natus, ipsi imponatur, & hoc à Pilato, tanquam moriendi causa, Crucis titulo affigatur: *Et posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est Iesus.*

Gen. 18. Iudic. 13. S. Luc. 1. S. Greg. ibi. Ex in Christo quicquid vitæ principium mortis causa.

Ergo Iesu nomen à Pilato pro causa moriendi pronunciatur: *Et posuerunt &c. Hic est Iesus*. Mirum tamen est, quod Iesum dicunt, & mortem inferre audeant, ipsius magnitudinem minime teuerit. Angelus, ad Matrem loquutus, Magnum appellauit, & Altissimi filium: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*. Nec suscepta carne imminuta est magnitudo, sed potius elata fuit (Diuo Gregorio attestante) humanitatis abiectio: *Neque carnis assumptio Deitatis derogat celsitudini, immo potius humanitatis humilitas sublimatur*. Cur igitur in nomine ita magno, & dulcedinis pleno, mortis caussam inueniunt? Repetenda iterum est Druthmati sententia. *Consuetudo erat apud Romanos, vt quando aliquis morti adiudicabatur, post omnium iudicium scribebatur causa, pro qua occidebatur, & in loco vbi plectendus erat, legebatur, & ex hac consuetudine iussit scribi*. Et notandum, quod consuetudo erat, vt legeretur causa solummodo; hi autem vlterius Cruci affigunt. *Et posuerunt super caput eius*. Quod, non sine mysterij significatione, peractum existimo; & ideo videndum, quo loco erectum erat Crucis patibulum. Porrò Origenes, tract. 35. in Matthæum, Athanasius, Basilius, Chrysostomus, & ex Latinis, Ambrosius, Augustinus, & ante omnes Tertullianus affirmant, Crucem supra Adami sepulchrum fuisse erectam.

Mat 27. S. Luc. 1. S. Greg. ibi. Druthm. Orig. tract. in 35. in Mat. Athan. de pass. & cruc. Basil. in Is. an. cap. 5. Chrys. in Io. homil. 84. S Aug. serm. 71. de temp. & 9 in Pen. S. Amb. li. 10 in Luc. Tert. l. 2. con. Marti.

Golgotha locus est capitis caluariæ quondam,
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit:
Hic medium terræ est, hic est victoria signum.
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum,
Hic hominum primum, suscepimus esse sepultum.

Supra Adami sepulchrum crux fuit erecta, quia Iesus pro redimenda hominis ibidem sepulti, culpa occiditur.

Hæc Tertulliani carmina, aperte docent, in eodem loco, & Christi Crucem, & Adami sepulchrum extitisse: cui sententiæ adhæret S. Ambrosius. *Iste crucis locus*, inquit, *vel in medio terræ, vt conspicuum omnibus, vel supra Adæ, vt Hebræi disputant, sepulturam*. Ex quo iam apparet mysterium: Crux supra Adæ sepulturam posita est, & Christus ibi, pro redimenda hominis culpa, innocens moritur; & quamquam sine culpa, non tamen sine causa. Nomen arguitur: nomen pro causa mortis adducitur. *Hic est Iesus*. Mirum est, vt in nomine, in quo, quidquid

ma-

magnitudinis, quidquid dulcedinis est, reperitur, mortis causam constituant. Dicendo enim Iesum, vitam, salutem, & bonorum omnium cumulum intelligo. Cæterum, ipsa nominis interpretatio, mortem ostendit; dictus enim Iesus, *Quia saluum faciet Populum suum à peccatis eorum*. At, quomodo saluabit moriendo? Constituatur ergo supra Adæ sepulchrum crux, & supra crucem (causa moriendi) nomen Iesus, vt quicunque legerint Iesum, & dulcedinem, magnitudinem, sublimitatem nominis recogitauerint, & ibi Adam sepultum meminerint, cum videant Christum Adami filium mori, non admirentur, quia necesse erat, vt qui carnem induit, natiuitatem alijs hominibus communem habuit, etiam moreretur. *Nec alia fuit Dei filio causa nascendi, quam vt cruci posset affigi*. Ergo cruci suffigitur, & ibi innocens moritur, non tamen sine causa: quia est *Iesus*; qui pro redimenda hominis, ibidem sepulti, culpa occiditur: ideo vitam moriendo amisit, quia eam nascendo susceperat. Ex eo enim quod per vitæ portam Mundum natus intrauit; consentaneum erat, vt ex eodem, per portas mortis, egrederetur. Vita enim humana sic morti subijcitur, vt ipsum nascendi principium, certissimæ mortis auspicium habeatur.



CAPVT V.

Quod maximum miseriæ præsentis vitæ extremum in eo situm sit, vt facilè, breuissimèque amittatur, & minus viuant, qui vita diutius sibi spondent fruituros.

Minus viuūt qui diu viuere arbitrātur



Gregie decipiuntur, qui vitæ præsentis amore flagrant, & tanto longius absunt, vt æternam possideant, quanto ardentius pro temporali conseruanda laborant, illius immemores, quamdiu huius delectatio ne capiuntur. Quam bene Seraphicus Doctor S. Bonauentura, Diui Gregorij spiritu afflatus, dixit: *Hi vitam carnis, quasi præmanentem diligunt, qui quanta sit vita sequentis æternitas, non intendunt: dumque soliditatem perennitatis non considerant: exilium patriam, tenebras lumen, cursum stationem putant*. At qua ratione vitæ amorem, velut culpabilem, damnat, cum ab ipsa natura insitum sit vitæ conseruandæ studium, nec cuilibet liceat temerè vitam prodigere?

S. Bonau. in opusc. 1. parti. 3. cap. 46.

At non sugillat moderatum vitæ amorem, sed immodicam illius sollicitudinem, qua homo omnem curam adhibet, vt viuat, illius, quod pluris interest immemor: vnde ad boni fruitionem non anhelat, siue quo magnis cruciatibus vitam transiget: Diui Augustini sententiam profero. *Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse*. Et sanè miserum valde est, vt pro vita fragili, quæ ocissimè volat, bonum nunquam interiturum relinquere: præsertim, quia temporalibus vitæ delectationibus minus fruitur, qui plus de eius possessione, consequi sperabat. Amentia isthæc est, potius quam miseria.

S. Aug. apud D. Bonau. vbi sup.

Amentia viuendi.

Quam exiguum verò sit vitæ spatium, & quam breuiter cursus illius absoluatur, Regius Vates Psalm. 89. pulchertimo metaphoræ colore depingit. *Anni nostri sicut Aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*. Certè notatu dignum est, quod cum vitam nostram araneę telam dixerit, vt faciliratem, qua amittitur, significaret (nam tela araneæ leuissimo impulsu dissoluitur): nihilominus septuaginta annos recenseat; quod viuendi spatium, non ita breue dicendum est. Verum cum in assiduo amissionis periculo versetur, & ea, qua Araneæ tela rumpitur facilitare euanescat, perinde est, ac si breuissimum foret viuendi spatium. Hinc est illa Diui Antonij Paduani interrogatio. *Quid Aranea tela fragilius? Quid vita hominis corruptibilius? quæ minima læsura, modica febricula corrumpitur*: Qua de causa,

Ps. 89.

Vita hominis, etiam multorum, annorum, breuis dicenda est.

S. Ant. de Padua ser. Dom. 5. post Pent.

etiam si vita ad septuagenarium pro-rogetur; attamen, quia homo in continuo viuit, citræ mortis periculo; & sicut Araneæ tela inopinato, vel aeris, vel cuiuslibet animalculi incursu dissipatur: ita ille cibi, aeris, caloris intemperie, vel inopinata morbi inuasione læditur, vitamque amittit, cum diutius se victurum arbitratur. Et quamuis multum studij, ad vitæ conseruationem conferat, tot tantisque offendiculis subiacet, vt non possit euadere. Quam vellem, cum D. Antonio, vt in hoc speculo, se identidem inspiceret. *In hoc speculo miser homo, cum natiuitatis suæ vultum considerat, scilicet, qualiter natus, quam fragilis, quam vilis, vel quid futurus, aliquando compunctionem, & pœnitendi voluntatem contrahit: sed quia est auditor verbi, & non factor, vani, & vacui gaudij amator: ideo statim obliuiscitur qualis fuerit.* Nisi enim memoriam abijceret, non ita perditè, vitam, mox perdendam, adamaret. At cum hæc audit, obliuione insepelit, videndo contemnit: à voluptatis lenocinio abstractus, & illectus. Demens qui vitam telæ Araneæ similem amat, quæ facillime rumpitur, vitri instar, cum splendet, tunc frangitur: & cum (vt falso cogitat) securius possidetur, repentino abscessu euanescit. *Quid Araneæ tela fragilius? quid vita hominis corruptibilius? quæ minima læsura, modica febricula corrumpitur.*

Vita hominis tela Araneæ.

S. Ant. de Pa. vbi supra.

Homo miseriæ propriæ speculator, voluntatem contrahit pœnitendi.

Demens vitæ cupidus.

Loquutus olim Christus de suo, à discipulis abscessu, siue moriturus siue in cælum ascensurus, septies apud Ioann. cap. 16. verbo: *Modicum* vsus est (vt aduertit Sanctus Antonius) *Nota, quod hic septies ponitur modicum.* Nec vacat mysterio septenaria vocis repetitio; quod vt capias, attende vitæ nostræ diffinitionem à Diuo Iacobo traditam. *Quæ est enim*, ait, *vita vestra?* (S. Antonius legit, *Nostra*) *Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Perbellè vitæ breuitatem describit, vapori æquiparans, qui modico Solis calore dissoluitur, & euanescit, & vix apparet, cum subito recedit. Cum autem vita nostra septem diebus hebdomadæ repræsentatur, & ea modica sit, & vaporis instar breuissime disparens; cumque securius retinetur, aufugit: commode breuitatem illius, instabilitatemque indicaturus, verbum, *modicum*, septies repetiuit. Meus eloquatur cum eloquentia Antonius. *Nota quod hic septies ponitur modicum, ad significandum, quod vita nostra, quæ circumuoluitur septem diebus, est modica. Vnde Iacob, vita nostra, vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*

Ioa. 16.

S. Ant. Pa. ser. Dom. 3. post Pasc.

Iacob. 4.

Vita modicus vapor, quæ cito euanescit.

Prosequitur adhuc Antonij lingua, & illam Iob sententiam ex cap. 21. versans: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*: vitæ incertitudinem, & breuitatem describit. Porrò homines, dum (moriendi immemores) vitæ huius delicijs, ac voluptatibus se dedunt, momentaneo impulsu præcipitati, in infernum detruduntur: *& in puncto*. Quid est in puncto? fors cum vita terminatur? puncta enim quasi termini quidam censentur. Aliter censuit Diuus Antonius, dicens: *Punctum à pungendo dictum, breuissimum adeo, quod interuallo careat, quod, ob incomprehensibilem breuitatem sui, in partes diuidi non possit.* Vbi hominis, & peccatoris vita depingitur, breuis instar puncti, quod indiuisibile cum sit, nec in minutissimas particulas secari potest. Deinde, propter acumen instar stimuli pungit, & vlcerat. Talis est vita peccatoris momentanea, & inquieta; vnde possessorem suum breuitate eludit, & punctione inquietat. *Punctum est vita omnis peccatoris, in qua est punctio conscientiæ, breuitas vitæ.* Quæ non potuit expressius significari, quam dicendo, similem esse puncto, quod facile extinguitur, quod minus tenet, qui tenere existimat, & acumine vlcerat, quos vitæ lenocinia delectant: Et cum *Ducunt in bonis dies suos*, in infernum repentino casu deijciuntur. Itaque punctum dixit, vt vitæ breuitatem, & conscientiæ stimulos significaret, quibus peccator laniatur, & cum longiori vita perfrui sperat, sicut punctum deletur. *Punctum est breuitas vitæ, & in puncto ad inferna descendunt.*

Iob. 21.

S. Ant. Pad. ser. 1. Dom. 3. post Pentec.

Vita instar stimuli pûgit peccatores.

Vita puncti, & ideo breuis.

Sed (proh hominum confusionem) quam pudendum est, & peccatoribus

verecundum, vt hæc non agnoscant, & dum quotidie nascentes inspiciunt; tamen ex singulorum natiuitatibus vitæ fragilitatem, & mortem ocissimè affuturam non auspicantur. Natus infans vix vitæ limen tangit, cum statim, in lacrymas abit. Nec alia, futuras vitæ infelicitates non dum experto, est plangendi causa, quam quia natus est, quasi doleat vitam possidere breuissime finiendam. Et mens adhuc tenella, sed futuri præsaga, imminentes calamitates deplorat, antequam experiatur. Hinc inhortatur S. Bonauentura, vt hæc assidua meditatione tractemus, ad vitæ reformationem maxime profutura. *Iugi*, inquit, *meditatione animum nostrum exerceamus, & consideremus miserias, & necessitates nostras, labores, & dolores; lugentes enim in hanc vitam intrauimus, cum labore viuimus, cum dolore, & timore exituri sumus.* Lugeat ergo quicunque in lucem editur, nec à fletu prohibeatur; satis superque habet, vnde fletibus dissoluatur. Vita fruitur, in qua nihil nisi dolores, & cruciatus experietur. D. Ambrosiũ auscultet, de vitæ miserijs ita differentem. *Quid nobis miserius? qui tanquam spoliati, & nudi projcimur in hanc vitam, corpore fragiles, corde lubrico, imbecillo animo; anxij ad sollicitudines, desidiosi ad labores, proni ad voluptates.* Quid ergo faciendum nobis erit? quod tot malis remedium erit adhibendum? Consulamus Diuum Bonauenturam sermone supra citato, vbi præsentaneum nobis suppeditat. *In hac vita quandiu durat, compara tibi illam, quæ semper durat: dum viuis in carne, morere mundo, vt post mortem Deo viuere incipias. Quid enim si conciderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circundat lætitia?* ita ille, ex Diuo Bernardo. Quasi dicat: Dum præsenti vita frui permittitur, sedulo curandum nobis, vt bonis operibus æternam mereamur; ac vt e mundo exeuntes, Christo viuere incipiamus, quandiu in mundo sumus, & mori debemus: nec moriendi dolor torquebit, quos æternæ iucunditatis prælibatio recreabit. Nedum quod leuis habenda iactura est huius vitæ, quam citius amittit, qui

Infantes vitæ limina lachrymis lauant.

S. Bonau. 1. p. opusc. c. 47. de miser. vita.

Mortalibus statis causæ est vnde fletibus dissoluantur.

S. Amb. de fid. resu. ap.

S. Bonau. vbi supra.

Mundo moriendum, vt deo viuamus

diutius possidere sperabat, & quandiu possidet, nihil nisi punctum habet, quo pungitur, & lancinatur, citò periturus, & quod omnem excedit miseriam, forsan gehennæ incendijs mancipandus. *Punctum est vita hominis peccatoris, in qua est punitio conscientiæ, breuitas vitæ. Et in puncto ad inferna descendunt.*

Hominem, vitæ suæ breuitatis admonuit sanctus Iob, dicens: *Breues dies hominis sunt.* Et postea, vt quanta eiusmodi dierum breuitas admoneret, adiecit: *Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur.* Proh boni superi! Vitæ lumen breuissimè sibi extinctum conqueritur, qui iuxta computationem, ab aliquibus vere factam, vsque ad ducentos, & quadraginta octo annos, vitam protraxit; nam finitis calamitatibus (sicut habetur in catena Græca) centum, & septuaginta annos vixit: cum autem desæuijt persecutio, octo supra septuaginta annos habebat, ex qua summa, prædicti quadraginta & octo anni supra ducentos coalescunt. *Vixit autem Iob centum septuaginta annos post plagam: omnes autem anni quos vixit, ducenti, & quadraginta octo.* Tandiu vitam protraxit, & adhuc de vitæ fugacitate lamentatur? Nonne centum anni, ad summum, pro vitæ termino, ab Ecclesiastico præfiguntur? *Numerus dierum hominum, vt multum centum anni:* Et qui vltra duplum vixit, quo iure conqueritur? Et quasi vitæ lumen tangens, mæretur: vitæque breuitatem accusat? *Dies mei velocius transierunt?*

At, expendere necesse est, in quo nam vitæ similitudo cum tela consistat, vt sententiæ ratio percipiatur. Ideo enim, ait Lyranus, *Comparatur vita humana telæ: quia sicut texitur addendo fila filis, sic humana vita deducitur, addendo dies diebus: & sicut perfecta tela succiditur à texente; sic humana vita à Deo de vita præsenti.* Non minus pulchre Origenes ibidem. *sicut tela filis, sic vita diebus singulis proficit: sed, quo magis crescit: ad incisionem tendit, sed & telæ festinantiam velocitas vitæ transit, quæ semper deficit, & ideo electi cor in ea non figunt.* Itaque sicut filorum accessione tela crescit, & ad finem pro-

Mali in puncto ad inferos.

Iob 14.

Iob 7.

Vita Iob fuit. 248. Caten. Græ. ibi.

Ecclesi. 18.

Liran. in Io. c. 7.

Vita hominis tela, & ideo fragilis

Orig. ibi.

perat, sic dum dies augentur, vita morti propinquior redditur: & quo plus viuimus, eo velocius ad mortem properamus; Vnde eiusmodi dies vixisse non videmur, cum eorum accessione vitam festinanter absoluimus. Iure igitur vir ille magnus inter omnes Orientales, vitæ nostræ breuitatem exaggerãdo, telæ æquiparauit: *Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur.* Breuioribus adhuc spatijs claudirur vitæ cursus, & celerius quam tela præciditur; & ideo qui viuendo moritur (esto ducentos, & vltra annos viuat) vixisse non existimatur, & tantundem erit, si cum viuere incipit, mortis falce demetatur, ac si post longa annorum spatia moreretur. Interroga, quos in adolescentia mors præripuit, cum hominum plausus, fortunæ secundantis afflatus, nomen, famam, celebritatem ipsos promittebant. Interroga, quos dierum, & annorum plenos, honoribus, ac dignitatibus cumulatos (cum splendidius radiabant) mors extinxit, quid de vitæ longitudine, breuitate, honoribus, gaudijs, dignitatibus, sentiant? & planè fatebuntur, omnia fuisse momentanea, & celerius transijsse, quam à texente tela succiditur.

Iob ubi sup.

Qui viuendo moritur, viuere non æstimatur.

Quid inter hæc vtilitatis, aut commodi, ex mortis obliuione perceperunt, qua insepulti vitam nunquam finiendam cogitabant? Sed hæc est ipsius infelicitas, vt tunc finiatur, cum magis duratura credebatur, & citius pereat, qui vita diutius frui præsumebat. Gregorij Magni sententia est, apud Hugonem? *Sicut tela filis, ita uita diebus profluit. Hanc telam ordiatur homo longam in animo suo quantum vult, sed Dominus præscendet eam, quoniam placet, & sæpe propter dispositiones, & desideria, quæ habet homo diu viuendi, citius moritur.*

Ita clauditur, cum magis duratura æstimatur.

Greg. ap Hug. Card. in Iob c. 7.

Sed quod dicendi excessum videtur inducere, vix Ezechiæ visum est balbutire; telamque relinquens, glomeri motus repetitos reflectit. *Dum adhuc ordirer succidit me*: & prophetæ oraculo paulo post se moriturum audit. Quid ait Ezechia? Nihil hucusque vixisse existimas? Etenim, si telam dicimus vitam nostram, & adhuc telam non feceras, sed tantum ordiendo incœperas, nihil plane vixisti; quinimmo nec viuere incœpisti? Quomodo igitur vocas annos, quos te recogitaturum promittis? Vitam, an mortem? vtrumque fuit, quia momentaneum illud vitæ, moriendo potius, quam viuendo absoluisti: vix tibi vitam incœpisse videbaris, cum mortem cogeris sustinere, ideoque vere dicis. *Dum adhuc ordirer succidit me.* Audiat te (Rex pijssime) quicunque vitæ fidit, & longiora sibi viuendi spatia promittit improuidus. Tela est, quæ, antequam fila filis pectinatim misceantur, & pannus fiat, in ipso ordiendi principio rumpitur. Vnde cum vitam meditatur, & amat habere latissimam, fila, mortis innasione, præciduntur. Et, *Hoc est*, monet Hugo Cardinalis, *quod valde timere debet homo procrastinans, ne cum orditur, idest, se disponit diu victurum, Dominus præscindat in momento.*

Isai 38.

Hug. Car. in Isai. 38.

Procrastinantium timor ad mortem conducit.

Cernere est, quam trepidanter, & inquiete fili glomera, in capsulis derenta, circumrotentur, dum texens, ordiendo telam, in verticillo circumagit, & quæ properantius mouentur, citius finiuntur. At, vndenam, frequens iste glomerum motus, & adeo præpropera circumrotatio, vt oculis illudere, & dum se extenuando fila dimittunt, quasi viuere videantur? Textoris manum intuere, & quo diligentius ordiendo verticillum agit, eo celerius, fili glomera ebullire, & moueri animaduertes. Eia igitur; mundus iste, capsula quædam est, multipliciter partita, in qua homines, instar fili glomerum, in capsulis detenti, non quiescunt, sed creberrimis motibus agitantur in Orbem. Quis tamen est iste, qui agitat, & quiescere non patitur? Dæmon, qui texentis instar vitæ, singulorum telam ordiendo circumagit: & qua inani gloria, qua voluptate, qua ambitione, & auaritia, varijsque cupiditatibus inquietat, & quoquo velit errantes pertrahit; quanto enim pro corpore laborant, tanto ab animæ salute deuiant, & assidua rotatione inquieti, cæli tramitem deserentes, in circuitu ambulant indeque in puteum abyssi deijciuntur. De his dixit Regius Vates: *In circuitu impij ambulant.* Quod ita versat ibi

Nota. Mundus Glomerum Capsula, in quo homines nõ quiescunt.

Psal. 11.

Theo-

Theodo. ibi.

Impij sedendo aberrant.

Theodoretus. *Impij diuina relicta via, huc, & illuc aberrant, volentes obsidere mansuetiores.*

Frequenter hoc hominibus sæculi huius vsu venit, quos Dæmon orsor telæ improbus, glomerum instar, in orbem trabit: hunc, lucri studio, quo, vt pecuniam augeat, fraudes molitur, & vsuræ incumbit: alium carnis illecebris irretit, & obcœcat, ne pericula, & præcipitia libidinis videat; alium vero ad vindictam inflammat; alium ambitione stimulat, & solicitudinis suæ effectu sæpissime defraudat: cumque inanes eua sisse, contentiones suas agnoscant, non tamen resipiscunt, & mutantur in melius, sed quotidie magis in circuitu ambulant, & viæ cælestis ignari, per perditionis abrupta, à Dæmone rapiuntur.

Peccatores diaboli Glomera, dum per varias cupiditates trahuntur.

Iterum Theodoretus. *Impij diuina relicta via, huc & illuc aberrant.* Ah quoties, dum sic aberrantes circumferuntur, mors incpina superuenit, & ambitione, auaritia, luxuria, iracundia succensos, ab his flammis, ad æternos ignes abripuit. Et tunc quid de singulorum studijs, & contentionibus factum sit, qualisue quisque remanserit interroga. Et si respondere dabitur, dicent. Quod, glomerum instar, post quam euolutum est vitæ filium, nihil præter corticis frustulum, superesse; vel ad summum (quorum vita serico stabat filo) ligni particulam, prorsus inutilem, de qua, quid futurum sit, à Christo prædictum accepimus. *Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* En illorum exitus, qui Dei viam deserentes, à Dæmone per varias cupiditates trahuntur. Quando enim earum lenocinio illecti, vitam longiorem sibi acquisisse existimabant, quando vitæ commoda augere sperabant; seque felicissimos fore ominabantur; in ipso ordiendi principio, vita præcisa est, & pro delitijs quas præsumebant, Tartari supplicijs mancipantur. Perbellè horum exitum miserum descripsit Diuus Augustinus. *Incircuitu impij ambulant: idest, ait, cupiditate temporalium, quæ septem diebus voluuntur, & non veniunt in octauum, idest, æternum.*

Impij aberrantes.

Mat. 3.

S. Aug. in Ps. 11.

Cæterum, lamentabis adeo. Ruinæ culpa, cui tribuenda est, nisi ipsismet, vitæ præsentis amatoribus? quippe cum viuendi voluptate inescati, & præsumptione decepti admoneantur, vt vitæ, tanquam multum duraturæ, ne fidant, quia repente euanescit. Nec sentiunt quidem, sed mortem longius abesse existimant, cum iam festino pede, singulorum domos pulsat. Præueniant hi considerationem hanc, ad vitam probe instituendam, velut antidotum, & nouerint vitam sibi nihil tale cogitantibus eripiendam, & cum incipere, & telam ordiri meditabantur, in ipso viuendi principio rapientur. Sin minus audiant Regem, de vitæ breuitate dicentem. *Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur.* Et quidem serius, ocyus mors sua, quemque manet: alijs ordiendo, alijs texendo tela præciditur, vnusquisque insperatò abripitur, quod est maxime timendum. *Hoc est, quod valde timere debet homo procrastinans, ne cum orditur, idest se disponit diu victurum, Dominus præscindat in momento.*

Ruinæ culpa tribuenda vitæ huius amatoribus.

Qui se credit diu viuere, cito moritur.

Iob supra.

Proderit autem homini, vt hanc vitæ deceptionem agnoscat, & bonorum, quibus capitur, fragilitatem assequatur, si consideret se ipsum, & illam Aristotelis diffinitionem hominis, crebro meditetur. *Homo temporis spolium, & fortunæ lusus.* Egregiè hominem dicit temporis spolium, quia sic temporum varietatibus, iniurijs, mutationibus, subijcitur; vt vel leui aura, calore, frigore, humiditate, & intemperie tactus, exanimetur. Quid? vere dicam. Tot sunt moriendi occasiones, & instrumenta, quot elementa, & elementorum qualitates, plurimos immoderata lætitia occidit. Testes sunt Sophocles, Dionysius, Chellen. Fabium Senatorem Romanum lactis potus, transuerso inter deglutiendum capilo, sustulit. Anachreontem vuæ acinus strangulauit. Recondo tristitiæ gladium, qui innumeros quotidie sepulturæ dedit. Iam vero insidiæ, parata venena, occulta odia, quantos proprio sanguine purpuratos, iræ, indignationique litauit. Inferior igitur res, quæ mortalium vitæ insidiantur. Quid melius dixisset Aristoteles, quam homo est tem-

Arist.

Tot moriendi causæ, & instrumenta, quot rerum qualitates, & elementa.

Homo temporis spoliū.



temporis ſpolium? Finge tibi vitæ terminum non ita breuem, ſicut ſignarunt hi, quos dudum commemorauimus, ſed tam latum quale tibi eſt votum, & viuendi cupiditas. Quæro: quid de vita iudicas? Quo vocabis nomine? ignoras? Diuinum oraculum auſculta. Et ipſa vitæ nomina pauorem iniiciunt, & ſtuporem. Eſdras 4. cap. 4. ait: *Et pertranſiuimus de ſæculo vt locuſtæ; & vita noſtra ſtupor, & pauor.* Mirum eſt, qua celeritate æſtiuo tempore tranſeunt locuſtæ, omnia deuaſtando, & ſtatim, præcipiti caſu, in terram deiiciuntur, & pereunt: ſic homines, in hoc mundo, ſicut locuſtas inſpicies; prata omnia præteruolant, voluptates omnes prælibant, aliorum ſubſtantiam deuorant, & abſumunt, ſed ſtatim, ipſis inopinantibus decedunt; alij proſternuntur in terram, & vitam, exitu miſerabili, concludunt. Ne quidquam poſt ſe, quam pauorem, & ſtuporem relinquunt. Et ipſos quid melius tunc dices? quam temporis ſpolium, & fortunæ luſum. Luſit enim cum eis fortuna, & illuſit, pilarum inſtar, in altum extulit, vt grauiori caſu præcipitaret; cum ibi ſe tenere, & viuere ſecurius promittebant. *Et hoc eſt, quod valde timere debet homo procraſtinans, ne cum orditur, ideſt, diſponit ſe diu victurum, dominus præſcindat in momento.*

[Vitæ nomina pauorem iaciunt.]

[4. Eſdr. 4.]

[Homines in hoc mundo ſicut locuſtæ, dum voluptates prælibando, cito in terram proſternuntur.]

[Homines inſtar pilæ fortunæ luſus.]

At dices: qua ratione fieri poteſt, vt Ariſtotelis ſententia in diuitibus, & ſæculi huius potentibus verum habeat? Nã ſi propterea hominem dixit temporis ſpolium, & fortunæ ludibrium, quia crebris fortunæ reflantis iactationibus quatiuntur: Diuites, & Potẽtes, quibus fortuna fauet, & quos diuitijs cumulat, nullo modo ipſius luſui, & irriſioni ſubijciuntur. Falleris tamen: quia ſimiles, dum accumulandis inbiant diuitijs, mortis falce demetuntur incauti, & temporali vita, ac omnibus bonis ſpoliati, æternam quoque amittunt. Dauidem auſculta, de eorum exitu vaticinantem. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum, in manibus ſuis.* Viros autem diuitiarum, iuxta Diui Remigij ſententiam, vocat illos, *Qui ſolam ſpem ſuam ponunt in certo diuitiarum.* At cur dormire ait, qui vigili cura, diuites fieri procurant? Cur mortuos appellat, quos in diuitiarum ſtudio viuere teſtatur? Etenim dormire idem ibi eſt, ac mori, vt ſuſtinet Lyranus. *Dormierunt dormitione mortis; ſecundum quod dicitur Ioannis 11. Lazarus amicus noſter dormit, ideſt mortuus eſt.* Cupidos itaque, vt mortuos ſignificaret, dormientes dixit, vt innueret: ſollicitudinem, omneque ſtudium, quod, in augendis theſauris conſtituunt, ipſis in interitum conuerti; & quando plus vigiles pecuniæ attendunt, à ſomno mortis occupari. Hi ergo, cum ſomno mortis premuntur; cum dormitio, quæ alijs connaturalis eſt, ipſis in interitum vertitur: Vita, in eo diuitiarum cumulo, tot vigilijs conquiſito, deficiente. Quid ergo ſupereſt? Nihil. Proh dolor! Quid ergo profuit tam ardens diteſcendi ſtudium? Quæ vtilitas, ex tot diuitijs prouixit; ſi cum neceſſaria forent, e manibus euanuerunt, & pro ſolatio, malorumque redemptione, verſæ ſunt in torturam? Nuſquam enim male parta, poſſeſſoribus ſuis, niſi ad acerbiorem, in iudicio, cruciatum profecerunt, vbi, rebus omnibus, ſe dolebat exutum. *Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis.*

[Pſ. 75.]

[Viri diuitiarum ſolam ſpem in diuitijs ponũt.]

[D. Remig. ibi.]

[Dormire aliquando idé ac mori.]

[Lyr. ibi.]

[Ioan. 11.]

[Sollicitudo congregandi exitialis.]

Expendendum eſt verbum *Nihil*; perinde namque eſt, ac ſi diceret. Diuitis, qui Deum obliti, omne ſtudium in diuitiarum acquiſitione collocauerant; cum morientur, ante ſupremi Iudicis tribunal ſiſtent, bonis operibus vacui, peccatiſque onuſti, æternis deinde cruciatibus mancipandi, & hoc eſt illud nihil quod in manibus inuenerunt; videlicet peccatum, ex mente D. Auguſtini ad illud Ioannis: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Peccatum enim, non per ipſum factum eſt, & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines, cum peccant.* Qui ergo toris mentibus aurum inhiant, ac, vt diuites ſint, nulli parcunt delinquendi occaſioni; cum mors aduenerit, diuitias amittunt, quas, ne perderent, Deum offendere non timuerunt, & pro ſolatio, damnationem culpæ debitam, inuenerunt. Ita Philoſophatur Hugo Cardinalis, de Iu-

[Ioan. 1. S. Aug. in Io. in cat. aurea.]

[Peccatum nihil, & nihil fiunt homines cum peccant.]

Iudæis locutus, qui, ne diuitias, & bona fua amitterent, Chrifto mortem intulerunt. *Nihil*, inquit, *inuenerunt viri diuitiarum in manibus fuis, quia etiam diuitias, quas habebant, diligebant, & amatas perdere timebant: ideo, ne amitterent locum, & gentem, in Chrifti mortem machinati funt: fed propter hoc, multi ex ipfis dormierunt fomnum mortis, a Romanis interfecti; & illi qui non fuerunt interfecti, fed in captiuitatem ducti: tamen quoniam mortui funt, nihil inuenerunt in manibus fuis, præter peccatum, quod comiferant. Quod benè, nihil dicitur.* Vt quid ergo in diuitijs fpem collocat, ex quibus, moriendo, nullam percipit vtilitatem? vt quid ditefcendo crimina multiplicat, quæ folum in manibus, moriendo, reperiet? oblitus, quod verè dixerit Philofophus. *Homo eft temporis fpolium, & fortunæ lufus.* Virtutibus enim fpoliatus, & criminibus refertus, fola peccata fecum deferet ad iudicium, in quo, expercitus videbit, vitam fuiffe breuiffimam, & cum diu viuere fperabat, illam amififfe: & hoc folummodò, in vita præfenti formidandum. Claudo, repetita Hugonis fententia. *Hoc eft quod valde timere debet homo, procraftinans, ne cum orditur, ideft fe difponit diu victurum, dominus præfcindat in momento.*

Hug. Card. in Pf. 75.

Nulla morienti ex diuitiis vtilitas.

CAPVT VI.



Quod qui vitæ fidit, cum minus præfumit, à morte occupatur, gloriam, quam fperabat, in pœnam commutata.



Magnifico apparatu, conuiuium, fuis præparabat clientibus. Magnus Affyriorum Rex Balthafar, nec quidquam minus, quam de vita, & imperio, ftatim amittendo cogitabat. Cæterum; dum menfæ accumbens, cibo, potuque, hilariter, indulgeret, tres digiti in pariete, contra candelabrum apparentes, mortis fententiam, & imperij euerfionem fcribunt. Vidit Barbarus, & quamquam fcripturæ fenfum non percepit, deque morte, fibi impendente, certior factus non fuerit: attamen, præfago timore, concuti cœpit, ita quod turbato vultu, genibus præ tremore labantibus, minimo minus in terram conciderit. Quod videns Regina, impenfe dilecta, vt confternatum erigeret, & pene exanimem refocillaret, fic affatur. *Rex in æternum viue: non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur.* Daniel. 5. Quafi dicat: vitam tibi precor longiffimam, ò Rex; atque vt viuas, nullis triftitiæ affectibus cor tuum obnubilari patiaris; nihil interim mœftum, & infuauè tibi in mentem veniat. Perbellè, quæ vitam optat, mæftitudinem, vitæ venenum eliminat, & vt mortem obliuifcatur admonet, quam, fortè, fcriptione illa fibi pronunciatam, veretur. Neque enim fieri poteft vt hilariter viuat, qui mortis recordatione, metuque profternitur; & qui in anguftia viuit, potius dicendus eft, quod moriendo torqueatur, quam quod hilaris viuat. Ergo folita clientibus falutatione (ait Theodotetus) exottam in corde Regis tempeftatem pacare nititur, *Rex in æternum viue: non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur; Hæc enim erat præfatio, qua fubiecti Regibus eos tunc falutabant, & ad hoc vfque tempus hic mos inualuit.*

Qui mortis recordatur hilariter viuere nequit.

Dan. 5.

Mæftitudo vitæ, venenum.

Theod. in hũ. locum.

Vt autem falutationis huiufmodi intentio, myfteriumque dignofeatur, inquirendum eft cum Diuo Ambrofio. Quæ Deo caufa fuit, vt Balthafarem fic opiparè cum fuis conuiuantem, de medio tolleret? Refpondet: propter pollutionem facrorum vaforum, quæ Pater eius e templo abftulerat, ita feuere, & irremiffibiliter damnatur. *Balthafar*, inquit, *ille Rex, qui in vafis Domini, quæ de templo Hierofolymis fuerant à Patre eius ablata, bibere cum fuis amicis, & concubinis vfurpauit, ipfa nocte Angeli manu percuffus, crudeli morte, punitus eft.* En punitionis caufa, vaforum direptio, & profanatio. Cæterum: cum Pater abftulerit, cur filius pro furto puni-

S. Amb. 1. ad Virg. Laps.

Profanatores templorum a Deo puniuntur.

nitur? An culpam patris in filio puniri? Absit: scriptum est enim. *Anima, quæ peccauit, ipsa morietur*. Ne dicatur vlterius. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*. Duplex tamen furtum hic deprehendo; alterum patris, alterum filij. Pater à templo abstulit, filius vsurpando profanus, ad bibendum vsibus aptauit. Iurè igitur morte mulctatur, cum vasa prophanis vsibus aptat. At, cur non punit, cum vasa primo vsurpauit, sed punitionem reseruat, ac differt ad noctem, in qua cum suis epulando, vasa ad potandum vinum adhibebat? *Ipsa nocte Angeli manu percussus, crudeli morte punitus est*. Mortis executorem & tempus aduerte. Angelus est, qui perimit. Nox ad pœnæ executionem eligitur. In executore supplicij, dignitatem considera. Nox eadem est, in qua sacra vasa bibendo polluit. At cur supplicium non distulit, sed in ipso mortis articulo inflexit? Planè quia tunc moriendi oblitus deliciabatur, & corporis voluptatibus largius indulgebat; vt tunc morte præuentus, disceret, quod cum plus gloriæ, & lenocinij præsumebat, acerbiores pœnas consecuturum. cumque Regina longiorem illi vitam optaret, ac vt omnes mestitudinis affectus exueret hortaretur, omnia hæc in cruciatus acerbissimos, insperato euentu, commutanda, *Rex in æternum viue: non te conturbent cogitationes tuæ: neque facies tua immutetur*. Falleris Regina, & frustra longiorem vitæ spatia comprecaris quæ, vanæ vt lætitiæ indulgeat, Regem, iam iam moriturum, commonefacis. Nam hac ipsa nocte mensæ huius lautitiem, sanguine suo funestabit. Hæc enim est præsentis vitæ conditio, vt qui in ea fidunt, cum minus præsumunt, à morte præoccupentur; & gloriæ, deliciæ, voluptates, quibus frui liberalius sperabant, in pœnam, mœrorem, cruciatum, infaustissimo fœnore, permutentur. Caue quisquis in vitę amorem is, & laxis habenis per amœna voluptatis prata curris improuidus: siste parumper, pedem refer, ac in mentem redi, & Balthasaris casum, serio perpende, qui *Ipsa nocte, Angeli manu percussus, crudeli morte punitus est*. Aliud suggero eiusdem rei exemplum, nec minus nobile contemnendæ vitæ documentum.

Mardochei mortem in mente versabat Aman, &, qua apud Regem Assuerum pollebat gratia, procurabat, vt in patibulo suspensus, interiret. Iam paratum erat suspendium, & Mardocheus ad capitale supplicium, pene erat extrahendus; cum subito (Proh inconstans Principum gratia, quam facile, vitri instar, cum magis splendes, frangeris) mutatis vicibus, Aman, pro Mardocheo, in eodem patibulo suspenditur. *Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardocheo*. Cur non clanculum occiditur? Cur Veneno non tollitur? sed in publicum, infami suspendio, moriturus extrahitur? Parcendum enim Regis priuato, & gratia, qua dudum valebat, respicienda videbatur. Nihil tamen valuit, quo minus mori cogeretur, *Itaque*, ait Iosephus, *Aman honore, quem a Rege perceperat, supra modum abusus, huiusmodi Cruce confixus est*. vt mortem sustineret: &, quam minus verebatur, supplicium fuit expertus, quod alteri præparauerat: & cum magis vitæ fidebat, occiditur. Cum Regis gratiam, fauores aulæ, delicias, authoritatem, aulicorum cultum, & alia, quibus Regum priuati coluntur, diuturniora fore sperabat, repentino casu perdidit, & pro throno suspendium, pro gloria ignominiam, pro delicijs pœnas, pro vita mortem, infeliciter fuit consecutus. Demens, qui vitæ huius conditionem satis notam, non agnouit; insidiatrix enim est: illos, qui plus ei fidunt illudit, & cum securior manere creditur, euanescit; duplicatoque pœnarum censu, speratam gloriam commutat. Data sibi potestate, abutebatur Aman Regis gratia, & fauore superbiens, supra mensuram extollebatur, & impendentem suspendij mortem, minime præsumebat: sed ideo inopino casu ruit, & patibulum, quod alteri parauerat, meritissimo sustinuit. *Itaque Aman honore, quem a Rege perceperat supra modum abusus, huiusmodi cruce confixus est*.

Prætereundum hoc loco non est in fe-

Marginal notes: Ezech. 18. — Idem tēpus punitionis, quod, & criminis. — Qui nimis vitæ fidunt, a morte præoccupantur. — Principum gratia vitrea, quæ facile frangitur. — Esth. 7. — Ioseph. ibi. — Dei propitijs non abutendum.

felicissimi Absalonis suspendium, quem Patris Dauid Regnum affectantem; dum prælio victus, mulo equirabundus fugeret, equitem pendentem Ioab tribus lanceis confixit; dum enim fugitiuus vitæ consulebat, per querceta decurrens, in quercum incidit, ramorum opacitate spississimam; cumque fluentes capillos Aura sparsim ventilaret, quercui adhæserunt, & currente mulo, Eques suspensus relinquitur: interim accedens Ioab, fugientem insecutus, & pendentem aspiciens, tres contorsit hastas, & Absalonem in corde transfixit. *Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus cui insederat, pertransiuit.* Mirum est, quòd Absalon districto gladio, ramum, e quo pendebat, vel crines, quibus erat teligatus non rescuerit, sed pendens, & improuidus, hostis incursum expectauerit. Cæterum, ille mulo insidens, superbi hominis, ac tumidi, imaginem referebat, quem vita desérit, cum illam fore diuturniorem præsumebat, & ipsa, quę pro illius conseruatione remedia adhibebat, in venenum quo perijt immutantur. Cogitabat Absalon, dum mulo equitabundus fugeret, vitam conseruare, hostisque in sequentis conatum illudere: illusus tamen est; & quod tuendæ vitæ remedium præuenerat, ad mortem ei profuit, quin interim, deliberatione suspensus meditaretur. Egregia est in hanc rem Glossæ moralitas. *Iste*, air, *mulus, super quem sedet superbus, est gloria mundana, quæ cito transit. Et superbus, per Absalon figuratus, remanet suspensus in arbore, per quam significatur patibulum gehennæ, & conficitur tribus lanceis, scilicet pœna ignis, & pœna vermis, & pœna carentia visionis.* Non ne satis erat misero, si, vno tantum telo confossus, interiret? vt quid tribus transfigitur? Triplicata mœrebatur pœna cruciari, qui vitæ huius non attenta fragilitate, & inconstantia, totus in illius amorem iuerat, & quando fugæ sibi consulere existimabat, fugiendo mortem inuenit. Discite vitæ amatores: Ne fidite: insidiosa enim est; & cum

2. Reg. 18.

Absalon superbi hominis imago, cui gloriam, quam præsumit, in pœnā commutatur

Remedia ad vitam conseruandam aliquando sunt ad vitam perdendam.

Glos. mor. ibi.

Gloria mundana cito transit &c.

adesse creditur, euanescit: quin etiam, gloria, quam præsumitis, in pœnam vobis commutabitur.

Memorandus est Amonis Israelitici Regis interitus, quem (vt sacra Regum refert historia) serui, per insidias interfecerunt. *Tetenderu tque ei insidias serui sui, & interfecerunt Regem in domo sua.* Porrò deprauata viuendi licentia, & profligati Regis mores, seruorum animos concitarunt, vt manus in eum violentas inijcerent, vitæque, & regno priuarent. Mirum tamen est, quod non obstantibu excubijs, interficere potuerint, vel ipse cum inuasionem sensit, non implorauit contra occisores auxilium, aut fuga sese proripuit. Forsan, vt sentit Abulensis, lecto cubantem, & somno sepultum occiderunt. *Et interfecerunt Regem in domo sua, scilicet,* inquit, *interfecerunt eum secure, quia forte erat in lecto, quādo occisus est.* Itaque noctu, & inter dormiendum, disponente cęlo, perimitur; vt tunc vitam amittat, cum eadem securius perfrui opinabatur. Nonne qui somno indulget, vitę securitatem sibi sponder: alioquin, quomodo fieri poterat, vt somnum caperet, qui statim se moriturum, prævidet. Dormit igitur Amon, quia impendentem sibi mortem non veretur; nec Regni gloriam, paulo post, in mortis ignominiam, & æternos cruciatus, sibi permutandam reformidat. Infelix, qui vitæ securus occiditur, & oculi, quos ad quietem somnus dulciter clauserat, in æternam noctem clauduntur, hominibus documentum futurus, & exemplum: quod qui vitę fidit, tunc à morte præoccupatur, cum diuitius viuere sperabat, & ipsi meditata gloria, malo fœnore, mutatur in pœnam. *Scilicet interfecerunt eum secure, quia forte erat in lecto, cum occisus est.*

Innumera sunt, inopinari interitus exempla: veterum mensas, & conuiuia recole, & quosdam cibis, quibus vitæ luxum, & sustentaculum quærebant, strangulatos inuenies. Alij pateras, & pocula, quibus largiter potabant, sanguine purpurarunt. Alios, e suprema dignitate, & Regni solio, vel æmula inimicorum inuidia, vel fortunæ restantis impulsus, in ima præcipi-

4. Reg. 21.

Abul. ibi q. 2.

Tunc vitam sæpe homines amittūt, cum eadem securius perfrui opinantur.

Infelix, qui vitæ securus occiditur.

Voluptas mortifera.

tauit. Alijs ipsa voluptas, & vitæ lenocinium mortem attulit; & vbi asylum, quo se reciperent, inuenire credebant, vitæ suspendium repererunt. Non solus Balthasar, aut Absalon, & Amon, hoc exitu vitam infelicirer concluserunt. *Interfecerunt eum secure; quia, fortè, erat in lectulo, quando occisus est.* Plenæ sunt huiusmodi exemplis historiarum monumenta, quæ si vniuscuisque nostrum ante oculos obuersentur; nequaquam amore vitæ capiemur, nec diu permansuram cogitabimus. Quoniam, dum in hac cogitatione versabimur improuidi, mors inuadet, & quicunque vitæ fidebant, vanam fuisse spem, sero tamen, agnoscent: ipsa enim viuendi confidentia, in mortis sententiam conuertitur.

'iuendi con dentia mor s sententiā nduit.

Solent nonnunquam in tabulis, ad picturæ pulchritudinem parerga depingi, vbi ridet Ager, florum varietate vestitus, assurgunt Montes, opaca arborum amœnitate coronati. Valles deprimuntur, Riuorum scaturigine intersectæ, qui fugitiuo, & flexuoso madidos inter lapillos cursu, trepidantes Arborum pedes vitreis illigare compedibus videntur. Auiculæ, mira colorum peregrinitate distinctæ, Arboribus ludunt; & quamquā breuissimum sit tabulæ spatium, longissimus est quarundam rerum prospectus: nam Montes, Querceta, Rupes, ab aspectu remotissimæ comparent; aliarum vero valde propinquus; Fontes enim, Prata, Flores, Riuorum scaturigines, oculis vicina conspiciuntur, & tamen tam fallax est Montium, Rupiumq distantia, quam Vallium, & Fontium propinquitas. Lusit in his artificis manus, & per colorum transitus, ac vmbrarum ductus quædam remota, quædam vicina oculis obiecit: omnia tamen breuissimo spatio continentur, & æquali distantia clauduntur. Similem ego hominum vitam existimo. Per omnes vitæ partes oculos flecte: Pueritiam, Adolescentiam, Iuuentutem, Ætatem virilem, & Senectam recole: Quid aliud, quam tabulam parergis depictam vocabis? ludit in floribus Pueritia, Luxuriat in frondibus Adolescentia, extollitur in montibus Iuuentus, præcipatur in rupium angustijs Senectus. Et quamquam hæc omnia breuissima sint, & intra paucorum annorum spatium sint conclusa; nihilominus, dæmonis illusione, longius distare existimantur. Proh miseram deceptionem! Quot decepit, & illusit vitæ longioris expectatio; dum enim remotum senectutis spatium cogitant, vel demetuntur in flore, vel resecantur in fronde, vel deprimuntur in Monte, priusquam ad senectam peruenire potuissent. Fabula est vita nostra, in qua longitudo, breuitas, distantia, & propinquitas mentita sunt, & nos colorum illusione decipiunt: Illud tantummodo certissimum est, tunc finiendam esse vitam, cum mors longius abesse existimatur.

Hominis vita picta magis quam vera.

Vita nostra fabula, in qua longitudo, & breuitas nos decipiunt.

Placet inspicere Pictoris Euangelici tabulam, in qua inanem diuitis fiduciam, repentina morte illusam, perbellè depinxit: mensæ lautitiem, vestium luxum, & inanem rerum ostentationem sectabatur, thesauros augere: horrea dilatare, diuitias diuitijs addere, & veteribus, ac vetustissimis, fruges nouas emulare, secum ita locutus instituebat *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Falleris stulte, falleris; nam licet torcularia tua vino, oleoque redundent, & horrea frumento repleantur; proindeque verè dicas animæ tuæ. *Anima habes bona plurima* (Si tamen bona dicendas sunt adeo caduca, quæ cum possidentur, repente euanescunt). At vnde nosti, vitam tibi in annos plurimos dilatandam, vt cibo, potuque largius indulgere, delicijs vacare, omnia voluptatis prata luxuriando, pertransire, mediteris? Nihil diuitibus inaccessum; quidquid appetunt, assequuntur, & voluptatis aucupia, pecunijs coemunt. Annos plurimos quos tibi promisisti ausculta. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* Quid causæ est, vt tam celeriter puniatur? vix enim dixerat. *Anima habes bona plurima*; cum statim mortis sententia percutitur. *Hac nocte animam tuam repetunt à te.* Fortè propter diuitiarum iactantiam, aut voluptatis lenocinium? non equidem, sed propter vitæ fiduciam, quæ cum certior creditur, disparet, & gloriam præsu-

Luc. 12.

Diuitibus nihil inaccessum est, sed eorum bona breui euanescunt.

Qui diu viuere credit, cito moritur.

munt,

munt, pœnas inueniunt. Diutius viuere præsumebat infelix, & plurimos sibi vitæ annos pollicebatur, & in ipsa nocte occiditur, mortis sententiam vitæ expectatione consecutus. Magni Gregorij verba sunt: *Eadem nocte sublatus est, qui multa tempora fuerat præstolatus, vt scilicet, qui in longum sibi subsidia colligendo prospexerat, subsequentem diem, vel vnum minime videret.* Itaque, nec diei sequentis lucem aspicere permittitur, qui plurimos annos viuere cogitabat, quasi viuendi fiducia, mortis supplicium accelerauerit, & ideo mortis victima factus, quia vitam diuturnam sibi promittebat. Do etiam Magnum Basilium. *Eadem illa nocte, auferenda erat ab illo anima, quando ille multorum annorum delitias imaginabatur sibi.* Nemo igitur vitæ, nec gloriæ fidat, quia cum minus cogitabit, vita extinguetur, & cum gloriam, delitiasque imaginabitur, pœnam, & tormenta, infelici commutatione, reperiet.

S.Greg. l.12. moral. c.2.

S.Basilius.

Vitæ, aut gloriæ minime fidendum.



CAPVT VII.

Quod adeo misera sit vita, vt minoris æstimetur, in eo, qui potentior est: siquidem maior potentia, vitæ mox finiendæ, clarius habetur indicium.



DVPLICI, ac celeberrimo rem hanc exemplo illustrandam aggredior: alterum est Christi Redemptoris nostri in cruce expirantis: alterum vero Iosue, insolito de Amorrhæis prodigio triumphantis. Igitur Christus Dominus, parta de Principibus, ac potestatibus tenebrarum, victoria, iam iam spiritum emissurus, ingentem edidit clamorem, sicut S. Lucas cap. 23. testatur. *Et clamans voce magna Iesus, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.* Iam vero Iosue, vt ibi dicitur cap. 10. prælium contra quinque Amorrhæorum Reges initurus, hostium cuneos magno impetu inuasit: *Irruit itaque Iosue super eos, repente*: dum autem bellum desæuiret, & victoria, pro Iosue militibus stare videretur, Sol in occasum vergens, diem penè claudebat: cum subito Iosue, ne noctis occursu victoria perfici non posset, vocem eleuans, Soli, ac Lunæ præcepit, vt cursum detinerent: quo vsque victoriam plenè consequeretur: *Tunc locutus est Iosue Domino, in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel: dixitque coram eis. Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon.* En Christi, & Iosue vox, in vnum, ac eundem finem, videlicet, triumphum de hostibus reportandum dirigebatur: dispar tamen fuit vtriusque effectus; Nam ad Christi vocem, Sol splendorem suum retraxit, & terram obscura caligine circumdedit. *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque in horam nonam, & obscuratus est Sol.* E contra Iosue accidit: nam ad ipsius vocem, Sol cursum ita retardauit, & splendidos lucis radios effudit, vt dies illa, duplo maior solito fuisse videretur. *Steteruntque Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Vbi ait D. Hieronymus: *Sol duos dies in vnum conclusit, & Luna diei spatio non occurrit*; Itaque moriente Christo minuitur dies, & pugnante Iosue, detento Solis cursu, augetur; & quanto in Christi morte fuit imminutus, tanto in Iosue prælio iam fuerat dilatatus: quia in hoc facto, Solis obscuratio ad Christi vocem subsecuta portendebatur. Ita placuit Theodoreto, cuius verba sunt: *Istud porrò præfigurabat prodigiosum opus Saluatoris: sicut enim, pugnante Iosue, Sol stetit; ita dum Saluator morte sua, mortem dissolueret, Sol meridie continuit radios suos, & tenebris repleuit terram.* Si ergo, vt Theodoretus existimat, Iosue miraculum, Christi admirandum opus figurabat: cur adeo sunt diuersa, vt in vno Sol lucem ammittat, & in alio, cum iam occasu sepelienda foret, in ipso quasi rediuiuus, nouis irradiauerit splendoribus, & cursum, quem festinabat

Luc. 23.

Iosue 10.

Luc. 23.

Iosue 10. D. Hier. l. 2 de mirab. sac script. c. 4.

Theodoret. q. 13. in fine.

 absol-

absoluere, retractis habenis, retardauerit. An minor Iosue Christus, & illius vox non ita potentior? Absit, quinimo, vt censuit sanctus Iustinus. *Virtute nominis Iesu*, prodigium illud operatus est Iosue, qui suo nomine Iesum repræsentabat. Quare igitur clamat Iesus, & Sol obscuratus est? loquitur Iosue: *steteruntque Sol, & Luna* iam dicam. Cum Iosue loquitur, superioris personam refert, cui Sol, vt inferior, obtemperauit. Etenim personæ inferioritas (vt rectè infert Serlog) ex obedientia colligitur. *At qui obedit inferior est*. Clamante Iesu, Solem existima superiorem: nam iuxta Malachiam, Christus *Sol iustitiæ* nuncupatur, deinde Christo Regis titulum dederunt: *Hic est Rex Iudæorum*. Et quidem Sol regalem hanc magnitudinem, & potentiam cum Christo participat. Congruenter ergo cum Sol, vt inferior, & minus potens, cursum sistere iubetur, suum retardat occasum, lucem auget, splendoris radios multiplicat, ita quod, in vno die, duorum spatia visus fuerit coniunxisse. *Sol*, inquit Hieronymus, *duos dies in vnum conclusit*. Cum vero Regali nomenclatura decoratur: cum potentior ostenditur, obscurata luce moritur, ac in medio cursu, deficit: tunc lucem quasi vitam amittens, cum magis potentiam, magnitudinemque ostentabat. Qua disparitate, clarissimum præbuit documentum. Tam miseram esse vitam præsentem; vt in eo, qui potentior est, vilius debeat æstimari: siquidem, in maiori potentia, manifestum vitæ, statim perituræ indicium, apparet. Et ideo, cum in memoratis euentibus, quamquam eadem extiterit causa, diuersi valde effectus prodierunt. *Istud porrò præfigurabat prodigiosum opus Saluatoris: sicut enim pugnante Iosue, Sol stetit; ita dum Saluator morte sua mortem dissolueret, Sol meridie contraxit radios suos, & tenebris repleuit terram*.

D. Iustinus mart.

Virtute nominis Iesu Iosue solem, & Lunam continuit.

Serl. t. 1. ant. 6. sect. 6.

Malach. 3.

Luc. 23.

Nota.

Potentioris vita non magni facienda.

Facit in hanc rem consilium, quod Iosephi fratres, de eo occidendo susceperunt. Ille (vt apud Genesim habes) per prata errabundus, fratres quærebat. *Fratres*, inquit, *meos quæro*. Hi autem, a longe venientem conspicati dicebant: *Ecce somniator venit; venite occidamus eum*. Quæ nam occidendi causa? Qua meruit culpa Ioseph, vt fratrum manibus caderet, mortis victima? Non alia, quam vt experiantur fratres, quantum vtilitatis percepturus sit ex somnijs, quæ enarrauerat. *Tunc*, aiunt, *apparebit quid illi prosint somnia sua*. Itaque somniorum reuelatio, fratrum animos concitauit, vt de Iosepho interficiendo, conuenirent. Nam si propterea dicunt, occidamus, vt quid proderint somnia, detegatur: Planè, vt colligit Tostatus. *Ista reuelatio visionis somnij, fuit fomes, vel origo maioris adhuc odij in eum*. Cæterum; quæ somniorum materia, vt intestini odij fomitem ministrauerit? Porrò somniauit Ioseph, quod dum in agro, vna cum fratribus manipulos colligaret, Iosephi manipulum surrexisse, & stetisse, circumstantesque fratrum manipulos illum adorare. Quod somnium, fratres ad futurum Ioseph imperium, & principatum deflexerunt; & reuera Abulensis, ad eum locum, ita censuit, *In ijs somnijs*, inquit, *videbatur præfigurari Ioseph futurum dominum fratrum suorum*. Ita: est igitur ne quæras doceri, cur fratres tunc interficere tentent Ioseph, cum ipse somniet fratrum suorum dominum, superiorem que futurum: Quoniam; si talis est huius vitæ conditio, vt vilius æstimanda sit in eo, qui plus habet potestatis: Egregiè, cum se potentem somniat Ioseph, & fratrum suorum dominum fore auguratur, mortem ipsi afferre moliuntur, dicentes: *Venite occidamus eum*, Et nouerit, quod magnæ potestatis augurium, certissimum fuit vitæ statim perituræ argumentum. *Tunc apparebit, quid illi proderint somnia sua*.

Gen. 37.

Abul. ibi.

Abul. ibi.

Superioritas etiam somniata exitialis.

Pulcherrima in Epitalamio Salomonis, cap. 2. illa sponsi similitudo, in qua (si vera est Ghislerij existimatio ad eum locum) Christus Dominus, vt amoris sui magnitudinem, toleratas propter sponsam mortis, ac passionis iniurias, eximiam inter hæc omnia gratiam, & pulchritudinem exprimeret, flori se ipsum æquiparauit: *Ego*, inquit, *flos campi, & lilium conuallium*. Quæ simi-

Cant. 2.

similitudo, quam bellè Christi patienti conueniat, hinc in modum suadet Ghislerius. *Porrò quam vere hæc à sponso dicantur; vt in medijs passionibus iniurijs, ac persecutionibus decorem obtinueris, & gloriam aque, ac flos campi, &c.* Et paulo post. *Nullus profecto abnuat, qui ipsiusmet sponsi ac Redemptoris nostri, ea recolet verba. Lucæ 24. Nonnè hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam; ijs quippe apertius, hoc ipsum testatus est? quod in hoc cantico amatorio, sua metaphora floris campi, lilijque conuallium designauit obscurius.* Quamquam vero in nostra vulgata sit, *ego flos* alij item legunt. *Ego rosa:* sicuti vbi dicitur: *sicut lilium inter spinas,* habet Tuccius in notis: *sicut rosa inter spinas.* En age videamus, quid insit rosæ, vt proptерea Christus sub illius similitudine, vitam suam, passionem, ac mortem designauerit. *In hoc cantico amatorio, sub metaphora rosæ campi designauit obscurius.* Cernere est, sub Auroram teneram parturientem rosam, ante quam in virides alabastros fastigiata, foliorum ambitione pandatur: Gemmatus ille calix paulatim rumpitur, & purpuram, quinque partubus flammantem, prodit; quo vsque tota, intra circularem ambitum foliata explicatur, & lucidissimis, Auroræ sudantis humoribus, irrorata, purpurascit. Iamque rosa est, prati decus, Veris delicium, Gratiarum amor, Auroræ parturientis filia, filiorum Regina, Melligenæ cupiditas, cui viciſſim ipsa cupido est, & amatoriùm vitæ illectamentum, quæ antea spinoso tumens palmite, gemma erat. Vidistine pulchritudinem, gratiam, dulcedinem? sensisti odorem, fragrantiam, suauitatem? scire vis, quandiu hæc sint duratura? Vatem audi canentem.

Ghisler. in can. cap. 2.

Ex passionibus decor.

Luc. 24.

Tucc. in cant.

Pulchra Rosæ descriptio.

Virg. in Epig.

Quam breuis vna dies, ætas tam longa rosarum.

At in hac die, cum moritur rosa? cum foliorum dote viduata, terram purpureis vestit spolijs? planè cum venustior est; cum augustiori coloris punicei vernat apparatu: tunc virorem, gratiam, colorem, cum toto illo suggestu amittit, vt in ea sit vitæ speculum, quæ in maiori potestate citius perdi- tur, & nullum certius est quod cito peritura sit indicium, quam si ad magnæ potestatis fastigium euehatur: ipsa enim potestas, vitam mox finiendam, quasi digito demonstrat. Age porrò: quando existimas, Christum amplioris potentiæ radijs effulsisse? Nonne cum in patibulo suspensus, in orbis meditullio, humanam operatus salutem, Regis illi datum est nomen? *Hic est Rex Iudæorum.* Luc. 23. Quem titulum ita versat Angelus a Pace: *vbi per præsens est, notatur æterna potestas, qua Rex Iudæorum, super Sion montem sanctum, constituitur.* At vero, nunquam Christi vita angustiores habuit terminos, quam die illa, cum augustissimo Regis titulo, ad potestatis suæ demonstrationem fuit insignitus. Nam in titulo, magna illius potestas, & in eodem mors, iamiam sustinenda, visebatur. *Hic est Rex Iudæorum. In quo* ait Lyranus, *exprimitur causa mortis;* Merito, igitur, Christus, vt sponsæ manifestaret, quod in sūma illa potestatis demonstratione, periturus esset, Rosæ instar, quæ cum floret ambitiosas, marcescit, ac emoritur, in canticis, rosæ seipsum æquiparauit. *In hoc cantico amatorio, sub metaphora Rosæ campi designauit obscurius.* Quid designauit? Porrò, vitæ breuitatem, quæ sicut Rosa, cum potestate floreret, subito finienda esset: Quasi potestas, qua tunc fruebatur, mortem acceleraret, & angustiores vitæ limites efficeret. Iterum Tuccius: *Et Rosæ denique, ob vitæ præsentis breuitatem, cum velut Rosa orta occidunt.* En quod vitæ amatoribus suggerendum est, quantum decipiantur, dum vitam in potestate longiorem fore sibi persuadent; tunc enim propior est mortis occasus, ipsaque potestas, dum magis crescit, vitam, statim perituram indicat. Nouerunt hoc plurimi, qui in ipso ambitionis æstu, nullo parcebant labori, nullam prætermittebant industriam, vt cupitam obtinerent dignitatem: Ecce tibi votorum summam obtinent, ad potestatis fastigium extolluntur. At cum, rosatum instar, toto illo dignitatis apparatu efflorescunt, ingruente morbo, & subinde morte concidunt. Nec aliud eis profuit, tanto studio quæsita potestas,

Luc. 23. Fr. Ang. de Pas. ibi.

Regis nomē angustiat vitæ spatia.

Lir. in Luc. cap. 23.

Tucc. in cant. 2.

Tuccius vbi supra.

Cum potestas magis crescit, vitam perituram indicat, hinc discant ambitiosi.

quam

quam, vt vitæ cito amittendæ indicium foret: Satius planè esset, si nusquam florerent, qui in ipso florendi apparatu, demetiendi erant; & eadem dies quæ floridos vidit, mortuos, suo in occasu, relinqueret.

Quam breuis vna dies, ætas tam longa rosarum.

Pauerat Christus Dominus in deserto hominum quinque millia, excepto fœminarum, ac puerorum numero, qui magnus indubitanter extitit: At vero illa hominum multitudo, vt benefactori suo gratiam referret, Christum inaugurare Regem statuerat; quod præuidens Iesus, illius dignitatis refugus, secundo in montem secessit, vt

Ioann. 6. S. Ioannes refert cap. 6. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Quò loco notanda est particula, *iterum*, quæ duplicem fugam importat: quasi non hac prima vice Christus fugerit, sed iam antea id fecerit. Quod planè inquirendum est, & videndum, an talis fuga, in Euangelio, memorata repetiatur. Porrò D. Matthæus cap. 2. ait Angelum apparuisse in somnis Ioseph, ac vt vna cum matre, & infante in Æ-

Matth. 2. gyptum fugeret monuisse. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* En prima

Dignitatum gemina fuga, vix tutat. fuga, ad quam si referatur hæc, cuius mentionem fecimus, rectè potuit dicere Ioannes *fugit iterum*. Notanda tamen est fugæ causa, nimirum Regia dignitas, quam sibi ab illa multitudine, quinque panibus mirabiliter satiata, affertendam præuidebat: quasi in eo Regis titulo, mortem ex insidijs latentem detegeret, & in ea potentia, vitæ statim amittendæ, indicium agnosceret. Nonnè, cum apud Solymam Rex fuit acclamatus, dicentibus Magis, *Vbi est qui natus est Rex*, mortem sibi impendentem aspexit? Nam Herodes, ea Magorum acclamatione stimulatus, interficere decreuit, quem audierat Regem appellari: & quemadmodum tunc, fugiendo, vitæ consuluit: sic etiam nunc, memor quod Regius ille titulus, mortis occasionem esset allaturus, iterum fugit dignitatem, & potentiam declinat, in qua mortem citò affecturam, non dubitabat. Tantumdem namque esset ad Regiam extolli dignitatem, ac mortis sententiam experiri. Et vix regale thronum ascenderet, cum ex eo proiectus, ad tumulum efferretur. Quid ni hoc fugiendo caueret? præsertim dicente iam olim Angelo. *Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.* Matthæi 2. vbi ita philosophatur Abulensis. *Quasi dicat: licet Herodes mox nihil agat contra puerum, conabitur tamen postea perdere eum, idest occidere.* Præoccupauit itaque, fugiendo, Herodis conatum, & ne perderet vitam, dignitatem fugit, in qua certissimum videbatur mortis indicium; & sicut tunc sibi fuga prospexit; sit etiam nunc iterum fugit, & Regium titulum recusat accipere: quia in summa potentia, periclitatur vita: vnde qui fugit, vincit, qui amplectitur, mortem indubitanter incurrit. *Iesus ergo, cum cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem; fugit iterum in montem ipse solus.*

Eadem est in Regem acclamatio, ac mortis sententia.

Matt. 2. Abul. ibi

Dignitatum ania fugiendo vincitur.

Nonnè discipulorum habebat comitatum? Cur ergo fugientem Magistrum non sequuntur? Qua de causa, ipse fugiens, non euocat, sed solus abit; præsertim, quia illi Regem non essent acclamaturi? propter quod fugiebat? Theophilactus de fuga in Aegyptum loquutus, ait: *Fugit & Dominus, vt credatur, quod reuera homo sit.* Assentitur Hugo Cardinalis. *Mira*, inquit, *humilitas, quia ille qui est refugium omnium fugit, vt ostendatur verus homo.* Nec ad solam humanitatis ostensionem fugit, sed ad suorum instructionem. D. Chrysostomi verba sunt. *Mira humilitas Christi, fugit, qui refugium est aliorum, & virtus: fugiendo instruit suos.* At quæ nam isthæc instructio est? sanè honorum, dignitatumque contemptus: Edocebantur enim discipuli, mundi honores despicere, dum Præceptorem suum illos contemnere cernebant. Deinde, cum ob editum saturationis miraculum, verè Propheta, & Messias in mundum venturus, ab illis hominibus existimari cœpisset, & plusquam homo reputari; vt hominem se ostenderet,

Theophil. in Matth. 2. Hug. car. ibi.

S. Ioa. Chrys. hom. 2. op. imp. ca. 10.

Fuga Christi, discipulos erudit.

fugam

Ioann. 6. fugam inir. *Illi ergo homines, cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Duo itaque hic interueniunt discipulorum comitatus, qui Christi maiestatem, in ea Regis acclamatione, augere potuissent, & diuinitatis existimatio, apud homines collecta, qua supra humanam extollebatur conditionem: vtrumque fugit, & fastum, ex discipulorum comitatu, & (sicut ex Hugone, & Theophilacto dicebamus) homo vult apparere, nos instruens: quod, in summa potestatis demonstratione, constitutum sit mortis indicium. Et cum in montem fugiendo, vitam tueri studeat, perbellè in homine magnitudinem, & fastum deuitat, in Deo potentiam occultat, & homo tantum credi vult. *Fugit Dominus, vt credatur quod reuera homo sit*, Et solus fugit, quia suos volebat instruere, despiciendam esse potentiam, vt vitæ consulatur; si quidem magnæ potestatis argumentum, certissimum erat vitæ minimum duraturæ præsagium. Potentiæ despectus, vitæ consultum.

Redeo ad primam fugam in Ægyptum, & verba expendo, quibus ab Euangelista describitur. Matth. 2. *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum*; Mirum videbitur, quod cælestis aulicus, cum non potuerit ignotare, infantem a Magis fuisse Regem nuncupatum: *vbi est, qui natus est Rex Iudæorum*? ipse tamen a Regali titulo abstineat, & puerum dicat: *Accipe puerum*. Quinimò, teste Dauid, cælestes spiritus se inuicem, his vocibus adhortabantur: Psal. 23. *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Regem itaque suum recognoscunt: cur ergo non Regem vocat, sed puerum? In promptu causa est. Nam totus Herodis conatus, ad pueri interfectionem dirigebatur, ipsius tantummodo vitam appetebat; & ideo ab Angelo, sicut aduertit Abulensis, primo nominatur Puer. Abul. in Matth. 2. *Accipe puerum. Primo ponitur puer, quia propter ipsum fiebat ista fuga; Et quia ipsum intendebat Herodes perdere, & non parentes eius*. Vnde Ioseph tandiu in Aegyptum morati admonetur, quousq; Angelus de discessu aduertat. *Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum*: Et quamquam nihil tunc contra ipsum moliatur; attamen, ineunte tempore, mortem ipsi machinabitur. Abul. vbi sup. *Licet Herodes nunc nihil agat contra puerum; conabitur tamen postea perdere eum, idest occidere*. Cum ergo mortis periculum ex Regio titulo prouenerit, prudenter Angelus Puerum dixisse maluit, quam Regem; vt fugientis vitæ consuleret, quem propter Regis appellationem, ad necem quærendum animaduerterat. Reuera enim suprema Regis potestas, certissimum habebatur vitæ, parum duraturæ, indicium, & qui plus potestatis ostenrat, propior vt moriatur. Quapropter, potestatem, & dignatis nomen occultauit, vt vitam redderet securiorem: *Accipe puerum*.

Proh quanta laborant insania, quos honorum, ac dignitatum ambitio tenet; quos, obtinendi principum gratiam, sollicitudo exagitat: Ambire. & insanire idē. Nam, vel in ipso conatu moriuntur, vel, si votorum summa frui contingat, assiduo metu, ne excidant, concutiuntur; nec quiescunt, assiduis inuidiæ, æmulationis, & detractionis ictibus impetiti, quodque frequentissimum est, fortunæ variantis ludibrio expositi. Quanto beatior ille est, qui humili penula regitur, vili, & rusticano cibo, ac simplici aqua famem, sitimque extinguit; In humi statu beatitas nō paru Nec diuitum vestes, docta nimis acu elaboratas, desideret; mensarum lautitiem non suspirat, Principum gratiam non ambit; sed, procul negotiosa aulicorum sollicitudine, vitam traducit hilarem, & nulli curarum æstu fluctuantem. Quæ si ambientibus nota esset, illā planè desiderarent, & omni studio quærerent, hilarius, & diutius victuri, quam in potestate, & celsitudine, constituti viuent. Nam quemadmodum

Quam breuis vna dies, ætas tam longa rosarum.

Sic eis vita, rosæ instar, eodem quo nascitur, & floret die, virorem amittit, & morte extinguitur. Et quo magis ad felicitatis, ac potestatis cumulum ascendunt; eo propiores sunt, vt præcipiti casu ruant, alijs exemplum futuri: summum illud potentiæ, quod

am-

ambiunt, nihil allud esse, quam indubitatum mortis iamiam imminentis, indicium.



CAPVT VIII.

Quod vitæ magnitudo, maiorem ipsius miseriam detegit: Quidquid enim magnitudinis ostentat, mortis comminatio est.

MONTIS Thabor summitatem occupauit olim Christus Dominus, vt ibi coram Petro, Iacobo, & Ioanne transfiguratus, futuræ gloriæ repræsentationem ederet, & beatitudinis delicias prælibaret. Adfuerunt etiam huic spectaculo, vt refert S. Matthæus cap. 17. ex lege veteri Moyses, & Elias, qui suaues cum Christo sermones miscebant. *Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias, cum eo loquentes.* Fuit ergo sermonum materies, iuxta textum S. Lucæ, Christi mors, quam Hierosolymis erat subiturus. *Erant autem Moyses, & Elias, visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.* Quod vero significarit excessu, de quo loquebantur, edisserit S. Cyrillus in Catena. *Dicebant*, inquit, *excessum eius, videlicet mysterium dispensationis in carne, nec non salutiferam passionem, completam in venerabili Cruce.* Mirandum tamen est, quod in eo gloriæ spectaculo, de futura passione meminerint; importuna quippe narratio videbatur, vt in eo maiestatis splendore, de tormentis, & ignominijs agerent, quibus erat paulo post afficiendus; præsertim intonante summi Parentis voce, qui de nube loquens, filij dignitatem in vtraque natura manifestabat. *Et venit vox de nube, dicens: Hic est Filius meus charissimus.* Marc. cap. 9 Quæ verba, ita commentatur Angelus Pas. *Hic, quem alloquimini, & cernitis gloriosum, est filius, non solum quem mulier peperit absque semine, sed meus, quem in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum, ego hodie, & ab æterno genui; ac proinde charissimus, & dilectus; vt qui ex mea substantia, Deus de Deo, & lumen de lumine procedit, vnicam mecum essentiam, & substantiam numero eandem retinens.* Cur ergo talem maiestatis splendorem, opposita mortis ignominia offuscare non ambigunt? Quo aspectu passionem refricant; & dum gloriæ delicijs perfruuntur, ad tormentorum, & ignominiarum commemorationem, mutuis allocutionibus recurrunt? Non sine mysterij sacramento hoc factum arbitror. Iam dicam: Christus Dominus in hac gloriæ prolusione, maiorem suæ magnitudinis ostentationem edidit, adhuc in vita mortali constitutus: Cum autem amplior magnitudo, maiorem vitæ miseriam prædicet, & quidquid ipsa magnitudinis euulgat, mortis minitatio dicenda sit: Probè, audientibus Moyse, & Elia vocem illam, Christi celsitudinem e nube resonantem: *Hic, quem alloquimini, & cernitis gloriosum, est filius, non solum quem mulier peperit, absque semine; sed meus, quem in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum, ego hodie, & ab aterno genui*: futuræ passionis meminerunt: *Dicebant excessum eius, videlicet mysterium dispensationis in carne, nec non salutiferam passionem, completam in venerabili cruce*; Vt inter gloriæ prælibationem, & passionis, pœnarumque memoriam, videat: nihil aliud esse præsentis vitæ magnitudinem, cum prædicatur, quam mortis ocijssime instantis minitationem.

Est autem insuper adnotandum: quod cum plurimi forent Patriarchæ, ac Prophetæ, quibus illam gloriam communicare potuisset, hos tamen præcipue Christus elegit, & alterum e sinu Abrahæ, alterum e terrestri paradiso euocauit, ex quibus locis, alios adduceret si vellet, noluit tamen, nisi Moysen, & Eliam: *Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias:* quia hos præ cœteris habuit familiares: Moyses Diuinæ legis promulgator fuit intrepidus, & Elias honoris Dei propugnator acerri-

Matth. 17.

Luc. 9.

S. Cyril. in Cat. aur.

Fr. Ang. de Pas. in Marc. cap. 6.

Amplior magnitudo, maioris miseriæ argumentũ

Matth. 17.

acerrimus: hoc enim elogio D. Chrysostomus vtriusque magnitudinem exornat. *Etenim*, inquit, *Moyses legem dedit*, *& Elias pro gloria Dei æmulator fuit*. Deinde; Elias a communi moriendi lege adhuc immunis, curru igneo ad terrestem paradisum translatus scribitur. *Ascendit Elias per turbinem in cœlum*. Moyses ad Domini imperium e vita discesserat, & in terra Moabitarum sepulturæ deditus fuerat. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino*. Itaque duo illi gloriæ spectatores, alter e viuis iam excesserat, alter, viuus adbuc, superer at, alter in sinu Abrahæ, alter in paradiso quiescebat. Viuens vitæ præsentis, & gloriæ illius magnitudinem indicabat: mortuus, vitæ miseriam, & magnitudinis ipsius ostentationem, nibil aliud esse, quam mortis minas, statim exequendas, edocebat. Fors ita censuit D. Chrysostomus. *Propter hoc, & Moysem, qui mortem defecerat, & Eliam qui nondum mortem passus fuerat, in medium adducit*. Porrò quid est propter hoc? nisi quod dum viuus alter, alter vero iam mortuus, in illud spectaculum adducti, inter gloriæ splendores futuras mortis ignominias recensebant: omnibus palàm facerent: in vita præsenti magnitudinis illius indicium, pro mortis comminatione reputandum.

D. Io. Chrys. hom. 57. in Mat. tom. 2.

4. Reg. 2.

Deut. 34.

Ostentatio vitæ, mortis minitatio.

D. Io. Chris. vbi supra.

Adijcio quod de illo Balthasaris euentu, apud suos hilariter conuiuantis, adnotauit Scotus. Nam in medio conuiuio, tres in pariete digiti ex aduerso appatuerunt, & scripta contra Regem mortis sententia, non amplius visi sunt. *Balthasar fecit grande conuiuium optimatibus suis*. Quid deinde? *In eadem bora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis, Manè, Theceèl, Pharès*. Poirò *Manè* vt interpretatur Scotus, numerum significat. Et tantum valet, quamquod Deus Regis vitam redegerat ad mensuram, vt statim finiretur. *Manè*, inquit, *interpretatur numerus; Per hoc significatur, quod Deus metiatur dies vitæ tuæ*. Itaque mensurauerat Dominus Barbari illius vitam, quia propter sacrorum vasorum profanationem, impium delere instituerat: Occiditur enim, *quod profanauit vasa templi*, ait Scotus, & tempus conuiuij, ad executionem supplicij designatur, quoniam *Balthasar interpretatur absorbens diuitias*. Reuera enim, impius diuitiarum cumulum auxerat, ac quasi deuorans, in thesauris absconderat, quin regia munificentia in suos dispertiret: vnde perinde erat, ac si nullis diuitijs frueretur. Tunc autem, post quam ad diuitiarum, & magnitudinis ostentationem fecit grande conuiuium, quasi tunc potens, ac opulentus esse inciperet, mortis cõminatione terretur; vt nouerit, illam, quam ostentat magnitudinem, mortem sibi minitari, quam, tres digiti in pariete scribentes, mox affuturam denunciabant: etenim. *Manè interpretatur numerus, per hoc significatur, quod Deus metiatur dies vitæ tuæ*.

Dan. 5.

Scot. serm. 1. de temp.

Scot. vbi sup.

Magnitudinis, & vitæ eadem mentitio.

Apud Ioannem cap. 6. Christum inuenio, offerendum sibi Regis titulum, arrepta in montem fuga, renuentem: Nam cum turbæ, quas in deserto pauerat, de ipsius in Regem inauguratione deliberarent, cognito consilio, in montem se contulit. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*. Rursus apud Matthæum cap. 21. Hierosolimitanæ Vrbis comitãte caterua cum inter festiuos acclamantium plausus, quibus Rex identidem dicebatur, vrbem illam triumphabundus ingrederetur, tantum abfuit, vt Regium titulum subterfugeret, vt potius de illo sibi videretur bandiri, & acclamationem illam, velut gratissimam, & iuxta Isaiæ vaticinium, ac exortationem, ab Hierosolimitanis ciuibus exhibendam, acceptare nullatenus recusaret. *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi*. Deus immortalis! illic Regios fugit titulos: hic Regem acclamari libenter auscultat. Quid causæ est, vt modo placeat, quod tunc displicuit? Nonne debita illi erat Regia dignitas? Quare ergo oblatam repudiat? Respondet optimè Lyranus. *Si autem quæratur: quare non acceptauit tunc Regnum, cum esset suum, ex diuinæ promissione dicendum est, quod licet esset suum dicto modo: tamen non*

Ioan. 6.

Math. 21.

Is. 62.

Zach. 9.

Liran. in Io. 6.

erat manifestandum, nisi tempore debito. Itaque Regius ille honor, non omnimodè recusatur; Sed illius acceptatio, in tempus magis opportunum reijcitur. Et sanè ingressus iste in Vrbem, veluti ad memoratam Regis acclamationem percommodus, destinatur; Nam licet, adnotante Origene, multoties in ciuitatem fuisset ingressus, nusquam tamen simili plausu, & acclamatione fuerat exceptus. *Frequenter*, inquit, *ingressus est ciuitatem Hierusalem, sed non cum his laudibus: non Rex vocatur, quod semper fugerat, nisi modo, cum ascendit passurus: quia iam tempus passionis instabat.* Nunc autem, instante passionis tempore ingrediens ciuitatem, Regem se acclamari permittit, imò acclamantibus, & supplaudentibus assentitur. Vt quid tunc regio gaudet titulo, quem hactenus recusanerat? fors, vt sub illo vitam reddat securiorem? Absit: nihil enim magis habebat in votis, quam mori. Et quia in vita præsenti cum maior est potentiæ magnitudinisq. ostentatio, tunc clarius cernitur mortis indicium, percommodè cum passio aberat, Regem acclamari renuit, & ea iam instante, Regalem titulum non recusat: imò libenter acceptat. Et hoc opportunius iudicabatur, vt Rex diceretur, quia tunc propior erat mortis occasio, quam impensè desiderabat. Certum namque est; in maiori potentia clarius mortis indicium reperiri, & quidquid magnitudinis vita præsens ostentat, mortis comminationem esse indicandum.

Orig. tract. 14 in Mat.

Propinquius mortis Regio titulo decoratur Rex enim est Christus dū mori proximus.

Diuitem illum, cuius meminit S. Lucas, vitam sibi diuturnam, falsò deceptum omine sperantem, hunc in modum adhortatur Scoti subtilitas. *Noli ergo tibi diues spem facere, multos annos viuendi promittere, vt diues:* Diserta quidem monitio: fallabatur enim, qui propterea quod diues esset, diutius viuere sperabat; in ea siquidem diuitiarum abundantia, mortus indicium iam instantis cernebatur. Sin minus videamus quid diues secum locutus dixerit: *Anima mea, habes multa bona in annos plurimos.* Deciperis o stulte: multa bona dicis, & multos tibi annos vitæ promittis? ignoras, quod dum opulentiam, magnitudinemque ostentas mortem tibi, impendenrem, deprædicas? Audi mortis sententiam, quæ aduersum te, eadem noctis hora pronunciatur. Sed iam Scotus, cum diuite sic expostulat: *Ideo quod dixit: anima mea habes multa bona, in annos reposita, requiesce, comede, bibe, & epulare, &c. Cur dictum est: stulte hac nocte morieris, & dæmones repetent animam tuam a te. Quæ autem parasti cuius erunt?* Stultus iste tunc vitam amisit, cum sibi diuturniorem promittebat: quid ille? anima mea, habes multa bona, in annos plurimos; sed in eadem nocte audit: *Repetent animam tuam.* Deinde viuendi fiduciam, in diuitiarum abundantia constituerat, in vtroque deliquit. Et fors plures vitæ annos Deus, sub conditione, illi impertiuerat, & propter peccata, mortem præcipitanit. Scoti sententia est: *Deus constituit alicui quadraginta annos viuendi, qui numquam perueniret ad triginta. Vnde hoc? Certe ex peccatis suis.* Itaque, proptor peccata diuitis, ad angustiores terminos ipsius vitæ reducitur: non enim quia diues erat, diutius se victurum debuerat sperare, sicut monuit Scotus. Quasi diuitiæ vitam conferant longiorem. Cum tamen certum sit, quod viuendi spes, in opulentia fundata, certissima sit mortis damnatio. Quid agit diues, cum suam opulentiam ostentat? Porrò magnitudinem prædicat, sed nihil aliud est magnitudinem ostentare, quam mortis damnationem incurrere. Iste diuitias iactat, & ijs fretus, largam sibi vitam auguratur. Habes, inquit, multa bona in annos reposita: deceptus tamen est: nam, eadem nocte in peccati pœnam, morte mulctatur: & quia, vt diues viuere diutius præsumebas: vt diues citius morieris; Nullum enim damnosius est vitæ venenum, quam magnitudinis publicatio, quæ vitam miserijs plenam demonstrat, & tunc mortem minitatur, cum magnitudinem deprædicat. *Noli ergo tibi diues spem facere, multos annos viuendi tibi promittere, vt diues.*

Scot. ser. 1. de temp.

Luc. 12

Scot. vbi sup.

Vitæ staminis citius quandoque peccata præscindunt.

Spes diuitū inanis.

Iuuat calamum ad mundi nascentis incunabula reflectere, & primum parentem corpore, & animo plurimis

doti-

dotibus adornatum, ad Dei, & Filij sui similitudinem inspicere, qualem Seraphicus Pater Franciscus, in spiritualibus admonitionibus ad fratres expressit. *Attende*, inquit, *o homo, in quanta excellentia te posuit Deus, quia creauit, & formauit te ad imaginem dilectissimi Filij sui, secundum corpus, & ad similitudinem suam, secundum spiritum.* Ita creatus in paradiso constituitur, libera ei datur facultas, vt ex omnibus illius fructibus comedat, & sola vna arbor scientiæ boni, & mali excipitur, ex qua, sub mortis comminatione, præcipitur ne comedat. *Præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* En diuina interdictio, quam Dæmon infringere decreuit, & ideo fœminam conuenit, deque vetito pomo edere hortatur: restitit sed molliter Eua: institit hostis, & tandem pepulit. Non ita est, inquit: nequaquam post esum mors eueniet, nec propterea vobis de hac arbore prohibitum est edere. *Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Hæc seductor, cui mulier assentita est: non quia Deum fieri credidisset; etenim ait Abulens. *Non est intelligendum, quod Eua crederet se potuisse fieri Deum quia hoc sciebat esse impossibile: nec quod poterat esse æqualis Deo; quia eadem est impossibilitas, cum Deus infinitus sit.* Illud tantummodo sibi persuasa est, quod in aliqualem Dei similitudinem transiret. *Sed credidit, se posse habere quandam similitudinem ad Deum, scilicet, quod sicut Deus nullo alio indigebat, ita ipsi nullo indigerent, & omnia scirent.* Quod quidem eximiæ celsitudinis, & sublimitatis erat argumentum: etenim omnia cognitione comprehendere, & tanta rerum abundantia potiri, vt nulla necessitate opprimatur, diuinitatis magnitudinem sapit; solus enim Deus ille est, cuius cognitioni nihil inaccessum, qui nullius eget. Nec vero Deus quidquam maius homini elargitur, quam si diuitias, & sapientiam concedat; sicuti fecerat Salomoni, cui sic loquebatur. *Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens; in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit: sed etiam hæc, quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam.* En supremus magnitudinis cumulus: omnia scire, omnibus abundare: hanc magnitudinem Eua, comedens, se assecuturam existimauit: præuidens ergo Deus, quod illius magnitudinis futura esset ostentatrix, comedentem morte mulctauit, dicens: In quocunque die comederis ex eo, morte morieris. In quo apparuit, maiorem vitæ miseriam in ea magnitudine sitam esse: Nam vbi primum, decepta, magnitudinem ambiuit, & sibi, & toto humano generi mortem attulit. Atque adeo quandiu *credidit, se posse habere quandam similitudinem ad Deum, scilicet, quod sicut Deus nullo alio indigebat; ita ipsi nullo indigerent, & omnia scirent*, tandiu mortis sententiam aduersum seipsam sustinuit, docta, in ostentatione magnitudinis, positam esse vitæ miseriam, cuius summa est, vt publicata magnitudo, in comminationem mortis conuertatur. *Morte morieris.*

Marginalia: S. Francis. in admon. ad frat. cap. 5. — Homo Dei imago, & quo ad Corpus, & quo ad animam. — Gen. 2. — Gen. 3. — Abul. in Gen. c. 3. q. 5. — Eua non Deitatem, sed Dei similitudinem appetijt. — 3. Reg. 3. — In magnitudine, maior vitæ miseria.



CAPVT IX.

Quod errant, qui in vita præsenti in honoribus, ac diuitijs sibi complacent: quoniam scopus, in quo mors certius collimat, honor est, ac potestas: quæ maiori videntur frui securitate.



SCRIPSIT, olim, seraphicus Pater meus Sãctus Franciscus Populorum optimatibus, ac Rectoribus, & suam sic exorsus fuit epistolam, cuius hæc est inscriptio. *Vniuersis potestatibus, & consulibus, iudicibus, atque Rectoribus vbique terrarum.* Consi-

Marginalia: S. Franc. ep. 15.

derate, inquit, & videte, quoniam dies mortis appropinquat. Percommoda certe adhortatio: Qui enim potentibus, & in dignitate constitutis scribebat, recte propinquæ mortis admonitione petteret: quia omnis Potentatus vitæ, vita breuis; & quicunque ad altum dignitatis, ac potentiæ culmen euehitur, is in signum positus est, in quem mors sagittas suas dirigit, vt quantocius petimat. Caueant ergo Magnates viri, nec tantũ sibi de honore blandiantur, quantum mortis venenum in eo propinatum vereantur, & Seraphicum parentem meum, ita monentem, auscultent: *Considerate, & videte; quoniam dies mortis appropinquat.*

Potentatus vitæ, vita breuis.

Christi Domini exemplo res erit illustranda. Etenim patriam suam Nazareth ingressus, & multa ibi miracula edens, conciuium suorum contra se inuidiam, ac indignationem excitauit: ita quod, vt memorat S. Luc. cap. 4. in montis supercilium, cui imposita erat ciuitas, adduxerunt; vt inde præcipitarent. *Et repleti sunt*, inquit, *omnes in sinagoga ira, hæc audientes, & surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* At vero Christus, diuinitatis potentia vsus, inter eos incedebat illæsus, nec ausus fuit quisquam manus in eum iniicere, vt præcipitem ageret. *Ipse autem transiens, per medium illorum ibat. Virtute diuinitatis*: addit Lyra, *qua poterat sic se seruare illæsum, quando volebat.* Hos autem compatriotas quid mouit, vt conciuem, ita benemeritum occidere conarentur, extra ciuitatem eijcientes? *Planè eiecerunt illum extra ciuitatem, tanquam dignum morte, vt illum interficerent* (Respondet Lyranus) Illorum tamen conatum elusit Christus, hominem se, ac Deum ostentans, vt adnotauit S. Chrysostomus. *In quo, & quæ sunt humanitatis, & quæ sunt diuinitatis ostendit: stare enim in medio insidiantium, & non apprehendi, diuinitatis eminentiam ostendebat: discedere vero, dispensationis approbat mysterium.* Mirum tamen est, quod moriendi cupidus hic mortem fugerit; attamen mysterij causa id egit; vt enim volentem se ac libentem mori testaretur, cum in horto captus fuit, hic (vt monet S. Ambrosius) ab eorum manibus se eripuit. *Simul intellige, non ex necessitate, sed voluntariam fuisse corporis passionem: etenim quando vult, capitur, quando vult, elabitur.* Mortem omnino non fugiens, sed ad tempus passioni destinatum, reijciens, quod tamen non aduenerat. Nec vero apud Nazareth, sed Hierosolymam implendum erat passionis sacramentum. Bedæ verba sunt. *Non dum etiam venerat hora passionis, quæ in Parasceue Pascha futura extiterat: nec dum locum passionis adierat, qui non in Nazareth, sed Hierosolymis, hostiarum sanguine figurabatur.* At cur in Nazareth mori renuit, & Hierosolymam eligit ad moriendum? illa, nisi fallor, causa est, quia apud Nazarenos humilis habebatur: nec ferre poterant, quod miraculis, & virtutibus esset clarus, quem Iosephi filium existimabant, dicentes: *Nonne hic est filius Ioseph*; quasi (ait D. Cyrillus) Pater ille putatiuus, filij magnitudinem, & claritatem impedire posset; nec insolens, aut rarum est, vt ex ignobilibus parentibus, filij, virtutibus postea clarissimi, enascantur. *Sed quid impedit, vt venerabilis, & admirabilis sit, si filius esset, vt putabatur, Ioseph?* At vero ad Hierosolymam Rex appellatur. *Hic est Rex Iudæorum.* Cum ergo statuerimus, illud esse mortis ingenium, vt in honorem, ac potestatem (quæ securiora intuetur) sagittas suas, tanquam in scopum dirigat: præclara dispositione ordinatum est, vt non inter Nazarenos moriatur Christus, a quibus, tanquam humilis Iosephi filius contemptui habebatur, sed apud Hierosolymitanos, qui Regem proclamabant; ibi enim in eo honore, ac dignitate constitutus, signum erit, quod indubitanter a morte vulnerabitur, & moriendi voto, voluptateque perfruetur. Atque adeo tantumdem mihi est Bedæ venerabilis sententia, dicentis. *Nondum etiam venerat hora passionis, quæ in Parasceue futura extiterat. Nec dum locum passionis adierat, qui non in Nazareth, sed in Hierosolymis, hostiarum sanguinem figurabatur*

Luc. 4.

Lyr. ibi.

Lyr. ibi.

S. Ioa. Chris. in Cat. aur.

S. Ambr. ibi.

Bed. l. 4. in Luc. sit. Conf. eiusdem.

Luc. 4.

Ex ignobilibus parentibus, filios virtutibus conspicuos nasci, non insuetum.

S. Cyr. homi. 49. in Mat.

Luc. 23.

raba-

rabatur. Ac si diceret: timendum non est, vt in Nazareth moriatur: quia ibi nullam ostentat potentiam, nullo honoris titulo decoratur; sed tanquam humilis fabri filius, a conciuibus suis despicitur, inuidiaque stimulante, in montis verticem, inde præcipitandus, euocatur. Et mors, fulminis instar, humilia relinquit intacta, quæ vero sublimia sunt, magno impetu prosternit: vnde qui in altum euehuntur, nouerint, se tanquam signum morti destinatos, vt eiusdem sagittis certo feriantur.

In altum euecti, mortis scopus.

Mirum est, quod tempus elegerit Iudas, vt Christi proditionem, quam cum Iudæis pepigerat, executioni mandaret: Etenim postquam Christus, instituto Eucharistiæ Sacramento, cælesti pœne illum refecerat, e cænaculo sese proripuit, venditionem consumaturus; *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò*: Nec vero, exeundo, solam domum reliquit, sed a Iesu gratia, & amore longissime recessit; Quod Origenes Verbum illud, exiuit, expendens, adnotauit. *Et reuera*, inquit, *exiuit; non solum recedendo de domo, in qua tenebatur, sed omnino egressus est a Iesu*. At, quid in Eucharistica institutione proditor iste reperit, vt exinde ad perficiendam proditionem erupe rit? Auscultandus est D. Paulus, in Epistola ad Corint. de Christo, Sacramentum illud instituente, locutus, vbi ita habet: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*, & Apostoli verba expendentes, responsionem inueniemus. Christum hic Dominum vocat; *Quoniam Dominus Iesus* Fortè hoc titulo illustrauit: Quia iam ipsius passio instabat: id enim est, *In qua nocte tradebatur*; iuxta notam Hugonis, & Glossæ, *ac imminente iam passione*: seu, *in vespere noctis, in qua traditus fuit, captus fuit ad patiendum*. Non hæc tituli causa fuit: Eucharistiæ institutionem respexit, ac vbi primum Christum in ea occupatum descripsit, necessarium omnino censuit, domini appellatione illustrandum: *Accepit panem*, ait; ergo addat; *Dominus Iesus*, vt tanti sacramenti authoris maiestatem amplificet; ac, vt sanctus Thomas aduertit, doctrinæ suæ authoritatem conciliet. *Primo commendat authoritatem doctrinæ, ex parte authoris, qui est Christus*. Et statim agit de præstantissimo ipsius opere, quod est omnium mirabilium epilogus, sicut in psalmis legitur: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*. Chaldeus habet: *Memoriam bonam fecit, mirabilibus suis operibus*. Et apud Græcos, vt refert Lorinus, idem est memoriam facere, atque operari: *Græci*, ait, *multi memoriam facere accipientes pro eo quod est operari*. Itaque inter omnia Christi opera, præstantissimum fuit Eucharistiæ sacramentum, in quo ampliorem potentiæ, maiestatisque ostentationem edidit; & ideo Domini titulo tunc insignitur Dominus Iesus. Deinde eminente iam passione, & manifestata potentiæ magnitudine, dabatur occasio, in qua mors, vti solet, sagittas suas in eum dignitate, & potestate fulgurantem, dirigeret: quod aduertens proditor, optimam nactus occasionem, ex potestatis manifestatione in instituenda Eucharistia, ad venditionis executionem prosiliuit. *Cum ergo accepisset ille bucellam, exiuit continuò* Certus, quod in ea potestatis ostentatione, mortis vulnus effugere non posset.

Ioa. 13.

Orig. tra. 32.

1. Cor. 11.

Hug. car. ibi.

Christi fastus in mortis imagine.

S. Thom. ibi.

Ps. 110.

Chaldeus.

Lori. in P. 110.

Eucharistia præstantissimum Christi opus.

Traditus itaque est Dominus Iesus, & ductante Iuda, a militibus comprehensus, ad Pontifices deductus; tandem Romano præsidi præsentatus, qui nullam in eo mortis causam inuenire fatetur: *Ego*, inquit, *nullam inuenio in eo causam*; Quinimò, ne tamquam reus, liberari videretur, ex consuetudine, qua paschali tempore, ad populi arbitrium vnus vinctus liberabatur, post contestatam Christi innocentiam (vt excogitauit D. Chrysostomus) ad consuetudinem recurrit. *Non dixit*, ait, *quia peccauit, & dignus est morte: donate eum festo, sed primum eum excusans, tunc rogat ex abundanti, vt si nollent eum vt innocentem dimittere, saltem obnoxium donarent tempori*. En Romanus Præses, nullam mortis causam inuenisse testatur, vt Christum morti adiudicaret. Et D. Matthæus scribit. *Et po-*

Ioan. 18.

S. Io. Chris. hom. 83.

Matt. 27.

sue-

fuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam. Cui adhibenda eſt fides, Euangeliſtæ, an Gentili? Hic pro Chriſti innocentia ſtat, & ſine cauſa mori fatetur. Ille cauſam moriendi profert. At qualem? Regis titulum cruci affixum? & hic pro ſufficienti mortis cauſa reputandus eſt? Sin minus; quid cauſæ eſt, vt D. Marcus Chriſtum non vocauerit Ieſum Nazarethnum, ſicut fecerat S. Matthæus, ſed ſolummodo. *Rex Iudæorum*? Acuta eſt Angeli reſponſio ad hunc locum: nimirum volebat cauſam proponere, ob quam Chriſtus morti adiudicabatur, quæ erat Regis titulus: Nam, *Rex Iudæorum incompletus*, inquit, *eſt titulus, quem Matthæus ſcribit, Ieſus Nazarethnus Rex Iudæorum. Marcus cauſam facti, & necis Chriſti ſolum expreſſit: Nam quod eſſet Ieſus Nazarethnus, aut diceretur, nihil ad eos*. At vbi nam in Regis titulo, necis cauſa conſtituta eſt, vt propterea innocens capite damnetur? Pilatus quidem, poſthabita iuſtitia, Iudæis morigerari decreuerat (vt cenſuit Theodor.) & ideo mortis ſententiam pronunciauit: *Volebat quidem ſatisfacere populo; ideſt eorum facere voluntatem, & non quod erat placitum iuſtitiæ, & Deo*. Aliunde nolebat neci dedere, quem innocentem fatebatur. Quid ergo egit? conſcius, illud eſſe mortis ingenium, vt in honorem ac poteſtatem, cum ſecuriora videntur, ſeque ambitioſius oſtentant, ſagittas ſuas velut in ſcopum dirigat, Chriſtum Regis afficit titulo, in quo dignitas eminet, & poteſtas, vt eum ita mors inuadat, & certò telis ſuis transfigat: Atque adeo, quamquam innocens, non tamen ſine cauſa mori videatur. *Poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam. Hic eſt Rex Iudæorum*.

Mar. 15.

Fr. Aug. de [...]*as, in Mar. 5. cap. 26.*

Regis titu[lu]s, etiam in Chriſto cau[s]a mortis vi[d]etur.

Theod. in catena aurea.

Numquam innocens mo[r]itur qui potens obiit.

Adhuc tamen inquirendum ſupereſt, quod cum Pilatus, vt Iudæis placeret, Chriſtum capite damnauerit, & mortis cauſam, in Regis titulo conſtituerit, & ſupra caput morientis affigi præceperit. *Et poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam. Hic eſt Rex Iudæorum*. Vt in more poſitum erat, ſicut aſſerit Druthmaru Chriſtianus. *Conſuetudo erat apud Romanos, vt quando aliquis morti adiudicabatur, poſt omnium iudicium ſcribebatur cauſa pro qua occidebatur, & in loco vbi plectendus erat legebatur: & ex hac conſuetudine, Pilatus iuſſit ſcribi*. Nihilominus, non ſatis habuit ſi cauſa legeretur; voluit inſuper, vt ſuper caput affixa compareret? Hoc non ſine myſterio factum arbitror: præſertim, quia Iudæi, vt S. Chryſoſtomus, & Remigius adnotarunt, ferre non poterant, vt Chriſtus Rex Iudæorum diceretur, & ideo Pilatum rogabant: *Noli ſcribere Rex Iudæorum*. Cœlo tamen ita diſponente, ait S. Chryſoſtomus, Præſidis decretum inuertere non potuerunt: perſtitit enim, dicendo: *Quod ſcripſi ſcripſi*. Chryſoſtomi exclamatio eſt. *O ineffabilem vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta vox quædam Pilato intus, quodam (ſi dici poteſt) clamoſo ſilentio perſonabat?* Ita eſt. Quinimò teſte D. Remigio. *Diuinitus procuratum fuit, vt talis titulus ſuper caput eius poneretur*. Itaque Regius titulus, non ſolum ad Pilati imperium, ſed ad cæli ordinationem, & diuinæ operationis propoſitum, cruci ſuperponitur. At quid cæli intererat, vt titulus, in cruce ſuſpenſus appareret? Chriſti mors, cuius cauſa in titulo viſebatur, & dum Regis titulus non erat appenſus, ſuſpenſo arcu, & ſagittis ſiſtebat mors, expectans poteſtatis, ac honoris oſtentationem, vt arcum diſplodere, & Chriſtum occideret, interimque generis humani redemptio differebatur. Quid igitur cælum intus Pilatum in propoſito firmat: vnde ait, *Quod ſcripſi, ſcripſi*. Chriſtus itaque Regis titulo inſignitus, mortis factus eſt ſcopus, in quem mortiferam diſploſit ſagittam, & occidit: & quia in cælo notum erat hoc mortis ingenium, vt potentiam, & honorem, cum ſecuriora ſint, impetat, certoque euertat: ideo *Poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam. Hic eſt Rex Iudæorum*. Nec ſola hoc præſtitit Pilati præceptio, ſed diuina diſpoſitio ita ordinauit: *Diuinitus autem procuratum fuit, vt talis titulus ſuper caput eius poneretur*.

Mat. 27.

Chriſt. Druth. in bibliot. bo. mil.

Ioan. 19.

S. Io. Chriſoſ. hom. 84.

Nota.

S. Remig. ibi.

Nota.

Luc. 23.

Eſt etiam in hanc eandem rem adnotandum, quod Chriſtus Dominus, an-

antequam moreretur, caput inclinauit. Vt testis est Ioannes cap. 19. *Et inclinato capite, tradidit spiritum*. Quasi necessaria fuerit capitis inclinatio, vt mors intraret: Neque enim, vt notauit S. Chrysost. propterea caput inclinauit, quia expirauit, sed vt expiraret, quasi conditionem, illam capitis inclinationem præmisit. *Non autem*, inquit, *quoniam spirauit inclinauit caput: sed quia inclinauit caput, tunc spirauit: per quæ omnia indicauit Euangelista, quoniam omnium Dominus ipse erat*. Caput ergo moriturus inclinauit, quasi si non inclinaret, mortem ea inclinatione compellans, nequaquam moreretur. Hinc est illud D. Augustini: *Quis enim ita dormit, quando voluerit, sicut Iesus mortuus est, quando voluit?* At cur caput inclinat moriturus? Respondet Lyran. vt Æterno Patri omnimodam obedientiam præstare demonstraret. *Et inclinato capite tradidit spiritum; ostendens ex modo moriendi, quod moriebatur ex obedientia Patris, & non inuoluntariè*; Est enim capitis inclinatio obedientiæ signum; quo quilibet filius, patris præceptum se libenter impleturum demonstrat. Christus ex Patris præcepto; qui (teste D. Paulo) pro nobis illum tradidit moriturum, carnem induit. *Qui etiam*, inquit, *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, & se morriendi legi subiecit: Vt ergo legem illam libenter implere significaret, caput inclinat, antequam spiritum emittat; non enim ex moriendi necessitate, secuta est capitis inclinatio, sed mortem ipsam præuenit: quo respexisse videtur S. Chrysostomus, dicens: *Non autem quoniam spirauit Inclinauit caput: sed quia inclinauit caput, tunc spirauit*. Ea capitis inclinatione demonstrans, quod ob Patris obedientiam, non coacte, sed spontaneæ moreretur. Iterum Lyranus; *Ostendens ex modo moriendi, quod moriebatur, ex obedientia Patris, & non inuoluntariè*. Stetit itaque mors, nec ausa est Christum inuadere, quousque caput ille, in Paternæ obedientiæ demonstrationem, inclinauit: considerabat enim, ex parte diuinitatis, quod esset immortalis; propter humanitatem vero, nulla dabatur causa moriendi, vt contestatus fuerat Præses. Et quamquam postea causam ipsius scriptam cruci affixit, quandiu Christus erectum habebat caput, illam occultabat, & mors non videbat: ideoque suspensa manu expectabat, quò sagittam collimaret. Tunc Christus Paternæ obedientiæ, & mortis cupidus, necnon conscius, potestatem & honorem, cum securius sese ostentant, esse mortis scopum, caput demittit, Regius apparet titulus, quem vbi primum mors inspexit, collineatam displosit sagittam, & Christo vitam eripuit. *Et inclinato capite tradidit spiritum*. Ille expirauit, Patris obedientia impleta est, & Redemptum genus humanum. Mundo præterea contestatum reliquit, spontaneam fecisse vitæ oblationem: *Et quia inclinauit caput, tunc spirauit: ostendens ex modo moriendi, quod moriebatur ex obedientia Patris, & non inuoluntariè*.

Marginalia: Ioan. 19. — D. Io. Chrisost. hom. 84. — Christus caput inclinat, vt amarum Dominum se ostendat. — S. Aug. tract. 119. — Lyr. ibi. — Ad Rom. 8. — Christus obedientiam potentiæ copulauit, admonens potentes, ne hac freti, illam contemnant, quam summo Pastori prestare tenentur.



CAPVT X.

Quod nulla sit Vitæ actio, quæ morti non exoluat tributum, & eadem hora, qua admittitur culpa, funestis peccantium deliquijs, mors rigorosa pœnam exequitur.



IAM ad dicendum aperit Scotus, serm. 1. de Tempore, vbi ita definit: *Qui pulsat vitam, nunquam habebit requiem in peccatis*. Hoc est: egregie decipiuntur, qui vitæ pulsum explorant, si ex voluptatibus requiem, & ex delictis delectationem percipere sperant. Etenim delectatio, quæ ex peccato nascitur, non reficit animam, sed excruciat. Et ideo admonet Subtilis Doctor: *Non timeat iustus mortem temporalem, cui vita æterna*

Marginalia: Scot. serm. 1. de temp. — Vitæ pulsus ex voluptatum sequel. desumendus. — Scot. vbi sup.

na promittitur : potius timeat peccator, cui mors temporalis initium eſt mortis æternæ. Pulchra ſuaſio, licet enim iuſtus moriendi legibus ſubiaceat, & nihil aliud ſint omnes vitæ actiones, quam mortis tributa, ab omnibus exoluenda: quantumque varijs operum exercitijs deſtinemur, tantum ad mortem properamus, & omnis noſtra actio, eſt *tendentia ad mortem*, quæ; & ſi formidabilis ſit; attamen viro iuſto non eſt formidanda; quia cum moritur, viuere in cælo incipit, & mors non tam vitæ finis ipſi eſt, quam viuendi principium. Longe aliter ſe habet peccator, qui duplicem mortem, temporalem ſcilicet, & æternam ſuſtinet, Gehennæ incendijs cruciatus: & temporalis mors, eſt illi mortis æternæ principium: quia nulla eſt in hac vita actio, quæ tributum morti non ſoluat, & in ipſo delinquendi actu, mors inexorabilis, funeſtiſſimis defectibus, quos patitur delinquens, pœnam exequitur. Iuſtus, moriendo, temporale tributum ſoluit, æternum poſtea victurus. Peccator, cui culpa mortem attulit; nam *per peccatum mors*: vbi primum temporariam ſuſtinet mortem, non hic ſiſtit, ſed æterna morte damnatur, quæ ex temporali, tanquam ex cauſa, promanat: & ſicut optime definit S. Fulgetius, *Prima mors animæ, quam ſibi homo intulit, ſecunda mortis eſt cauſa. Et ſecundo mors, quam Deus homini reddit, primæ mortis eſt pœna. Et quia iſtam ſibi homo iniuſtus iniuſte intulit, illam a iuſto iudice iuſte percepit; vt quia in iſta volens, ſemen iniquitatis ſeminat peccator improuidus, in illa metat fructum punitionis inuitus.* Hæc ille: vbi vides, quod mutua viciſſitudine, temporalis mors, & æterna, quaſi quibuſdam catenæ annulis, ſint colligatæ. Delinquens homo, mortem animæ ſibi attulit: hæc temporalis cauſa extitit: temporalem, iuſtiſſima compenſatione, mors æterna ſubſequitur: dignum quippe eſt, vt promeritas iniquitatis pœnas luere iubeatur peccator, qui delinquendo temporalis, & æternæ mortis reus fieri voluit. Et in ipſo delinquendi articulo, temporalis mortis anguſtia prematur, & æternæ ſtatim ſubſecuturæ, formidine conſternetur. Propterea dixit Scotus: neminem voluptate fruiturum, qui vitæ pulſum explorat: dum enim in ſemetipſo culpam ſentit: pœnam inde oriturram præuider, & pro voluptate, dolorem, ac moleſtiam experitur. Timenda ergo peccatori mors eſt temporalis, quam æterna ſubſequitur. At iuſtus nullo mortis metu agitetur; quia, cum temporaliter moritur, æternum viuere in cælo incipit. *Non timeat iuſtus mortem temporalem, cui vita æterna promittitur; potius timeat peccator, cui mors temporalis initium eſt mortis æternæ.*

S. Fulgen. ad Monimum l. 1.

Mors peccati pœna.

Mors temporalis, & æterna in peccatore colligātur.

Homo fruitur voluptatibus qui vitæ pulſum nō explorat.

Hinc, ni fallor, eſt quod Seraphicus P. Franciſcus, ſub ſuæ conuerſionis initium, nihil aliud a Deo poſtulabat, quam quod ſequentibus verbis expreſſum reliquit: *Magne, & glorioſe Deus, & Domine mi Ieſu Chriſte, illumina oro te, tenebras mentis meæ: Da mihi fidem rectam, ſpem certam, & charitatem perfectam. Fac, vt cognoſcam te Domine; ita vt ego in omnibus, omnia ſecundum tuam ſanctam, & veram voluntatem perficiam. Amen.* Digna equidem terreſtri Seraphino oratio, in qua, vt vides, nihil temporale petit, nec vitam ambit, nec eſt pro morte ſollicitus, ſed ſolam Dei voluntatem, in ſe exequendam, obſecrat. Nouerat enim, quod in ſuis admonitionibus expreſſit: nihil præter culpam homini Chriſtiano exoſum eſſe debere; omneque ſtudium, & ſollicitudinem in peccati fuga, & declinatione conſtituendum eſſe. *Seruo Dei*, inquit, *nulla res debet diſplicere, præter peccatum*. Cæterorum cura, ſupernacanea eſt. Qui peccatum fugit, non eſt cur mortis, aut pęnæ metu concutiatur; cum enim pœna procedat ex culpa, qui culpam non admiſit, pœnæ non eſt obnoxius: & ideo *Seruo Dei nulla res diſplicere debet, præter peccatum*, quod eſt pœnæ ſeminarium. Vide ergo, quam bene Seraphicus Pater, reliqua oblitus, dicat: *Da mihi fidem rectam, ſpem certam, & charitatem perfectam.* His enim virtutibus, a mortis pauore liberatur iuſtus, cui, & ſi expectanda mors eſt, aſſiduaque meditatione, & bonorum operum exercitio præuenienda; nunquam tamen timenda, quoniam æternæ vitæ principium eſt. Non ti-

S. Franc. in orat. ſua conuerſionis.

Omne ſtudium chriſtiani in peccati fuga.

S. Franc. cap. 11. admon.

meat iustus mortem temporalem, cui vita eterna promittitur. Mortis pauor iste peccatorem exagiret, cui temporalis mors portam aperit ad æternam; nec moriendo requiem inueniet, sed æternis gehennæ cruciatibus mancipabitur: *Potius timeat peccator, cui mors temporalis initium est mortis æterne.*

Consanguinitatis nulla aduersio, vbi Dei offensa vlcifcenda.

Facit in rem præsentem memorabile sacrarum literarum exemplum: cum Moyses, e monte descendens, vt eos, qui deserto veri Dei cultu, vitulum aureum adorauerant, seuera animaduersione castigaret, ante castrorum ingressum consistens, eius delicti minime reos exhortatus est, vt districtis gladijs, absque vlla sexus, aut ætatis differentia; posthabito amicitiæ, & consanguinitatis respectu, quoscunque inuenirent, intrepide trucidarent. *Stans in porta castrorum ait: si quis est Domini, iungatur mihi: congregatique sunt ad eum omnes filij leui, quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel. Ponat vir gladium super femur suum; ite, & redite de porta, vsque ad portam, per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Accurrunt alacres, iubenti obtemperant, euaginatisque mucronibus, delinquentes animose adoriuntur, & tria millia, supra viginti, ex eis occiderunt, sicut ibi vulgatus habet interpres. *Cecideruntque in die illa viginti tria millia hominum.* Hebraica lectio numerum hunc, ad tria tantum millia restringit, *ceciderunt in die illa, quasi tria millia hominum.* Hæc autem numeri disparitas ex eo prouenit, quia (vt notauit Abulensis) lectio nostra, omnes indiscriminatim recensuit, vtriusque sexus, aut ætatis, qui fuerant occisi. *Dicuntur hic viginti tria millia, in illa die, defecisse gladio; non est intelligendum, quia isti computentur hic solum viri, sed omnes quotquot moriebantur, siue essent viri, siue fæminæ, siue parui, siue magni.* Hoc ille. At vero Hebræus solos numerauit interfectos, qui qualitate personæ, & grauitate culpæ, præcipui habebantur. Vnde nulla, in numerorum disparitate, repuguantia inuenitur. Iterum Tostatus. *Ista littera videtur repugnare litteræ Hebraicæ, quæ dicit. Ceciderunt in die illa quasi tria millia hominum. Dicunt aliqui, rationem huius diuersitatis esse, quia computantur in littera Hebraica solum illi, qui fuerunt occisi, tanquam principales in scelere idolatriæ: in littera nostra, computantur solum illi, qui fuerunt peccantes, & occisi, siue essent magis principales, siue minus principales.* Hæc pro numeri disparitate. Ad occisionem veuio, qua peracta, Moyses interfectoribus gratulando, sic est locutus: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Expendendum est, in hac Moysis gratulatione, verbum illud *Consecrastis*: quo vtens (vt aduertit, Abulensis) ritum indicat, quo sacerdotes consecrababantur; nimirum vnctis victimarum sanguine manibus, pedis dextri, & auricularum extremitatibus; *Et dicitur*, inquit, *consecrastis hodie manus vestras, sicut quando sacerdotes consecrantur per sanguinem arietum, in quo tinguntur extremitates pollicum pedis dextri, & manus, & extremitates auriculæ, vt patet Leuit. 8. ita vos consecrastis hodie manus vestras in sanguine fratrum vestrorum, & filiorum; & istud est sacrificium Dei.* Quod peragentes leuitæ, tanquam veri Dei ministri, diuino addicti obsequio reputabantur. Vlterius ponderandum est verbum, quod sequitur *hodie*. Hoc est in ipso delicti puncto, cum adhuc calerent Thura, & arietum sanguis ebulliret, quibus vitulo litauerant: non in alium diem supplicium differt, sed idololatriæ pœna, in ipso delinquendi feruore irrogatur; seueritas quidem est tanta supplicij acceleratio, necessaria tamen, vt viuis ad documentum inseruiat: Nec proinde crudelitatis damnanda, quam Moyses consecrationis elogio exornauit. Consecratio est, & Dei sacrificium, sumpta de hostibus vindicta; & occisores, tanquam sacerdotes consecrati, a Deo benedicuntur? ita quidem: nec ambiget, qui vitæ huius actiones considerat; nulla enim est a mortis tributo exempta: & mors ipsa adeo rigorosa in exigenda pœnarum pensione, vt in eadem delicti hora, inter funebre defectus, supplicium exequatur. Perbellè igitur leuitæ, qui Dei iniuriam vlcifcuntur, & in ipso

Marginalia: Exo. 32. — Lit. Hebr. — Abul. in Exo. q. 35. — Abul. ibi q. 6. — Exo. 32. — Abul. ibi q. 37. — Vitio peccatorum consecrat. — Pœna statim culpam sequitur.

ipso delicto, idoli cultores occidendo, rigorosam mortis pensionem exigunt, sacrificium Deo offerre, & manus interfectorum sanguine consecrasse, perhibentur. *Consecrastis manus vestras hodie*, in ipso delicti feruore, in eadem culpæ hora, supplicij pensionem exegistis, nulla delinquentibus pœnæ dilatione concessa. Quod tantum abest, vt crudelitatis nota maculandum sit, quod potius vos, quasi quodam consecrationis oleo sanctificet, & veluti sacerdotes victimarum sanguine perunctos, diuina benedictione cumulandos exhibeat: *Sicut quando sacerdotes consecrari debent, per sanguinem arietum, &c. ita & vos consecrastis manus vestras in sanguine fratrum vestrorum.*

Diuini numinis vltores quasi sacerdotes.

Pulcherrima Origenis allegoria, rem hanc illustro. Instabat tempus horæ sextæ, in qua, nondum completa, Christus fuit in cruce suspensus, vt placuit D. Chrysostomo; *Quando enim*, inquit, *crucifixus est, hora erat quasi sexta, idest non adhuc plenè sexta*, & tunc cælum densissimis fuit tenebris coopertum, ita quod vniuersus Orbis obscura caligine, refugo interim solis splendore, sepultus videretur. *A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam Terram, vsque ad horam nonam*: Quibus verbis significat Euangelista: non in sola Iudææ Terra, sed in vniuerso Orbe, diem mutatum fuisse in noctem, & tenebris vsquequaque sepultum, mundi honorem, atra caligine funestatum, omnem substantiam denigratam, stupuisse cuncta, & tenebroso silentio compressa iacuisse. *Tenebræ enim*, ait Angelus a Pace, *adeo densæ factæ sunt, non tam Hierosolymis, quam in vniuersam terram, quæ sub cælo est.* Mundus enim suum lugebat Authorem; & in mœstitudinis demonstrationem, nigro tenebrarum amictu, seipsum obnubit, vt facie quasi abscondita, & noctis velamine cooperta, licentiosius deploraret. *In hac igitur sexta hora*, & quod aduertit S. Bonauentura, *sexta ætate, & sexta feria Crucifixus est Iesus pro homine, qui fuit sexta die formatus*. Itaque numerus horæ sextæ eligitur, vt in ea hominis Redemptionem, moriendo, incipiat: in sexta

D. Io Chrys. hom. 88. in Mat.

Mat 27.

Descriptio Eclipsis.

Fr. Ang. de Pas. in Luc. 23. c. 46.

S. Bonau. ap Fr. Ang. de Pas. vbi sup.

etiam mundi ætate, & die, in qua formatus homo, vitæ beneficium, diuina inspiratione suscepit: Mira in hominis redemptione seruatur harmonia, vt qua die formatus, ipse viuere cœpit, eadem creator, homo factus, mori incipiat. Et mundus, ne morientem videret, præ dolore oculos suos tenebroso velamine cooperuit. At cur adhoc nonam horam expectauit? Cur statim, vt captus est Christus, atque ad Pontificem, & Romanum Præsidem delatus, suam lucem non abscondit? Cur solis radios non extinxit? Cur noctem, diei mortem, non illico præcipitauit, sed vsque ad horam nonam distulit? Mysterium, credo, est quod Origenes agnouit. Nimirum: Horæ correspondent diebus: cum autem homo, qui peccandi initium fecerat, die sexta fuerit creatus, congruum erat, vt Redemptor hora sexta in cruce confixus, moriendi initium faceret. Quod si culpa, & pœna se inuicem respiciunt: Adamus die sexta vitam auspicatus est, & culpæ reus, morti ianuam aperuit; ideoque secundus Adam, pro culpa moriturus, deficiente luce, mundum caligine obduxit, & in mortis præsagium, lunæ, & solis specula, nigro funestauit amictu: Deinde, quamquam in diei sextæ principio, culpa non fuit admissa, sed creatus homo; illam commissurus in hora sexta, etsi non moriatur, mori tamen incipiat, & tenebrosa mortis caligo arrha sit executionis. Quoniã, nulla est huius vitæ actio, a soluendo morti tributum exempta, & mors in ipso culpæ articulo, pœnam seuera nimis exequitur. Christus, qui pro homine patitur, pœnas culpæ ipsius debitas pendat. Et quando culpa die sexta incæpit, hora sexta pœnæ correspondentis executio incipiat. Quo fiet, vt Christus, pro primis Adam actionibus, quas viuens habuit, morti pensionem exoluat; Et illa funestissimis defectibus pœnam suam exequatur. Sed iam Origenes. *Duæ enim creaturæ, in sexta die factæ fuisse intelliguntur; ante sextam quidem animalia; in sexta autem homo, & ideo conueniebat, pro salute hominis morientem in hora sexta suspendi, & a sexta hora, propter hoc,*

Homo qua hora creatus eadem, & redēptus.

Culpa, & pœna se respiciunt.

Orig. tr. 35.

te-

tenebras fuisse factas super omnem terram vsque ad Nonam.

Pergo vlterius, & Christum respicio spirantem: nam instante hora nona animam exhalauit.

Mat. 27.

Et circa horam nonam, clamauit Iesus, & emisit spiritum. Hic in quæstionem vocari potest; cur is, qui horam sextam elegerat, vt moriendi initium faceret, quo hæc hora sexto diei responderet, in quo creatus fuerat culpæ autor, non in eadem moritur hora, sed solum tenebris cœlum obducit, & moriendi articulum, in horam nonam reseruat; atque adeo mysterium, quod in sexta hora incœpit, in hora nona, moriendo, absoluit. Elegans huius quæstionis est Stellæ responsio. Nimirum; quod sicut Adæ culpa completa fuit hora nona, ita Christi mors, culpæ illius pœna, in horam nonam reijceretur, vt eadem hora moriens vita, mortem ipsam destrueret.

Fr. Did. a Stell. in Luc. 23.

Eadem, inquit, *hora, qua Adam peccauit, Christus expirauit. Nam primus Adam post meridiem peccauit, quia mox vt peccauit, vocem Domini audiuit, deambulantis ad auram post meridiem, & tunc circa horam nonam, secundus Adam expirauit: vnde qua hora primus Adam induxit mortem huic mundo; eadem hora secundus Adam mortem, moriendo, destruxit.*

Eadem hora qua mors, vita intrauit in mundum

Itaque non satis habuit Christus, vt morte sua culpam primi hominis deleret, voluit insuper eadem hora e vita discedere, qua homo culpam admiserat: quippe cum nulla sit vitæ actio, quæ a soluendo morti pensionem eximatur; siquidem, in ipso delinquendi articulo, per funesta deliquia, pœnam rigorosè exequitur, Christus vero ad soluendam pœnam culpæ debitam, se obstringeret; idcirco, eadem hora, qua incepit culpa, & consumata est, pœnam soluere, per funebres defectus, accepit; & tandem moriendo, solutionem perfecit. *Eadem hora, qua Adam peccauit, Christus expirauit. Nam primus Adam, post meridiem peccauit: quia mox vt peccauit, vocem Domini audiuit deambulantis ad auram post meridiem, & tunc circa horam nonam, secundus Adam expirauit.*



CAPVT XI.

Quod adeo misera sit vita, vt qui viuit, ei propter vitam condolendum sit: & qui moritur, de morte congratulandum.



ADOLESCENS quidam viduæ filius, extra ciuitatem Naim sepeliendus efferebatur. Ecce tibi appropinquantibus ad portas Vrbis qui feretrum portabant, obuiam fit Christus, & matrem quæ ibi aderat, filij mortem acerbissime deplorantem intuitus, in comiserationis affectum iuit, lachrymarum profluuium in matre cohibuit, & filio vitam restituit. Miraculum refert S. Lucas cap. 7. his verbis. *Quam cum vidisset Dominus.* (hoc est matrem) *misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum* (*Hi autem qui portabant steterunt*) *& ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum Matri suæ.* Primo expendendum est, quod antequam mortuum suscitaret, matrem redarguit plorantem. Tantumdem enim sonuit D. Chrysostomo illud. *Noli flere*, ac si diceret: *Beneficium, Deus, hanc rem vocat, & tu ploras? Et quidnam faceres, si hostis, si inuisus, si inimicus esset defuncti?*

S. Io. Chrys. hom. 32. in Matt.

Miror equidem, vt Matrem viduam, vnici filij mortem deplorantem redargueret; quæ enim iustior esse potuit causa lachrymarum? quod maius ad dolorem incitamentum? Hæc ex D. Cyrilli sententia.

Mors adolescentũ quandoque beneficium.

Miseranda passio est, ad fletum, & lachrymas potens prouocare.

S Cyr. in cat. aur.

Et tamen a fletu cohibetur: quin etiam fletus ille, quasi quædam impia, & hostilis actio damnatur. *Quidnam faceres, si hostis, si inuisus, si inimicus esset defuncti?* Ergo non plangemus quos diligimus, cum mortuos intuemur? &

damnandæ sunt lachrymæ, quas in amicorum, & parentum, seu filiorum morte profundimus? quid sentiendum, & faciendum sit, docet Christi prohibitio. *Noli flere*, quam sic interpretatur D. Chrysostomus. *Iubens autem cessare a lachrymis, qui consolatur mæstos, monet nos, præsentibus defunctis consolationem recipere.* Vides, vt ad conspectum morientium flere nos vetet, & pro lachrymis lætitiam, & consolationem suadeat. Rectè quidem; nam de viuentibus tristari potius, & mærere debemus, & de morientibus delectari; quia qui viuunt miserijs subiacent, qui verò moriuntur, quiescunt, & a calamitatibus liberantur.

S. Io. Chris. super Noli flere.

Mors lętitiā, vita verò tristitiam deberet ingerere.

Vitam tibi ob oculos propone iucundiorem, qualem nimirum Rex magnus, & opulentus transigit, & in hac plus calamitatis inuenies, quam felicitatis. Quis Dauide maior, & opulentior? ipsum tamen de vita sua loquentem, ausculta. *Vita mea, & anni mei in gemitibus.* Hæc sunt bona, quibus viuendo fruimur. Non ergo plorandus est qui moritur, vtpotè ab his malis exemptus: ille deflendus est, qui viuit, & tot miserijs subiacet. Ideo Christus ploranti viduæ pręcepit a lachrymis temperare. Nos admonens, vt viuentes lachrymis, & commiseratione prosequamur, & morientibus, de bono mortis gratulemur. Ne dum quod mortui inimicū se exhibet, qui complangit, cum potius pro morte, tanquam pro magno Dei beneficio, gaudere debeat; qui enim moritur, quiete fruitur, & voluptate; qui viuit, infinitis calamitatibus est obnoxius: vnde qui diligis, viuenti compatere, & mortuo gratulator: etenim *Beneficium, Deus, rem hanc vocat, & tu ploras!* quasi nocuerit: *Et quid nam faceres, si inuisus, si inimicus esses defuncti?*

Ps. 30.

Defuncti inimicū se exhibet, qui plangit.

Aptissima sunt, in hanc rem, illa D. Ioannis verba, ex cap. 3. quibus instantem Christi passionem, & mortem significauit. *Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius.* Mirum est, & ponderatione dignum, quod Paschalibus gaudijs, mortis mærorem adiungat, & inter festiuitatis lætitiam, planctus, & lachrymas recordetur: quasi pœna, & gloria, hilaritas, & tristitia, luctus, & gaudium cohęrere simul possint. Non sine mysterio, arbitror, Paschæ, mortisque coniunctio facta est, præsertim si audio nominis ethymologiam, ex D. Augustino tractatu 35. vbi ita: *Pascha, non sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum; opportunissimè, tamen, occurrit in hoc nomine quadam congruentia vtrarumque linguarum; quia enim Pati Græce πάσχειν dicitur; ideo Pascha, passio putata est, vel hoc nomen a passione sit appellatum; in sua vero lingua, hoc est in Hebræa, Pascha transitus dicitur.* Itaque ex vtriusque linguæ consonantia, & deriuatione, vnum idemque nomen, & Pascham, & mortem Christi significat: eodem verbo dies festiuitatis, & passionis exprimitur; & quod Græci dicunt, pati, Hebræi transitum appellant: *Ideo Pascha passio putata est, & Pascha transitus dicitur.* Cernes ergo, vt eadem die, hora, nomine moriendi dolorem, & Paschæ lætitiam, passionis mæstitudinem, & festiuitatis hilaritatem copulauit. Cur ita fecerit planum fiet, si quod iam statuimus, memoria repetatur. Videlicet tam miseram esse vitam præsentem, vt ei, qui viuit, compatiendum sit, & qui moritur, ipsi de bono mortis gratulandum. Cum igitur hæc hora sit, in qua Christus est moriturus: hoc enim significant illa verba: *Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*: percommodè Pascha dicitur, quæ, & passionem, & transitum significat; quia Christo moriente congratulandum est, quod eo ita discedat, & mors non funebri mœrore, sed paschali iucunditate celebranda. *Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

Ioan. 13.

S. Aug. tr. 33.

Pati, & Pascha idem sonant, quasi & idem sint dies festus, & dies mortis.

Expendenda, vlterius sunt illa Christi Domini verba, discipulos, post Iudæ exitum e cœnaculo, alloquentis. Cœlesti pane cibatus proditor, *Continuò exiuit*, vt pactam venditionem consumaret: *Cum ergo exisset, dixit Iesus. Nunc clarificatus est filius hominis.* Et vero (vt aduertit Origenes) non de Diuinitatis, sed de humanitatis gloria sermo est. *Non enim, ait, immortalis vnigeniti verbi, sed hominis, qui*

Ioan. 13.

sa-

factus est ex semine Dauid, gloria hic narratur. At quærere fas est: in quonam huiusmodi glorificatio consistat? Planè in Christi passione, ex qua ingens in Deum gloria redundauit. Ita Origenes. *Si non in morte Christi glorificantis Deum illud verum est. Exuens principatus, & potestates, traduxit confidenter, triumphans in ligno. Et illud: Conciliatis per sanguinem Christi crucis suæ siue quæ in terra, siue quæ in cælis. In his omnibus glorificatus est filius hominis*. Hæc ille, & merito. Nulla enim Christo, quatenus homini, maior gloria, quam patiendi voluptate perfrui. Nec mirum est, vt mors pro gloria habeatur: quoniam, si ei, qui vitam amittit gratulandum est: percommodè Christus glorificationem suam in horam mortis distulit. Et quamquam Iuda exeunte, adhuc non esset præsens, inceptione sua, adesse putabatur. *Dicitur enim aliquid iam esse, quando incipit: passio autem eius extunc incipiebat, per quam fuit multipliciter clarificatus*. Ita Lyranus. Vt hac dispositione nos edoceret; quod in hora mortis iam appropinquante, de glorificatione, tam a terrenis, quam etiam a cœlitibus gratulandum esset: vbique enim mortis recordatio gloriam attulit, sicut (nisi fallor) innuit Origenes: dicens. *Conciliatis per sanguinem Crucis suæ, siue quæ in terra, siue quæ in cælis. In his omnibus glorificatus est filius hominis*.

Orig. vbi sup.

Christi maior gloria patiendi voluptas.

Lyr. in hunc locum.

Mortis recordatio gloriam attulit, & Christo.

Sed iam Christum cum proditore expostulantem ausculto. Cum enim proditor osculum proditionis signum, imprimeret, sic eum blandè interrogat: *Amice, ad quid venisti*? Quid sibi vult Domine Iesu, vt amicum dixeris eum, qui vt aduersarius te tradit occidendum? Fors, quia osculo, amicitiæ signo, id egit? Nec impudenter inuasit, sed tua reuerentia detentus, osculo sese occultauit, vt credidit Origenes, cuius hæc sunt: *Si autem aliquis quærat: cur osculo Iudas tradidit Iesum? secundum quosdam, quidem voluit reuerentiam ad Magistrum seruare, non audens manifestè in eum irruere*. Non equidem propter osculum dicitur amicus: quinimò, (vt placuit D. Ambrosio) redarguitur, eo quod amoris signum adhibuerit, vt inimici opus exerceret. *Iuda, osculo filium hominis tradis? Hoc est* (versat Ambrosius) *amoris pignore vulnus infligis, & pacis instrumento, mortem irrogas*? Cur igitur venientem vt hostem, & traditorem, tanquam amicum, salutat dicens: *Amice*? Respondet Lyranus: *Quasi dicat: tu ostendis amicitiam signo, & agis proditionem de facto*. Ego tamen, cui mori voluptas est, & passionem in delitijs repono, de opere tibi gratulor; quia licet illud aduersarij sit, & execrandum contineat facinus, quia tamen meo fauet desiderio, quo pro hominibus moriendi efferor, ac si in hac parte amicum te ostenderes, amicè excipio: Nam, dum osculo traditionem exequeris, dum mortem machinaris, meam procuras voluptatem, meam studes gloriam cumulare: & quia de morte mihi gratulandum est, non dolendum; idcirco te, qui osculo mortem ordiris, non hostem, sed amicum libenter compello. Tanto mihi charior, quanto mortem, quæ mihi in votis est, amicitiæ signo intendis. Quamquam vero mihi displiceat, quod osculo, amoris pignore, tanquam pugione me vulneres, quia mors placet, quam proditione moliris, amicum te dico. *At tu ostendis amicitiam signo, & agis proditionem de facto*.

Mat. 26.

Orig. tract. 35.

Luc. 22.

S. Amb. l. 10. in Luc. de osculo Iudæ.

Lyr. in Mat. 26.

Passio instorum volup. tas.

Captus a Iudæis Christus, tandem per vias Vrbis, ad patibulum defertur: interim fœminę quædam Hierosolymitanæ, obuiam factę, ipsum plangebant moriturum, quas vt vidit, a fletu abstinere hunc in modum suasit: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*. Et vero, vt edocuit Beda, non solum fœminæ Hierosolymitanæ, sed etiam plurimi, qui e Galilea Christum sequebantur, & ex vrbe non pauci, præ amore ipsum plangebant. *Notandum autem; cum filias Hierusalem appellat, quod non solæ, quæ cum eo venerunt a Galilæa, sed, & eiusdem Vrbis ciues, & mulieres adhæ serunt*. At cur luctum hunc, Christus, sibi dedignatur impendi, & plorantes, iustissima sanè causa mulieres redarguit? & vlterius super semetipsas fletum retorquere adhortatur? Siue enim plangerent, siue lamentarentur, quod di-

Luc. 23.

Beda c. 39.

uersum

uetum est. Etenim *lamentari*, vt dicit Angelus a Pace, *est voce dolorem ostendere. At plangere est corporis percussionibus, mæstitiam facti declarare*. Hinc est illud Ouidianum.

Fr. Ang. à Pas. in Luc. 22.

Ouid.

Plangere nuda meis, conabar pectora palmis.

Vtrumque prohibet Christus, quia non ex charitate procedebat. Et S. Bonauentura, has fœminarum lacrymas, passionis affectui, non charitatis attribuit. *Itaque ex passione Christum passum, & mortuum flere non vult idem, sed ex charitate.* Meritò dicuntur, ex charitate non plangere: quia morientis amor, has lachrymas non elicuit: cum enim tam misera sit vita præsens, vt viuenti miserandum sit quod viuat, & morienti congratulandum quod moriatur: Christo moriente, non plangere sed gratulari, & applaudere debuissent: ideo plangentes dehortatur, ac in seipsas luctum monet reflectere: quod perinde fuit, ac si de impendentibus malis commonefaceret, & illa prospiciendo, lachrymis prosequerentur. Do Theodoretum. *Mandat deplorantibus eum, in futura mala prospectum intendere, & super illis flere.*

S. Bonau ap. fr. Ang. à Pas.

Luctus qui ex charitate non prouenit prohibetur.

Theodor. ibi.

Proh miseram vitæ conditionem, solis fletibus, & lachrymis dignam; quantum decipitur qui te amat, & fouet: nihil enim hoc amore, & studio agit, quam in caput suum mala congerere. Nimium felix ille est, qui te perdit: Nec nisi ab inimicò, quia moritur deplorandus; qui enim amicum plangit morientem, inimicum illi se præbet nimis infensum: quia de eius beneficio, & fœlicitate dolet: vnde cum eo fas erit D. Chrysostomi verbis expostulare. *Beneficium, Deus, hanc rem vocat, & tu ploras? Et quidnam faceres si hostis, si inuisus, si inimicus esses defuncti?* Cui consultius ageres, si morienti gratulareris, & quod viueret illachrymares.

Vitæ iacturâ lugere, est in caput proprium mala congerere.

S. Io. Chris. vbi sup.

Accersitus, per Epistolam, a sororibus Lazari Christus, vt fratrem, & amicum, vita functum suscitaret, illicò viæ se dedit, & ad mortui tumulum accedens, lacrymas effudit: vt scripsit Ioann. cap. 11. *Lachrymatus est Iesus.* Porrò Christi fletus, ex D. Augustini sententia, nobis fit documentum, quo mortuos nostros plangere edocemur. *Quare autem*, inquit, *fleuit Christus, nisi quia homines flere docuit.* At miraberis, cur ipse pro amico lachrymas effundat, & viduam, filium vnicum deplorantem, redarguit: Noli flere: iure optimo, quia mater plorando, non amorem in filium, sed inimicitiam in aduersarium ostendebat. Cur ergo si fletus actio est inimici, amico illachrymatur, & præstat, quod in altero reprehendit. Quod si qui aderant, Christi lacrymas amori attribuerunt, dicentes: *Ecce quomodo amabat eum.* Error istorum est? An fallitur D. Chrisostomus, qui viduam plangentem redarguit, ac si inimici opus exerceret? *Quidnam faceres, si inimicus esses defuncti.* Neutrum est: Christus pro parte humanitatis, ex amore flebat amicum, quem statim, vt Deus reuocaturus erat ad vitam, & dolebat, vt in mundum regrediens, præsentis vitæ calamitates experiretur, & quem iam quiescentem in portu tenebat, ad mare hoc magnum, assiduis tempestatibus inquietum, retrahere nolebat. Fallar nisi hæc sit germana Alcuini sententiæ interpretatio: *Quia fons*, inquit, *pietatis erat, flebat pro parte humanitatis, quem resuscitare poterat, per potentiam diuinitatis.* Ergo Christi pietas has lachrymas elicuit, ex hoc fonte aquam hanc hausit amor, quam per oculos, ad sui ostentationem effudit. Et Christus, plorando, *homines flere docuit*: quid flere debeant; videlicet non amicorum mortem: Non enim propter hunc plorabat, qui antea dixerat. *Lazarus mortuus est, & gaudeo*, sed vitam miserijs, & calamitatibus plenam, quibus viuentes subijciuntur; Cum igitur Lazarus in vitam regressus, ipsius miserijs obnoxius fieri deberet, Christus, amicum diligens, plorabat, quem suscitando calamitatibus, quas iam moriendo euaserat, iterum subijciebat: Et huiusmodi lachrymæ, sunt amoris indices, testesque pietatis, vt egregiè conijciebant illi, qui aderant, dicentes: *Ecce quomodo amabat eum*: amabat, quia nolebat vitæ miserijs obnoxium reddere, quem per potentia suscitando, reuo-

Ioan. 11.

S. Aug. tr. 49.

Fletus Christi nostri eruditio fletus.

Nota.

Alcuin. in cat. aur.

uocabat ad vitam: Et hoc est quod homines flere docuit. Nec fletus iste reprehenditur, sed laudatur; quia non inimicitiam sed amorem ostendit. Dilucide rem hanc expressit Petrus Blesen. Epistol 174. *Christus*, inquit, *non pro morte Lazari, sed pro ipsius reuocatione ad miserias temporales planxisse dicitur, & luxisse*. Sic enim præsens vita misera est, vt viuentibus compati, & morientibus gratulari, & applaudere debeamus.

Petr. Blef. ep. 174.

Claudo Abrahami sacrificio, toties repetito, vbi expendendus mibi est clamor ille, quo feriturі parentis gladium cohibuit, & dexteram, in filij necem armatam retardauit. Cũ enim supra montem esset, & in Isaac iugulum ensem minitaretur, Angelus de cælo intonuit, & ictum cohibuit. *Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham Abraham: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam*. Porrò Angelus iste verbum Dei erat, vt censuit S. Augustinus, hunc in modum sciscitatus. *Nunquid non pepercit Abrahæ filio suo propter Angelum, sed in Angelo figuratus est Dominus, qui Deus est, & magni consilij Angelus*. At miror cur clamet, & clamor iste, sit lachrymis sociatus, vt nominis significatus ostendit. Quæ lachrymosi causa clamoris: Planè amor, qui in Angelo loquebatur. Ita Glossa Moralis, ad eum locum. *Per Angelum Domini loquẽtem cum Abraham, intelligitur charitas*. Amor ergo est qui plorando clamat, & clamando plorat, vt quid? Respondet Raulinus: *Clamabat de cælo, quia eum diligebat in terra*. Res mira? tunc clamat, cum vitæ reddit: lætari, & gaudere potius debuisset, quod quem diligebat, e mortis faucibus eripuerit. Ita faceret hostis. Atqui, non erat Isaac viuentem miserijs vitæ subijci, & mortuum ab ijs liberari? perbellè clamat, & plangit, cum à morte liberat, quem diligebat. Isaac moriens vitam amittebat miserijs plenam: viuens calamitatibus obnoxius relinquebatur; & ideo plangitur. Si enim verum est quod astruimus: compatiendum esse, & plorandum super eum, qui viuit, & gratulandum quod moritur. Cum morienti Isaac non posset charitas gratulari, quia viuus relinquebatur, retracta, clamore, patris dextera, ne filium occideret, eadem charitas, quæ *clamabat de cælo, quia eum diligebat in terra* suasit, vt fleret, quia vitæ miserijs obnoxium relinquebat, cui potius, quod moreretur, congratulari voluisset.

Gen. 22.

S. Aug. in qu sup. Gen.

Glos. mor. ibi.

Amor Dei suscitando plorat, quia vitæ reddit.

Io. Raul ser. 3 Adu.

CAPUT XII.

Quod in vita hac miseriarum plena, nemo sit a cauillationibus exemptus. Siquidem, ipsemet Christus suis operibus summopere cauit, ne hominum calumnijs obnoxia redderentur.



Ercultus Diui Chrysostomi calamus, visum cæco a Natiuitate mirabiliter restitutum, curiosè depingit, & omnes circumstantias, quas in eo patrando miraculo Christus adhibuit, solerter expendit. Primo enim in Terram expuit, lutum ex sputo, puluereque composuit, & cæci oculos illiuit, deinde, vt se lauaret præcepit: Ioannem ausculta. *Expuit in Terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, & laua*. Cæterum, quo fine, vt medicamentum illud conficeret, sputo vsus est, & aquam non adhibuit, quam petere, vel facilè creare poterat, vt nemo ambiget? Deinde; cur applicato saliuæ, puluerisque remedio, statim præcepit, vt aqua oculos abstergat? Nonne satius esset, vt aliquantisper applicatum oculis remedium, ibi manere pateretur? Ita planè dicendum videbatur. Aliter tamen fit: Nam pro aqua sputum adhibet, & statim oculos abluere præcipit. Causam reddit D. Chrysostomus in hunc modum. *Ideo autem non aqua vtitur ad lutum faciendum: sed sputo, vt nihil adscribatur fonti, sed discas, quia virtus oris eius oculos aperuit, & plasmauit, &* dein-

Ioan. 9.

Chris. hom. 56

deinde, vt non videatur, eis, ex virtute terræ esse curatio, iussit lauari. Ita ille. Adhuc tamen negotium mihi facessit ista Christi operantis cautela. Ille enim est miraculi operator. Ille manu sua præpotenti remedia disponit. Vt quid ergo in opere, quod humanæ potestatis limites transgreditur, ita diligenter cauet, ne aquæ vel terræ a circumstantibus adscribatur? Siquidem nulla, ad confetendum visum, in aqua virtus residet, & multo minus cum terræ permiscetur? Lutum enim ad cœcitatem potius, quam ad visum proficit. Vnde Chrysostomus: *Lutum solet magis excæcare*. Quid ergo causæ est, vt Christus adeo clarum opus, & immaculatum carpi vereatur? Et quod propria virtute egit, terræ, & luti virtuti tribuendum timeat? Dicam. Qui nam sunt huius operis spectatores? Porrò homines, quos vitæ præsentis miseriæ delectant, quorumque iudicio, & censura opus erit arbitrandum? Perbeliè igitur Christus, vt nos erudiat, in vita hac miserabili neminem esse a calumnijs exemptum, vt cæco visum tribuat, aquam non adhibet, nec lutum in oculis diu manere sustinet, sed festina lotione abstergit, quia calumniandi occasionem amputare voluit, licet enim suum esset tale opus, cuius solummodo est miracula edere; adhuc tamen hac opus erat vti cautela, vt hominum maledicentiam refrænaret. *Ideo autem non aqua vtitur ad lutum faciendum, sed sputo; vt nihil adscribatur fonti: Sed discas, quoniam virtus oris eius oculos aperuit, & plasmauit; & deinde, vt non videatur eis ex virtute terræ esse curatio, iussit lauari*.

Nemo à calumnijs exemptus.

Placet præfatum miraculum alterius non minus clari operatione collustrare, vt inde propositi instituti materies locupletior euadat. Ad Christi vocem, Lazarus iam quatriduanus, e tumulo se extulit. Ecce tibi Christus adstantibus imperat, vt surgentis ligamina soluant, & abire permittant. *Soluite eum, & sinite abire*. Abijt ille, ego tamen non possum non demirare, quod manibus ac pedibus ligatis cœperit ambulare, & non minoris credo virtutis, ac potentiæ, opus hoc esse, quam quod fuerit ad vitā reuocatus. Fauet mihi D. Chrisostomus, cuius hæc sunt. *Sed & hoc quod exibat ligatus, non minus videbatur esse, quam resuscitare*. Nunc autem scito: qua de causa non egit Christus, vt surgens Lazarus, ligamina pariter, ac funebria in tumulo relinqueret, ne postea solui a circunstantibus egeret? Qui enim suscitare potuit, haud dubium, quod verbo soluere potuisset. Ad quid ergo circunstantium operam adhibet, & ipsis iubet, vt Lazarum soluant, abireque permittant? Aptissima est in hanc rem D. Chrisostomi responsio. Propterea enim funebribus, & ligaturis implicatus surrexit, ne corpus aliquod phantasticum putaretur, & subinde voluit, vt adstantes, manuum contactu dum soluerent, humani corporis veritatem probarent. *Exijt autem, inquit, ligatus, vt non putaretur esse Phantasma. Et dicit eis Iesus: soluite eum, vt videlicet tangentes, & ei appropinquantes, videant, quia vere est ille*. Sed proh superi! opus adeo prodigiosum, quod omnem potestatem humanam superat, & a sola Dei potentia edi potest, tali indiget testimonio, & huiusmodi probationibus fulciendum est, vt contra hominum censuras stare possit? Nonne sat erat, Christum illius authorem esse, vt omnis calumnia obmutesceret? Ita quidem. At cum opus illud homines habuerit spectatores, eorumque censuram, ac iudicium esset subiturum, omnem præmittit diligentiam, & nullam prætermittit cautelam, etiam multiplicando miracula, vt a calumnijs eripiat, & indubitatum reddat aduersus hominum perfidiam. Qua ratione erudimur: adeo promptum esse hominum ad calumnias ingenium, vt nemo in vita præsenti illarum securus degat. Quandoquidem Christus eorum cauillationes veritus, operibus suis tot circunstantias adhibuit, vt maledicis obuiaret. *Exijt autem ligatus vt non putaretur esse Phantasma: Et dicit eis Iesus: soluite eum, vt videlicet tangentes, & ei appropinquantes videant, quia vere est ille*.

Ioan 11.

D. Chrysost. hom. 64.

Idem vbi sup.

Etiā Dei opera contra hominum calumniosas censuras fulcienda.

Non minus aptè in rem præsentem trahi potest, quod de Christi sepulchro D.Thomas eleganter expendit. Nesci-

turus enim Christus, adeo pauper videri voluit, vt Præsepe elegerit pro incunabulis. At moriturus, quasi diues esset, sepulchro nouo voluit tumulari. *Et in horto monumentum nouum, in quo nudum quisquam positus erat.* Ita Ioannes: vbi quærit D. Thomas. *Quare in sepulchro nouo voluit sepeliri?* & respondet: *Ne alia corpora, quæ ibi fuissent, resurrexisse crederentur, & non Christus.* Quasi dicat: propter adstruendam suæ resurrectionis fidem, hoc fecit: si enim sepulchrum esset vetus, in quo alia corpora iam ante sepulta extitissent, Iudæorum maledicentia non Christum, sed alium surrexisse affirmaret. Vt ergo eorum calumnijs obuiam iret, sepulchro nouo tumulari voluit. Cæterum cur ita temere calumniarentur, cum nullus, præter Christum, resurgere posset? ipsi enim soli, tanquam Deo, reseruatum est resurrectionis opus, & cuilibet alteri impossibile. Hoc est hominum ingenium calumnijs procliue, vt quælibet opera, quantumuis recta, & iusta, censura feriat, & cauillationibus impetat. Quod cum Christus optimè agnosceret, de remedio prouidit, dubitandi occasionem abstulit, & calumniatorum ora conclusit. Eruditio nostra hæc est, quia Christi opera calumnijs feriri non poterant, nostra sanè (vt nobis caueamus) opera identidem examini subijcientes: quia nemo a calumnijs viuit exemptus, ille pro suis sollicitus cautela vtitur, & opus adeo prodigiosum, quod omnem potentiam hominum transgreditur, vt ab eorum calumnijs liberet, tot cautionibus præmunit, defenditque. *In horto erat monumentum nouum, in quo nudum quisquam positus erat. Ibi ergo posuerunt Iesum, ne alia corpora, quæ ibi fuissent resurrexisse crederentur, & non Christus.*

Ioann. 19.

D. Thom. in Ioann. ca. 19.

Hominum ingenium calumnijs procliue.

FINIS PRIMI LIBRI.





LIBER SECVNDVS.

DE MISERIIS HVMANAE VITAE.



CAPVT PRIMVM.

Quod quicumque in vita præſenti potentiam, ac diuitias ambitioſe conquirit, pœnas ſibi congregat in futuram: quia humilitas, quam nunc viuentes fugiunt, torturam, amplius dolendam, ipſis in Inferno damnatis comparabit.

ALTERCATVS olim Michael Archangelus cum Diabolo ſuper Moyſis corpus (vt Iudas Apoſtolus cōmemorat) a proferendo blaſphemiæ verbo abſtinuit, & totius diſputationis iudicium ad Deum reuerenter, & modeſte retulit. *Cum*, inquit, *Michael Archangelus, cum diabolo diſputans, altercaretur de Moyſis corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ: ſed dixit, imperet tibi Dominus.* (Epiſt. Iudæ.) Quænam fuerit huiuſce diſputationis occaſio inquirit hoc loco Oecumenius: & reſpondet: Diabolum Moyſis corpus, occultatum, prodere voluiſſe, vt hac occaſione Iſraelitæ in Idololatriæ crimen prolaberentur; cui conſilio ſe oppoſuit Michael, Dæmonis intentionem euertens. *Poteſt ergo*, inquit, *videri quaſi fuerit certamen, & altercatio Michaelis cum Diabolo, volente corpus Moyſis reuelare, vt populum per Idololatriam deciperet.* (Oecum. ibi.) Sit ita, vt œcumenius opinatur: hoc mihi animaduerſione dignum apparet, quod refert Apoſtolus, videlicet, non auſum fuiſſe Michaelem maledictione percutere Diabolum, vtpotè malam creaturam, quod ſanè poterat. Et vero D. Cyprianus, apud Gloſſam interlinealem, verba illa: *Non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ* tātumdem valere (D. Cip. ma. apu. Glo. int.) exiſtimat, ac ſi diceret: *Non eſt auſus, vt malediceret ei, quaſi malæ creaturæ.* Sed cur ita reuerenter habet, quem, vt cæleſtis Militię Princeps, imperio premere, &

repre-

reprehensione cohibere poterat? cur ad Deum modestus pariter, & obsequiosus refert, quod potuit exercere? Auscultanda est peracuta Oecumenij responsio: ideo enim, ait, Michael a iudicio blasphemiæ inferendo abstinuit, illud Deo reseruans; vt aduersarium humilitate, quam in huiusmodi actione præferebat, omninò contunderet. *Michael*, inquit, *Archangelus diabolo sibi aduersanti, blasphemiam dicere noluit, sed modesto cum sermone coercuit*. Ita ille. Cæterum admirationi mihi est, quod Michael Dæmonem humilitate vincat, quando potentia vincere potuisset; qua de causa hoc egit? Planè, vt diaboli superbiam humilitate retunderet, quasi clauum clauo trudens. Porrò diaboli peccatum superbia, vt apud Isaiam inuenies: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo*. Hæc spiritus ille nequam, elatione tumidus. At vero Michael, vt nobis ostendat, in vita futura humilitatem, quam homines nunc detestantur, eis pœnam fore acerbiorem, luciferum, qui per superbiam deliquerat, humilitate corrigit: Atque adeo non tanquam cælestis militiæ Princeps seuere coarguit, sed ad Deum referens omnia, reprehẽsionem suam, verborum blandimento, temperauit. *Michael Archangelus, diabolo sibi aduersanti, blasphemiam dicere noluit, sed modesto cum sermone coercuit*.

Oecum. vbi sup.

Pœna peccato respõdet.

Isa. 14.

Humilitas superbis summa omnium pœnarum futura.

Placet rem hanc Christi ad iudicium venturi sponsione illustrare. Cum enim de suo aduentu loqueretur, maiestatem, qua conspiciendus erat, depingens, ita ait: *Et videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate*. Porrò ad maiestatis ostentationem eligitur nubes. Super quam, vt D. Chrysostomus adnotauit, Deus solitus fuit ascendere. Et ideo non aliter sese iudicandis conspiciendum dare par erat, quam in nube, quia sic iudicantis maiestas amplius radiabat. *Semper enim*, inquit, *Deus in Nube apparet, secundum illud. Nubes, & caligo in circuitu eius. Vnde & filius hominis in nubibus venit, vt Deus, & Dominus non latenter, sed in gloria digna Deo; & ideo subdit Cum potestate magna, & maiestate*. Quinimo non in vna tantum nube incedet: sed plures addet, vt ex nubiũ multiplicitate, maiestatis cresceat aspectus, quod censuit Origenes. Verba illius sunt. *Non super vnam nubem, sed super multas, quæ erunt vehiculum eius*. Quod vero dum Prophetis apparuit, nubem ad maiestatis manifestationem elegerit, non abnuo. Cæterum quando peccatores iudicaturus adueniet, ad quid pro ostentanda maiestate, non vnam tantum, sed plures nubes eliget? Quod nam in hac electione mysterium occultatur? Vt hoc aperiam, necesse mihi est nubis significatum explicare. Porrò Nubes Christi humanitatem designat, quam in summa humilitate, redimendis hominibus, assumpsit. At vero homines humilitatem fugientes superbiam, elationemque sectantes, voluptates, & diuitias ambitiosè conquirentes deliquerunt. Ergo conuenienter, dum ad punienda huiusmodi crimina Christus accedit, non in vna tantum nube, sed in pluribus apparere debuit, ex Origenis sententia, ad maiestatis augmentum; sed insuper ad multiplicanda humilitatis argumenta, quam homines in hac vita fugerunt, vt inde grauior ipsis tortura proueniat. Do Origenem. *Et Decet, patrem talia miranda dare filio suo, qui se humiliauit, & propterea exaltauit illum, non solum secundum spiritum, sed etiam secundum corpus, vt super talibus nubibus ueniret*.

Mat. 24.

D. Ioan. Chri. ibi. Ps. 96.

Orig. tra. 30

Nubes Christi humanitatis symbolum.

Orig. vbi su.

Facit in hanc rem illa Dei sententia, qua primum parentem, inobedientiæ conuictum, damnauit. *In sudore*, inquit, *uultus tui, vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Aliam hæc sententia pœnam continet, quàm Adæ fuerat minitatus: dixerat enim Deus: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*. Ergo vnam designauit pœnam, & aliam intulit. Nec enim terræ labor morti adæquandius est, vt pro morte reputetur. Nihilominus pœna mutatur, vt sentit Tostatus, qua Adam, cum proportione ad culpam illam afficiatur. *Finis ergo*, ait, *eiectionis Adæ fuit, ut in terra lueret pœnas*

Gen. 3.

Gen. 2.

Tost. in Gen c. 3. q. 24

debitas sceleri suo. Hæc Abulensis responsio, difficultatem sustulisse videbatur: auxit tamen, quid enim habet terræ subigendæ labor, vt in eo pœnam Deus inuenerit, quæ Adami peccato responderet? Per multum equidem, vt S. Antonius de Padua solerter expendit; quoniam humilitas igni persimilis est: sicut enim ignis superbas ædificiorum substructiones absumit, ac defauillat, sic etiam humiltas, instar ignis, superbos subigit, punit, & cruciat, ac in puluerem reducendos esse manifestat. *Ignis*, inquit, *est humilitas; quia sicut ignis alta petit, & humiliat, dura incinerat; sic humilitas superbiam inclinat, & dura corda, ad illud uerbum, cinis es, & in cinerem reuerteris, reuocat*. Nunc ergo: quoniam in eo stetit Adæ culpa, vt præ superbia, & ambitione diuinitatem affectauerit, plusquam sibi permissum fuerat appetendo: cum de supplicio inferendo agitur, pellitus ad terræ culturam, orbi datur, vt dum terram fodit, puluerem exciter, qui in memoriam reuocet, quod tandem in puluerem reuerti debeat, subindeque in ea humilitate, quam propter elationem contempsit, culpæ suæ pęnam inueniat, & cruciatum, quo acerbius puniatur. *Sic humilitas superbiam inclinat, & dum corda ad illud verbum, cinis es, & in cinerem reuerteris, reuocat. Vt in terra iueret pœnas debitas sceleri suo.*

Terræ labor, iusta originalis peccati pœna.

D. Ant. Pad. Dom. 2. post Trinit.

Ex D. Chrysostomi penicillo propositam imaginem peruenusto. Ecce tibi diues ille, apud inferos, Abrahamum obsecrabat, vt Lazarum ad se mitteret, quatenus digitum in aqua intingens, linguæ ipsius ardorem rantisper mitigaret. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Errorem appellat Chrisostomus hanc diuitis petionem, *Erras*, ait, *miser*. Cæterum, tanti Doctoris pace, non eiurasse videtur auarus: si enim ardore cruciabatur, quid aptius, quam vt aquam peteret, quæ illum extingueret vel sedaret? Nihilominus turpiter eiurauit, & Chrysostomus testatur, & censet D. Bonauentura: quoniam aquæ, e nubibus cadentes, humilitatem designant. *Ligat aquas*, inquit, *in nubibus, quæ per se descendunt, eas Deus in aere sustinet: qui se humiliant eos Deus in sublime ducit.* At vero diuitis culpa mea stetit, quod superbus, & fastu plenus, pauperculum Lazarum contempsit, in quo humilitas erat figurata. Pulchrè igitur erroris damnat Chrysostomus auari petitionem, qui in humilitate, quam in vita contempserat, in inferno leuamen inuenire sperabat. Erras miser, quia humilitas, quam viuens contempsisti, acerbioris tibi erit causa tormenti; & vnde ardoris remedium inuenire cogitas, inde grauior tibi dolor, cruciatusque enascetur.

Luc. 16.

D. Io. Chri. Conc. 2. de Lazar.

Auarus possidendi desiderio ardorem auget.

D. Bonauen. Dom. 16. post Pent. 2. par.

Clausulam adhibeo ex illa Iob narratione, qua Gigantes, sub aquis gementes, depingit. *Ecce gigantes gemunt sub aquis*. Haud dubium, quod hoc loco supplicium depingit, quo Deus mundi peccatores, cataclysmo deleuit, & inferni flammis addixit. Cæterum si flammarum torrentur incendio, cur sub aquis gemitus edere contestatur? satius esset, vt sub flammis gemere, & torreri affirmaret. Quasi plus doloris ex aquis perciperent, cum ijs submersi vitam amiserunt, quam ex flammis, quibus nunc cruciantur. At vero Gigantum culpa huius est causa discriminis. In quo nam isti Dei offensam contraxerunt? Planè superbia, & ambitione, qua elati, fabricata turri, cælum inuadere tentarunt. Aqua vero humilitatis est symbolum; quamuis enim in nubibus suspensa teneatur, suopte ingenio ad ima descendere nititur, & in terra frequentissimè conculcari. Cum ergo gigantes illi pœnas culpæ suæ debitas pendant, non immeritò in aquis hanc perpeti affirmat. *Gigantes gemunt sub aquis*, vt viuentibus nobis eruditionem præbeant, quod qui in vita præsenti, diuitias, potentiamque ambitiose conquirunt, pœnas sibi duplicatas pro futura comparant; siquidem humilitas hic contempta, ibi vertitur in torturam: *sub aquis gementes*, hoc est, humilitate in eis figurata discruciati; quasi plus ex humilitate, quam e flammis dolorem percipiant. Sed iam S. Bonauentura. *Gigantes gemunt sub aquis, qui cælum conscendere se putauerunt, ac iacta-*

Iob. 26.

Potentes, geminas sibi pœnas aucupāt.

D. Bonauen. Dom. 16. post Pent. 2. par.

ueruntʃij nunc sub aquis gemunt, ideʃt in infernum detrusi: & aquæ, quæ super cælos sunt ligatæ, videlicet in nubibus, scilicet humiles ab ipso exaltati; gigantes tenent sub pedibus, veluti scabellum pedum suorum.

Gigãtes humilium scabellum.

Hinc infert Seraphicus Pater meus Franciscus, grauissimum esse illorum errorem iudicandum, qui humilitatem toto animi affectu, non amplectuntur. Sin minus dicito, mortales expostulat Franciscus. Quid vos ab humilitate accersit? Diuitiæ, honores, officia dignitates? At instante mortis hora, quid ex his commodi moriturus consequetur? Nihil nisi rationem Deo reddendam, quibus medijs, qua industria res huiusmodi conquisiuit. Vude non mediocris confusio enascetur. Quodque hominum corda amplius allicit, hoc Deus abominatur, & apud ipsum nihil æstimatur: Et reuera, quantusquisque apud Deum est, tantus, & non amplius reputari debet: Quin etiam, si in vita præsenti humilitatem contemnat, & fugiat, in futura grauiores, ab eadem cruciatus, sustinebit. *Stultum ergo est*, inquit, *humanis extolli fauoribus, aut de terrenis superbire. Quod altum namque est apud homines, abominatio est apud Deum, & quantum homo est in oculis Dei, tantum est in se, & non plus.*

S. Fran. Ora. 5. Humilit.



CAPVT II.

Quod in misera huius sæculi vita, nihil aliud sit viuere quam potentia; diuitijsque abundare, qui enim sine huiusmodi viuit, mori potius videtur, quam viuere.



PLVRIMA, magnique æstimanda in Adamum beneficia Deus contulit, quando proprijs manibus, e luto formatum, in paradiso constituit, dominatu super omnes creaturas extulit, & omnia suo subiecit arbitrio, vna tantum arbore excepta, de cuius fructu ne ederet, morte interminata, prohibuit. *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hæc Dei sententia, quam discutiens S. Augustinus, hunc in modum sciscitatur. Quænam isthæc est mors, quam Adamo Deus minitatur? animæ ne propter culpam, an corporis, vel vtriusque simul? vnam, & alteram, respondet, comminatus est Dominus. *Cum quæritur*, inquit, *quam mortem Deus fuerat comminatus vtrum animæ, an corporis, an totius hominis in illam, quæ secunda dicitur? Respondendum est, omnes.* Augustino adstipulatur D. Ambrosius; sed quamquam duas mortes concedit, vnam executioni, pro tunc minime daram affirmat, dicens: *Duplex mors significatur Animæ, Domino discedente, qui est eius vita, vel corporis, quam in fine vitæ accepit.* Itaque mors corporis differtur, ac in finem vitæ protrahitur, vt Ambrosij verba sonant.

Deus vitæ Animæ.

Cæterum; cum vtraque mors fuerit comminata: cur moriente post culpam anima, corpus etiam non moritur, sed seruatur? Antequam responsio adhibeatur, videndum est, in quam aliam pœnam, hæc mortis sententia, fuerit commutata. Et quidem Gen. 3. dicitur. *In sudore vultus tui vesceris pane.* At pœna hæc morti non æquiualet: licet enim, testante Procopio, magno subiecerit labori; quinetiam tempore colligendi, vt agricolis non raro accidit, fructu laboris fraudatum se experiretur, *His uerbis*, ait, *indicat calamitates, & miserias, quæ occurrunt agricolis plerumque, vt post infinitos labores, nihil, aut parum fructus percipiant.* Verum, neque sic huiusmodi labor cum morte conferendus est. Cur ergo loco mortis irrogatur? Respondeo. Adamus, in paradiso, diuitijs erat opulentus, potentia clarus, delitijs affluens: si propter culpam morte erat mulctandus vitam non auferat Deus, sed calamitatibus supponat: diuitijs namque, & potentia, quæ sunt vitæ huius miserabilis vita, spoliatus, ita viuet, vt potius mori videatur. Proindeque, cum magis mors interminata differtur, quam in

Procop.

Potentia, & diuitiæ, vitæ huius vita.

fine

fine vitæ accepit, non ei parcit, sed magis deseruit, sudoribus, & laboribus subijciens. *In sudore vultus tui, vesceris pane*. Et vero sola paupertatis cognitio, mors illa futura erat; qui enim inops viuit, semper mori reputatur.

opes sem- per mori re- putantur.

Porrigit mihi facem, vt vlterius pergam S. Ambrosius, expendens illam Dei vocationem, qua Adamum post culpã conueniens sic cum eo expostulabat. *Vocauitque Dominus Deus Adam & dixit ei: vbi es?* non poterat Deus locum, in quo Adam stabat ignorare, & proinde, vt notat S. Ambrosius, non de loco, sed de statu percontatur. *Vbi ergo es?* inquit, *hoc est, non in quo loco, quæro, sed in quo statu*. Nouerat quidem hominis statum, & totum præsente Adamo conspiciebat; inquirit tamen, quia vnum ex altero manifestatur. Qualis primò fuit Adam in paradiso constitutus, iustitia originali præditus, rerum omnium dominator? Qualis nunc cernitur post culpam? stola gratiæ spoliatus, miserijs obnoxius, & nuditate verecundus: atque ex hac status differentia oritur, vt Deus ex ipso, per ipsum inquirat. Nec immeritò quoniam sicut diximus: qui potestate caret, diuitijsque, licet viuat, mortuus reputatur, quia in illis vitæ huius vita consistit; cum Adam diuitijs orbus, & potestate viduatus aspicitur, etsi corpore viuus sit, mortuus tamen videtur, ideoquè de illo, tanquam mortuo quæritur, vbi sit. *Vbi ergo es? Hoc est, non in quo loco quæro, sed in quo statu*.

Angelus, Iosepho locutus, materiam nobis præbet, vnde propositum institutum, non mediocriter, illustrare possimus. Ergo inter dormiendum apparens, ita fatur, vt Matthæus cap. 2. commemorat: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in AEgypto, dicens. Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & uade in terram Israel, defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri*. Hæc Angelus: in quibus nonnulla videtur contradictio reperiri, si D. Ambrosio credendum est. Nam si Herodes mortuus fuit: quomodo, plurali numero, multos vita functos fuisse testatur. *Sed quæritur*, inquit, *quare dicit sunt; Non enim nisi*

Matt. 2.

Herodes mortuus erat. Instat insuper D. Remigius: *Sed si multi fuerunt: quomodo in tam breui spatio extincti sunt? Quia ut dictum est, Herode mortuo, occisi sunt omnes maiores, qui in custodia tenebantur*. Idem Remigius sibi respondet, dicens: *Certè locutus est Euangelista per speciem tropi, quando multi ponuntur pro uno*. Quasi, hac ratione, vellet vnius mortui certitudinem magis inculcare. Nunc autem inquiro: qua de causa in referenda Herodis morte, tropis vtitur, & cum Herodem scripserat mortuum, nunc plures obijsse affirmat? satis, superque Herodis mors testata relinquebatur, dicendo. *Defuncto, autem Herode*: vt quid ergo addidit. *Mortui sunt*: quasi plures obierint? In promptu responsio est, Herodes rex erat, qui fauore suo, ac potentia multos locupletauerat: illo autem mortuo, cum fauor Regis, diuitiæ, potentiaque defuissent, quæ vitæ huius miseræ vita sunt, quamuis adhuc viuerent, per tropum quemdam, seu figuram, mortui referuntur. Et reuera: quicumque in vita præsenti diuitijs, ac potentia sunt destituti, licet viuant, mortui tamen sunt, & pro mortuis iudicandi. Ideoq. Euangelista, vita functo Herode qui potentia, fauoreque suo plurimos sustentabat, illi etiam rebus eiusmodi spoliati, tropicè, & figuratè mortui dicuntur. *Ideo locutus est Euangelista per speciem tropi, quando multi ponuntur pro vno*.

Deficienti- bus diuitijs, & vita defi- cit.

Aliquid luminis, ad hanc rem amplius illustrandã, ex annorum numero, quibus vixit Adam, non temerè mutuabimur, ergo ait sacer textus. *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & similitudinem suam, uocauitque nomen eius Seth, & facti dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni*. Quo numeri additamẽto completur annorũ numerus, quibus noster vulgatus interpres Adamũ vixisse perhibet. *Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti, & triginta, & mortuus est*. Verum D. Hieronymus, & Martyr Methodius, cũ septuaginta Interpretibus aiunt, Adam cum genuit Seth, ducentos, & triginta annos habuisse, & postmodum octingentis vixisse, ex quibus anni triginta, supra mille

con-

conficiuntur. Methodius Martyr (ait Abulensis) & septuaginta interpretes dicunt, quod ducentorum triginta annorum erat Adam, cum genuit Seth. Ergo vulgata centum vitæ annos illi adimit, quos vixisse septuaginta affirmant? ita quidem, & rationem reddit, ex Methodio, Lyranus dicens. *Secundum Methodium, & aliquos Doctores, hic tacentur centum anni vitæ Adæ, quibus luxit Abel.* Assentitur Abulensis, & ex Hebraica lectione ita deduci, non sine auctoribus, opinatur. *Secundum hoc*, ait, *volunt quidam Doctores, quod littera Hebraica tacuerit centum annos, quos Adam tenuit in planctu pro Abel filio suo.* His ita diggestis, quærendum est: cur vitæ anni, quos in ploranda filij morte consumpsit, non hic numerantur? nonne hos vixit? Planè vixit: quære ergo, quasi non vixisset, tacentur; Antequam respondeam, quæstionem alteram præmitto. Eiectus ex paradiso Adam, pauper, inops, potentia, qua fruebatur priuatus, in quo, omnia hæc iterum restaurādi spem collocauit? planè in fœcunda generatione, numerosaque filiorum prole, quibus perditas diuitias, honores, gloriam, dominatum recuperare sperabat, quæ omnia, mortuo Abele, euanuerunt; quoniam (vt ex Hebræis refert Lyranus) Caim non solum occidit Abel, sed etiam quotquot ex eo erant nasciturі. Hinc est, vt Deus Caimo locutus, plurali numero dixerit. *Vox sanguinum fratris tui.* *Notandum*, inquit Lyra, *quod in Hebræo habetur vox sanguinum fratris tui. Et dicunt Hebræi, quod dicunt sanguinum in plurali, eo quod Cain interficiendo fratrem suum fuit reus sanguinis, non solùm ipsius Abel, sed etiam omnium quos genuisset, si vixisset.* Egregiè igitur prouisum est; quoniam si ille, qui absque diuitijs, & potestate viuit, mori videtur; quia huius miserabilis vitæ diuitiæ vita sunt: anni, quos Adam in deploranda diuitiarum, honorum, potentiæque iactura, consumpsit, in eius vita nequaquam numerentur, ac si non vixisset. *Hic tacentur centum anni vitæ Adæ, quibus luxit Abel.*

Dies luctus rerum mortalium, non computātur ad vitam.

Gen. 4.

Reus sanguinum quis dicatur.

Sic innuit sacerdos Achimelech, ad cuius domum cum accessisset Dauid, quem cum ille intueretur, sic est allocutus. *Quare tu solus, & nullus est tecum?* Miratur hoc loco Lyranus: quare sacerdos Dauidem solum aduenisse dicat, cum tamen paulo post, panem sanctum daturus, interrogauerit, an mundi essent pueri, qui Dauid comitabantur? Ergo non solus aduenerat. Fateor cum Lyrano, cuius verba sunt. *Non est intelligendum, quod nullus esset cum eo, quia infra quæsiuit Achimelech si mundi sunt pueri? vt Matthæi 12. dicit Saluator: nunquid non legistis, quid fecerit Dauid, quando esurijt, & qui cum eo erant? Ex quibus patet, quod aliqui erant in comitatu suo.* Si igitur comitatus aduenerat; quare solum venite pronunciat? quod nam in hoc latet mysterium? Respondet in hunc modum Lyranus. *Aliqui erant in comitatu suo, sed pauci respectiuè, & in comparatione ad illos, qui soliti erant cum eo ire.* Vidit Achimelech, quod Dauid Regium, vt solitus erat, comitatum non deferebat, sed fugienti similis, & famelicus, ita vt panem mendicaret: & facta comparatione maiestatis antiquæ ad præsentem, statim ac Dauid sine fastu; potentiaque apparebat, tantumdem hoc existimauit, ac si solus veniret: quin etiam veluti mortuum reputare posset, quoniam deficientibus diuitijs, & potentia, quæ miseræ huius vitæ vita sunt, ipsum viuere mori est, atque adeo qui viuit, mortuus debet existimari: quia vero Achimelech, eos qui Dauid comitabantur, in hoc sensu, mortuos iudicabat; ideo illum sine comitatu venire affirmat. *Aliqui erant in comitatu suo, sed pauci respectiuè, & in comparatione ad illos, qui soliti erant cum eo ire.*

1. Reg. 21.

Fastus vitæ Principis, si fiue diuitij pone mortuus.

Adhuc tamen pro re, & loco discutiendum est, quod petenti panem Dauid, Achimelech panes laicos, & cōmunes non habere responderit, & præterea non ita certus de statu Dauid, ad panem sanctificatum comedendum illum nihilominus admisit, *Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem.* Et verò, vt testatur Rabanus, citra casum maximæ necessitatis, nefas erat panes huiusmodi laicis concedere. Nisi, inquit, necessitate corporis, & periculo vitæ vrgente, non vesceretur. Quare ergo Dauidi, non ita egenti, nec in vitæ pericu-

lo constituto sacerdos panem dedit sanctificatum. Respondeo, panem hunc Eucharistici panis figuram esse, vt censuit D. Ambrosius dicens: *Intrauit Dauid in Domum Achimelech sacerdotis, demonstrauit etiã typus, quod Christi corpore cibus fidelibus pararetur, vt Christi corpus assumeret fidelis, nec esuriret:* At vero panis Eucharisticus, vt apud Ioannem habetur, vitam ea carentibus impertitur. *Qui manducant hunc panem viuet in æternum.* Cum ergo is qui potestate, & diuitijs caret, etsi viuat, mori videtur, quia potestas, diuitiæque vitæ huius miserabilis vita sunt: quando Dauid ijs priuatus ad sacerdotem accedit, mortuus creditur, ac vt vitam largiatur, panem sanctificatum (Eucharistici panis figuram) concedit, & Dauidem in tali statu positum, velut grauissima necessitate pressum, & periculo mortis obiectum; quin etiam mortuum existimat, quo fit, vt iudicet licitum panem ei sanctificatum porrigere: *Dauid autem. Nisi necessitate corporis, & periculo vitæ vrgente non vesceretur eis.*

Potentia destitutum viaticum non dedecet.

Non hic sisto, sed illam Saulis responsionem expendo. Cum enim Samuel ipsum redargueret, eo quod diuinum præceptum, de destruendo Amalec non obseruauerit, ipse respondit: *Quinimò audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam misit me Dominus, & adduxi Agag Regem Amalec, & Amalec interfeci.* Hæc Saul non ita verè, & congruenter Deus, enim ei præceperat, vt nemini parceret, sed omnia prorsus destrueret. Ipse tamen gregem reseruauit, & Agag Regi vitam donauit, factus diuinæ iussionis transgressor. Cumque Samuel cum ipso de inobedientia expostularet, se diuino mandato obtemperantem præstitisse affirmat. Quod aduertens Lyranus, Saulem vt sibi contrarium redarguit. *Verumtamen*, inquit, *in sua defensione contradicit sibi; sicut frequenter contigit malis hominibus, dicenti, & adduxi Agag Regem Amalec, de quo fuerat sibi præceptum, vt interficeret eum.* Si ergo iussus est interficere, quomodo, parcendo, Dei mandatum dicitur executus, vt Saulis nomine fatur Abulensis. *Non est sic, quod ego non audierim vocem Domini, quia audiui, idest obediui ad plenum.* Proh superi? vbi nam est plena mandati obseruatio, si viuum re seruat, quem iubebatur occidere? Porrò, quia gregum magnam partem interfecerat; bona destruxerat, & subditos vita priuauerat, in hoc obedientiam constituit, si Abulensi credendum est. *Existimabat enim Saul, quod quamquam seruasset viuum Regem Agag, & pecora, tamen impleret mandatum Domini, eo quod occideret quædam de pecoribus, & totum vulgus Amalecitarum.* Hæc ille: ex quibus noua oritur difficultas. Qua namque ratione dicit, *obediui ad plenum*: Seruato Rege, & grege, si omnia destruere, & extinguere præcipitur. Qui omnia iubet, nihil vult esse exemptum. Vnde, qui aliquibus pepercit non obediens, sed præcepti transgressor inuenitur. Nihilominus quia Agag vinctus, & captiuus diuitijs, potentia, magnitudine, clientibus, libertate fuerat spoliatus, & si viueret quasi mortuus putabatur; quia si diuitiæ, & potentia desint, quæ huius vitæ miserabilis vita sunt, is, qui viuit, viuere minimè videtur, sed mori. Atque adeo licet Agag parcente Saule viueret; quia tamen diuitijs, & potestate erat spoliatus, mortuus credi poterat: ideoque Saul dicere potuit. *Audiui, idest obediui ad plenum, existimabat enim Saul, quod quamquam seruasset viuum Regem Agag, & pecora, tamen impleret mandatum Domini, eo quod occideret quædam de pecoribus, & totum vulgus Amalecitarum.*

1. Reg. ca. 15.

Peccatores se ipsos decipiunt.

Non recedamus a Saule, sed de infelici illius interitu propositum institutum confirmemus. Ergo ille in monte Gelboe, desperatus, manus sibi attulit violentas, & super gladium viuens, semimortuus consistebat. Cumque illuc Amalecita quidam appropinquaret, Saul ipsum rogauit, vt desuper incumbens, prorsus occideret, ille vero moribundo compatiens obediuit, & de medio sustulit, sicut postea Dauid retulit dicens: *Stansque super eum occidi illum: sciebam enim quod viuere non poterat post ruinam.* Porrò iste Amalecites mendax inuenitur, dum ait, ideo interfecisse Saulem, quia sciuerat, ipsum post ruinam viuere non posse. Cur

2. Reg. cap. 1.

enim

enim non viueret Regno, potentia, diuitijs, amplitudine, & maiestate carens, qui absque huiusmodi rebus fuerat educatus. Verius dixisset, propterea interfecisse, quia cum gladio esset transfossus, & vulnus esset mortiferum, euadere non posse. Cæterum, vt notat Abulensis, iste hoc subterfugio crudelitatem suam, & impietatem nixus est excusare. *Posuit autem*, inquit, *hac nuntius ad excusationem suam, quia poterat dicere Dauid, quod iste male occiderit Saulem: nam poterat viuere aliquo modo, si iste non occidisset eum. Ideo iste respondet: sciebam enim quod viuere non poterat post ruinam, & ob hoc occidi eum, tanquam faciens ei gratiam.* Ergo iste vitam abstulit, & gratiam contulisse perhibet, quod constare nequit; nullum enim beneficium, nulla gratia sine vita æstimabilis est. Cæterum non incongruè locutus est dicendo, *Tanquam faciens ei gratiam*. Cum enim Saulem post magnam adeo stragem, amisso Regno, & opibus, & mortifere vulneratum reperit, indicans vitam, in qua diuitiæ, ac potentia desunt, quæ vitæ huius miseræ vita sunt, morti similem esse: quamquam fors vulneratus superuiuere posset, quasi beneficium conferens, occidit, & mortem acceletans, a prolixiori morte liberauit. Nam si post ruinam potestate, & diuitijs priuatus superuiueret, mori potius diceretur; quia is qui sine potestate, & diuitijs viuit, non viuere, sed mori creditur? Ergo Amalecites gratiam Sauli contulit, quia, sic occidendo, a prolixiori morte, magisque dolenda, liberauit. *Sciebam enim, quod viuere non poterat post ruinam, & ob hoc occidi eum, tanquam faciens ei gratiam.*

Abulens. in 1.Reg.1.q.7.

Iniquis aliquãdo mors pro gratia.

2.Reg.1.

Opibus spoliato mors non ingrata.

Iuuat adhuc in Saulis interitu demorari, & eum iam moribundum, armigero suo loquentem auscultare. Ergo post quam ipse, vt 1. Reg. 31. dicitur, gladio se transfodit, angustijs vndeque circumseptus, armigerum obsecrabat, vt penitus occideret, ne fortè venirent Philisthæi, & viuum adhuc inuenientes, illuderent, postmodumque interficerent. *Dixitque Saul ad armigerum suum: euagina gladium tuum, & percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi*: Quid agis Saul? quænam isthæc est moriendi festinatio? nihil vita dulcius, & sic hanc veluti amaram odisti, & estinguere properas? Quænam ad hoc causa te impellit? vel quid iucundum in morte inuenis, vt ita vehementer appetas? Pro Saule respondet Iosephus, dicens. *Cum Saul iam futura nosset, & mortem sibi imminere, propheta prædicente, cognosceret, non fugit, nec amore vitæ suum prodidit exercitum inimicis.* Hæc ille: verum Samuel Sauli non intimauit, quod vita, sed quod Regno esset spoliandus. *Quia proiecisti*, inquit, *sermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel.* Et paulo post: *Scidit Dominus Regnum Israel à te hodie.* Cur ergo Iosephus, in hac morte, Dei sententiam impleri affirmat? quia sententia solum continet regni spolium, executio sententiæ ad vitæ priuationem ordinatur. Saul mortem sibi impendere cognoscit, Samuel regni amissionem solummodo prædixerat, quæ ambo contraria sunt. Quomodo Iosephus simul coniungit? Aptè quidem, quoniam, cum in vita hac miserabili, præter diuitias, & potentiam nulla sit vita; dum Sauli indicitur, quod potestate, diuitijsque sit spoliandus, perinde fuit, ac si contra ipsum mortis sententia proferretur. Hinc est, vt cum primo se ab hostibus victum, Regnoque spoliatum agnouit, iam non viuere cogitauit, ideoque mortem ambit, & sollicitat, periculi impauidus. *Cum Saul iam futura nosset, & mortem sibi imminere, prophetæ prædicente, cognosceret, non fugit, nec amore vitæ suum prodidit exercitum inimicis.*

Reg.31.

Ioseph. de antiq. ibi.

1.Reg.15.

Nil de vita cogitat qui diuitias amittit.

Ios. vbi sup.

Addo etiam hic, quod notat Philippus Alexandrinus, videlicet montes, situ suo, fugientium liberationi accommodatos existere. *Naturaliter enim*, ait, *montes ad calandos fugitiuos sunt appositissimi, & ad non prodendos.* At vero Saul in montibus Gelboe erat, & loci commoditatem ad se liberandum, arripere poterat. Quare igitur hoc non agit? minus namque malum esset, si pereunte exercitu, Rex viuus superesset; sed mortem sibi procurauit, & armigero præ-

Phil. Alexan. 8 a legis al leg. cit. A foto mayor in cat. c.8. ad illa verba fuge.

cepit, vt auferret vitam omnibus amabilem a se. Ratio est, quia noluit viuus superesse, ne hostium ludibrio tantisper esset. *Nec amore vitæ suum prodidit exercitum inimicis, nec regiæ contumeliam intulit dignitati.* Dices tu mihi: minus malum erat Regno spoliatum viuere, quam mortem oppetere. Cur ergo, quod minus erat, non est amplexatus, grauius declinando? Fortè hoc fecit, quia in eiusmodi angustijs positus, seque rebus omnibus spoliatum considerans, pro mortuo reputabatur: & ideo ad finiendam, quoquo modo, vitam properabat, quæ si tot miserijs onusta superesset, mors potius, quam vita dicenda esset.

Ioseph vbi supra.

Vita misera, potius mors quam vita.

Nescio quid super eadem Saulis verba expendendum mihi occurrit, quod rem nostram amplius illustrabit. Dixitque Saul ad armigerum suum: *Euagina gladium tuum, & percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi*: vt quid illudi veretur, qui mortem sibi inferendam agnoscit, quod maius ludibrium homini euenire potest, quam mors? Certè nullum; si ergo mori grauius est, quam illudi; quare ne illudatur, mortem procurat? Deinde, vbi mors ingruit, vita definit, & reliqui sensus pereunt: ergo si vitam primo sibi auferendam proponit, vt quid mortuus illudi timet? etenim mortuo nihil interest, honorificè, an inhonestè tractetur? Respondeo. Saulem veritum fuisse, vt cum ludibrio, & ignominia a Philisthinis occideretur. Ita sonat illud. *Interficient me, illudentes mihi.* Ita quod eodem tempore iniuriarum sensum, mortisque dolorem experiretur: quin etiam, vt notauit Abulensis, verebatur, ne viuus à Philisthæis seruaretur, vt in triumpho delatus, victoriæ gloriam, redderet ampliorem; & hoc illum grauissimè pungebat, vt mortem suam accelerare procuraret. *Nesciebat*, inquit, *Saul, an Philisthini vellent eum interficere, vel captum ducere, in terram suam ad gloriam victoriæ.* Et in hac anxietate, duo simul verebatur: occidi, & illudi, quia tamen mortem illusione leuiorem credebat, idcircò armigerum sollicitat, vt se interficiat; vnde colliges, timorem Saulis, illuc tendere, ne a Philisthæis captus diceretur, quia vel illudendo occiderent; vel viuum seruarent; vnde vitam simul, & mortem apud hostes timebat: mortem, quia ludibriosè sibi inferendam verebatur: vitam, quia si viuus superesset, Regno, & potentia priuatus, inops captiuus, & in miserijs constitutus, non viuere, sed mortem sustinere diuturnam videretur; quia quisquis in vita hac miseriarum plena, diuitijs, & potentia caret, viuus non reputatur, sed mortuus. Atque adeo Saul, vt mortem hanc nimis prolixam cultaret, & simul à Philisthæis ignominiosè interfici, armigerum rogat, vt se occidat: quia tolerabilius est mortem sustinere, quam infeliciter vitam protrahere. *Percute me, ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi: Ducendo me captum in terram suam, ad gloriam victoriæ.*

1. Reg. 31.

Principibus mori leuius quam illudi.

Abul. ibi. 1. Reg. 31 q. 8.

Fastus, & inter mortis limina versatur.

Notandum etiam est in hanc rem discrimen, quod Deus in lucis creatione tenuit. Nam primo die lucem creauit pulcherrimam, statimque probauit. *Fiat lux, & facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.* Et die quarto lucem in cælo constituit: Solem tamen lucis huiusmodi præsidem posuit, & vt Lunæ, & Stellis præesset, ordinauit. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt praeesset diei, & luminare minus, vt praeesset nocti, & stellis, & posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram.* Hic iam inquiro. Lux hæc, quam nunc in cælo collocat, est ne eadem, quam primo die creauit? Eadem. Vbi verò a creationis puncto consistebat? In terra. Ibi vero radios suos immittebat, atque illuminabat; fieri namque non poterat, vt lux esset, & non illuminaret. Quare igitur die quarta illumandi officium illi impertitur, & quasi nouum quid ordinat, ac si antea non illuminauerit? Si die prima pulchram, & omnibus numeris absolutam creauit, vt nihil ei defuerit, quare non statim illuminando Orbi destinat, sed expectat, quousque in cælo reponat, Solemque efficiat? Respondit S. Augustinus: Verum quidem esse, quod in prima die lux radios suos effuderit, qui reuera ad diei illu-

Gen. 1.

mi-

minationem sufficientes erant. Verum quod partes superiores solummodo illustrauerit. Vnde vt iuxta rerum exigentiam, radios communicaret, oportuit, vt Sol efficeretur, & in cælo posita, maioratum obtineret. *Quare*, inquit, *factus est Sol in potestatem diei, si lux illa, faciendo, diei sufficiebat? sed fortè lux prior superiores tantum partes illustrabat, & ad illuminationem inferiorum, Solem fieri oportebat*. Hæc ille, adhuc tamen inquirendum est, qua de causa cum lux illa fuerit eadem, dum in terra extiterit, non illuminauit, nisi postquam in cælo posita, Sol factus est, & tam corporis magnitudine, & forma, quam luce, præsidentiam obtinuit: vnde est illud Bedæ. *Luminare maius, scilicet non corporis forma, sed luminis magnitudine, quia luminare minus, & stellas illustrat*. Quid amplius assecuta est in cælo posita, quod antea non haberet in terra? Responsio in promptu est: Cum in vita præsenti præter diuitias, potentiamque nulla sit vita, & qui absque ijs viuit, mori potius, quam viuere videatur: quandiu lux illa in terra erat, radijs inops, potestate carens, tam parum lucebat, vt lumina illa mortua potius, quam viua apparerent. Postquam verò, ad cælum elata, principatum obtinuit, lunæ, & astris omnibus præfuit, potestate, & amplitudine cunctis superior: tunc orbem illustrauit vniuersum, lucis radios vndequaque spargens, quasi ex loco, & dignitate vitam acceperit, qua in terra carere videbatur. *Fortè lux prior superiores tantum partes illustrabat, & ad illuminationem inferiorum, solem fieri oportebat*.

D. Aug. de Genesi ad lit. l. 1. c. 10. 11 & 16.

Beda in Gen. cap. 1.

Nec sol splēdet, carens principatu.

Aug. vbi sup.

Non longè diuersus ab hac mente abijt Moyses, cum Populi Israelitici regimine fatigatus, Deum obsecrauit, vt adiutores sibi designaret, quia solus grauissimum pondus illud sustinere non poterat. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi, sin aliter tibi videtur, obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis*. Non videtur Moyses hoc loco congruè locutus, postulauerit certè regiminis adiutores, quando solus non poterat; at de morte sibi afferenda taceret, ne parum patiens, & nimis præceps iudicaretur. Lyranus hoc alterius vitæ desiderio egisse affirmat, verba Moysis sic interpretatus. *Sin aliter tibi videtur, obsecro, vt interficias me, id est accipias animam de vita præsenti ad te*. Vnde nam hoc vitæ præsentis tædium, quo antea non afficiebatur, vt nunc potius, quam antecedenter mori appetat? Respondit Abulensis: quia voluit semel mori, ne quotidie moreretur: *Obsecro Domine, vt interficias me, tollendo animam ad te, quia melius est mihi semel mori, quam quotidie*. Quid agis Moyses, tecum sic expostulo. Cum solus populum gubernares, mori quotidie poteras, regiminis pondere oppressus; Nunc verò cum adiutores habes, respirare potius, & viuere, quam mori potes. Cur ergo, adiutoribus postulatis, mortem à Deo petis? Fallar nisi tuam mentem assequor: datis in regimine adiutoribus, tua minuitur auctoritas, & potentia eneruatur, decrescunt opes, & diuitiæ minuuntur. Quia verò huius vitæ conditionem agnoscis, in qua sine diuitijs, & potentia viuere, mori est, quia ista sunt vita, vbi primum opibus, potentia, auctoritate, & splendore diminutum, datis in regimine adiutoribus te ipsum consideras, quasi mortuum contemplaris; nec iam viuere, sed mori quotidie existimas, ne ergo mortem quotidianam sustineas, mori semel à Deo postulas. Vt Abulensis, minimè tibi iniurius, affirmat. *Obsecro Domine, vt interficias me, tollendo animam meam ad te, quia melius est mihi semel mori, quam quotidie*.

Numer. 11.

Lyranus ibi.

Abul. in num. cap. 11. q. 32

Tollerabilius semel quam quotidie mori.

Tandem huc etiam non importunè tradendum mihi videtur illud Michol artificium, quo post Dauidis fugam vsa est, vt Saul persequentem illuderet. *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis*. Huius loci expositores, communi assensu statuunt, Micholintentionem habuisse, milites hoc facto detinere, quousque Dauid (quandiu ipsi deliberabant, an vinctum producerent) longius abscederet, & comprehendi non posset: diuersi tamen

1. Reg 19.

abeunt in commemorանda facti dupoſitione. Theodoretus, D. Hieronymus, & Ioſephus, hic aſſerunt, Michol vltra pellem in capite, iecur etiam capræ adhuc calidum, & palpitans ſuppoſuiſſe, vt calore, & anhelitu corpus ibi ægrotantis mentiretur. *Michol, per feneſtram depoſito, demiſſoque Dauide, conſtruit lectulum, quaſi ægrotantis, & ſub ſago iecur ſpirans capræ ſuppoſuit.* Aliter dicunt D. Hieronymus, & Theodoretus, nimirum, Michol lectum ita compoſuiſſe, quaſi mortuus aliquis ibi iaceret, vel Cenotaphium aliquod, ſeu, quod Græci dicunt, inane ſepulchrum eſſet erectum, vt fieri ſolebat; quod doctus quidam Neotericus refert. *Hæc omnia*, inquit, *operimenta, ſub quibus Michol Dauidem occultauit, Theodoretus, & D. Hieronymus ſub finem iuxta Græcum vocant Cenotaphia, ideſt inania ſepulcra.* Cæterum quo fine Michol tali vtitur artificio? quia, demiſſo Dauide per feneſtram, iam hæc omnia videntur ſuperfluè adhibita. *Quæret aliquis*, ait, more ſuo Toſtatus, *ad quid Michol poſuit ſtatuam in lecto; quia iſta videbantur ad liberandum Dauid a morte: iam tamen liberatus fuit, quando depoſuit eum per feneſtram, & ipſe fugit.* Reſpondet huic quæſtioni Mendoza, hoc ideo feciſſe Michol. *Vt ſignificaretur Dauid, etiam cum à morte maximè ſecurus, & immunis videbatur, non ſolum morti ſubditus, ſed etiam ſub tumulo reconditus fuiſſe.* Ita ille; ſed ego cum Michol ita expoſtulo, quare vno, eodemque tempore Dauidem viuum, & mortuum repræſentauit: viuum, ſi Ioſepho credimus, dicenti iecur palpitans, & pilos capratum ſuppoſuiſſe: mortuum, ſi D. Hieronymum auſcultamus, qui tumulum, vel cenotaphium, ſeu inane ſepulchrum ſtruxiſſe aſſeuerant: ſi viuum amat; quare in mortui imagine delectatur: ſi præ muliebri faſtidio mortuum deſiderat: quare viuentis ſimulacrum effingit? Vtrumque non incongruè ſimul facere potuit, Dauid ſtatum conſiderans. Rex erat Dauid, attamen fugitiuus patria, ex terrus, inops, ſeipſo ſpoliatus, ad necem quæſitus, itaut neceſſe fuerit fuga ſibi conſulere, ne à Saule occideretur.

Ioſeph. de antiq.

Theod. q. 48. D. Hieron. epiſ. 130. ad Marcell.

Mendoza, in lib. 1. Reg. 4. 5 num. 22 annot. 14. circa lit ſect. 11. tom. 2.

Toſtat. ibi. quæſt. 15.

Mend. vbi ſup.

Cum ergo in vita hac miſerabili nulla alia vita ſit, quam poteſtas, diuitiæque: iure optimo Dauid, his priuatus, à Michol, tanquam mortuus repreſentatur: quia licet viuat, mori quidem videtur. Deinde, vt vitam quam illi fictione ſua procurat, mortem quandam eſſe prolixam oſtendat, Cenotaphijs vtitur, & documentum viuentibus præſtat, diuitias, & poteſtatem, vitæ huius miſerrimæ vitam eſſe: atque adeò illis priuatum, Dauid tunc certius mori, cum ſecurius viuere credebatur. *Vt ſignificaretur Dauid, etiam cum à morte maximè ſecurus, & immunis videbatur; non ſolum morti ſubditus, ſed etiam ſub tumulo reconditus fuiſſe.*

Quis hæc audiens ita vecors, & amens ſit, ut vitam pereundo amet, & non potius pœnitentiæ deditus animæ ſalutem procuret. Si, vt vidimus, nulla eſt alia vita, quam diuitiæ, & potentia, cum pauci in hoc mundo hæc aſſequantur, pauci in eo viuunt. Et ſi aliquibus eiuſmodi frui conceditur, illi animæ tranquillitatem, & quietem non habent, vt enim diuitias congregent, nulli parcunt, iniuſtitiæ media omnia, quamtumuis illicita, adhibent, vt ad finem optatum perueniant. Cum autem peruenerint, vt inibi ſiſtant, quæ non impia, & nefanda committunt? Quid de ſtatibus dicendum eorum, quos priuatos dicunt? Ille probatior eſt, non tamen tranquillior, magiſque ſecutus. Nomen ipſum, ſtatus miſeriam indicat. Quid Priuatus ſignificat, niſi hominem, quem te aliqua ſpoliatum? Quæ nam ergo ſpoliati fœlicitas eſt? miſeriam potius dixeris, & calamitatem; miſerandus hic potius eſt, quam inuidendus. O qui hæc audis, quandiu inordinato vitæ amore teneberis: quandiu vitæ mutationem differes, & ad cor redibis, à Deo inſtanter poſtulans, vt à morte quotidiana, quam viuendo ſuſtines, te miſericorditer liberet; ſicut Moyſes feciſſe perhibetur. *Obſecro, vt interficias me, tollendo animam meam, ad te, quia melius eſt mihi ſemel mori, quam quotidie.*

Pauci viuentes reputantur, quia pauci diuites.

Nota.

CA-



CAPVT III.

Quod nihil in hac vita sit bonum, siquidem vt Deo appropinquemus, Omnia, tanquam mala, relinquere necesse est.



EGREGIVS mundi contemptor, & clarissimus triumphator Seraphicus Pater meus Franciscus, auspicatissimum dicendi initium faciet, cui (vt refert S. Bonauentura) in ipso suæ conuersionis initio Christus apparuit, & documentum illud de ipsius sequela, iam olim discipulis inculcatum, repetēs, Franciscum erudiuit, qua ratione mundum contemneret, & Dominum sequeretur. *Vna quippe dierum*, inquit, *dum sic sequestratus oraret, apparuit ei Christus Iesus, veluti cruci confixus, eidem tam efficaciter ingerens Euangelicum illud. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hęc interius ad cor locutus est Christus, cuius aspectu, & interna locutione, liquefieri cœpit nouus in carne Seraphinus; & lachrymas inter, & suspiria, anima per oculos, iugiter fluente flammeo amoris ardore, succendi. Bonauenturæ verba do. *Nam, & ad præmissæ visionis contuitum liquefacta est anima eius, & memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, vt & crucifixi plagas oculis mentis interius, quasi iugiter cerneret, & vix exterius à lacrymosis gemitibus contineri valeret.* Hæc ille. Ex quibus deduco, plus hic egisse Franciscum, quam ab eo petebatur. Christus enim crucem tollere, ac se ipsum sequi iubet; ille animam fletu soluit, & quodam mentis excessu alienat. Quid, hoc agens, intendit? Videndum quid velit Christus dicens: *Abneget semetipsum*: & notum nobis erit. D. Gregorius Christi verba sic interpretatur. *Quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat.* Ergo se ipsum deserat necesse est, qui Christum perfectè nititur sequi: dum enim homo intra se ipsum est, vitæ voluptates amplectens, & delicias veluti bona quædam consequi intendens; nec perfectionem attingere, nec diuina perfrui dulcedine potest. Eleganter D. Gregorius: *Aliud sumus per peccatum lapsi: aliud per naturam conditi. Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, & abnegamus, cum vitamus, quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, ad quod per nouitatem vocamur.* Iam liquet, cur Sanctus Franciscus Christi postulata transcenderit, ipsum cruci affixum inspexerat, sacrum viderat corpus mille patribus laniatum, petentem audiuit vt se ipsum, mundique vanitates dimittens, sequeretur. Vt ergo Christi iussionem perfectissimè exequeretur, ipsam animam, fletibus liquefactam, dimisit, & quodammodo extra ipsum posuit, dicens: anima, cui aliquando vitæ huius bona placuerunt, abeat, longeque secedat, quia Deo iam mihi votum est, appropinquare, & proinde animam ipsam, ac si mala res esset, dimittere debeo. Vt sic filios meos edoceam, nihil in hac vita bonum, atque, vt Christi præceptum de perfectione Euangelica, ipsiusque sequela impleatur, omnia relinquere necessarium fore. *Quia nisi quis a semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat.*

S. Bonau. in officio.

Matth. 16.

D. Greg. hom 32. in euang.

A nobis deficiendum, vt Deo appropinquemus.

D. Greg. vbi sup.

Ex his facile erit intelligere difficultatem, quam Rupertus Abbas excitauit: soporē illum, quem ante Euæ formationem Deus in Adam immiserat, contemplatus. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam.* Quidnam sopor iste egit, sensum ne rationis solummodo, an etiam sensitiuum abstulit? quidquid ad carnis sensum attinebat abstulisse, respondet Rupertus, ita vt dum costam auferret, nihil ipse sentiret. Dum tamen sopitus erat carnis sensus, disponente Dei prouidentia, mens vigilabat, & diuini operis rationem contemplabatur. *Sopor vtique*, ait, *quem Deus immisit, non claudere vigiliæ ratio-*

Gen. 2.

tionis debuit, sed obturatis quinque sensibus corporis, sensum mentis liberum reliquit; ut scire posset, quod erga se ageret omnium artifex sapientia Dei. Ita ille. Sed inquiro, qua de causa, ablato carnis sensu, mentis sensum vigilantem reliquit? si ne dolorem sentiret dum costam auferebat hoc egit; planè vigilante mente, doloris causam agnoscebat. Quod si nihil interesset, vt costam sibi ereptam sciret, sic etiam non multum curare debuit, vt aliquem dolorem, breui trāsiturum, sentiret. Quo tamen aspectu vnus aufertur sensus, & alter relinquitur? Respondeo inquirendo prius: quot sunt vitæ? duæ (dices) temporalis vna, spiritualis altera, & æterna. Temporalis ad carnem spectat; tandiu enim homo vitam viuit humanam, quandiu caro viuit, & sentit. Æterna vita ad animam attinet. Vt igitur Deus nos doceret, rem, nullam in hac vita bonam esse; siquidem, vt Deo propinquemus, omnia tanquam mala relinquere oportet. Quando sibi elegit Adamum, soporem in ipsum immisit, sensum carnis abstulit, inhabilem effecit, & quasi mortuam ostendit: significans, nihil in ea bonum esse; siquidem, vt Adam ipsi proximus efficiatur, omnia carnis corpore, & sensu carere oportuit, & veluti mala dimittere. *Sopor vtique, quem Deus immisit, non claudere vigilias rationis debuit, sed obturatis quinque sensibus corporis, sensum mentis liberum reliquit; vt scire posset, quod erga se ageret omnium artifex sapientia Dei.*

Ruper. ibi in Glos.

In hac vita, nihil boni.

Rup. vbi sup.

Ionæ in Niniuem properantis euentus rem hanc non mediocriter illustrat: igitur Vates in vrbem profectus, calore æstuans, & itinere fatigatus paulisper sedit; interim Deus hederam creauit, cuius folia, tenui aura ventilata, aspectu, & afflatu æstuantem mirifice recreabant: vnde non mediocri lætitia affectus perhibetur; *Et lætus est Ionas super hedera lætitia magna.* Verum res mira, vix Propheta vmbræ attactu fuerat recreatus, cum subito vermiculus radicem corrodens, omnem illam foliorum apparatum deiecit. *Et parauit Deus Vermen ascensu diluculi incrastinum: & percussit hederam, & exaruit.* Videtur hoc loco Deum pœnituisse, quod Prophetam vmbræ illius frigida temperie recreauerit: Siquidem in ipsa fruendi voluptate abstulit, & arentem reddidit; tam citò percutiens ariditate, quam citò omnipotentia creauerat, quod non abs re Neotericus quidam adnotauit. *Vtque Deus hederam subitò exoriri fecerat, ita subitò sub auroræ, scilicet ascensu sequentis diei vermem parauit, qui corrosit hederam, & exaruit.* Cæterum quo aspectu ita breuiter, recreationis beneficio priuauit, & cum vix calorem, & æstum expulerat, solis ardoribus expositus relinquitur? egregiè in hanc rem Theophilatus. *Hæc autem sapientissimè, diuino ita consilio geruntur, vt discamus, humanam imbecillitatem, neutiquam omnibus in locis, circa sermones à Deo factos, curiosam esse debere.* Liceat tamen hic addubitare, cur sine prophetæ culpa exsiccata est hedera, non enim iudicandus est culpam admisisse, qui peculiari Dei beneficio recreabatur. Rem teneo. Ionas imposito sibi Niniuitis prædicandi munere, tantum molestiæ suscepit, vt diceret: *Melior est mihi mors, quam vita.* Statim verò hederæ refrigerio reficitur, quæ in frugifera cum sit, & parum vtilis, nihilominus magnam ipsi attulit voluptatem. Quid igitur Deus? Itane Ionas, vt mea tibi mandata molestiam pariant, & vnius herbæ vmbraculo recrearis; vt ergo noueris, in hac vita, etiam quod bonum, licitumque est, malum reputari debere, atque, vt quisquam mihi proximus sit, relinquendum; eadem qua hederam breuitate creaui, exsiccabo: & vbi antea virorem, vmbramque voluptuosè captabas, ardorem, & æstum experieris; hac ratione eruditus, omnia huiusmodi tanquam mala dimittere, vt mea societate perfruaris, *Vtque Deus hederam subitò exoriri fecerat, ita subitò sub auroræ, scilicet ascensu sequentis diei, vermen parauit, qui corrosit hederam, & exaruit. Hæc autem sapientissimè diuino ita consilio geruntur; vt discemus, humanam imbecillitatem, neutiquam omnibus in locis, circa sermones à Deo factos, curiosam esse debere.*

Ion. 4.

Fr. Franciscus Messana in c. 4. Ion.

Mundi gaudia citò exarescunt.

Theophil. ibi in Glos.

Omnia quāquam bona videātur, mala, Deo comparata.

Ex his facile erit illius parabolæ sensum percipere, quam apud Matthæum

cap.

cap. 13. Christus proposuit, dicens. Regnum cælorum simile esse Thesauro abscondito in agro quem cum homo inuenerit: *Vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum*. Superfluum, ni fallor, videtur, quod iste vendiderit, vt emat; si enim tot bonis abundat, vt agrum, & Thesaurum possit emere, vt quid ea vendit, quę antea possidet, alia de nouo empturus, cum facile sit, & bonis, & Thesauro simul potiri, si bona ita essent ampla, vt ex eorum redditibus emptio fieri posset? Propterea bona vendidisse, affirmat S. Augustinus, quia cum Thesauro consistere non poterant. Quoniam si Thesaurus ille cæleste Regnum designat, quod in agro militantis Ecclesiæ absconditus est, quisquis illum emit, vt in triumphanti diues existat, prius omnia vitæ præsentis bona relinquat necesse est. *Hunc autem Thesaurum dixit in agro absconditum, idest duo testamenta in Ecclesia, quæ cum quis ex parte intellectus attigerit, sentit illic magna latere. Et vadit, & vendit omnia sua, & emit illum, idest contemptu temporalium, comparat sibi otium, vt sit diues cognitione Dei*. Hæc D. Augustinus. Mirum verò non est, quod bona huiusmodi temporalia, cum Thesauro consistere non possint: quippe cum bona sint mundialia, & nihil sit in præsenti vita bonum, vt quis Thesaurum cæleste emat, hoc est Deo proximus fiat, primum oportet omnia, tanquam mala relinquere. *Contemptu temporalium, comparat sibi otium, vt sis diues in cognitione Dei*.

Math. 13.

Nota. Bona mundi cum Thesauro Cæli non consistunt.

D. Aug. li. quæst. euang. 1. cap. 13. tom. 4.

Eliæ raptus, siue in terrestrem paradisum, vt aliqui, siue in aeream regionem, vt alij sentiunt, excursionem hactenus factam, additis veluti luminibus distinguat: igitur cum igneo curru nouus de orbe triumphator videretur, pallium dimisit, & Elisæo possidendum reliquit. *Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei*. Dum verò audis, pallium cecidisse, non casu, aut aeris vi excussum existimes, quia de industria illud demisit, vt Elisæo, qui loco illius in mundo supererat ad operimentum deseruiret. Ita Lyranus. *Non a casu cecidit, sed ex diuina ordinatione, vt Elisæus ipso operiretur, in signum, quod spiritus Eliæ requiescebat super eum*. Quæres tamen, cur spiritum ex alto daturus, pallium dimisit, non poterat vale dicendo tradere? vt quid sursum elatus hoc agit? Planè rem aliquam proijcere quid est, nisi contemnere. Igitur Elias ex hoc mundo proficiscens, pallium solummodo portabat, dum autem cælo propior fieri cœpit, nihil in mundo esse, quantumuis bonum agnouit, quod necessariò reliquendum non sit, tanquam malum, si Deo propinquare velimus; & ideo sursum elatus pallium proijcit, & proiectu contemptum ostendit, Elisæum, cui illud dimittebat, sui spiritus hæredem instituens erudiuit, omnia vitæ bona, Deo appropinquanti, relinquenda fore, ac si mala existant. *Non à casu cecidit, sed ex diuina ordinatione, vt Elisæus ipso operiretur, in signum, quod spiritus Eliæ requiescebat super eum*.

4. Reg. 2.

Deo propinquanti, bona omnia, tam quam mala cotemnenda.

Salubertimum hinc documentum eruitur, videlicet, magnum perditionis suæ periculum incurrere, quicumque vitæ huius bona amplectitur: siquidem illa retinendo, Deum proximus esse nequit, qui enim aliquid manu tenet, aliud tenere non potest, nisi prius dimittat. Huc trahenda mihi videtur illius Adolescētis petitio, quam Christus Dominus reiecit: Cum enim ante ipsius sequelam, ad patrem sepeliendum licentiam postularet, Christus petitionem retundens, respondit, vt se sequeretur, deque patris sepultura minimè curaret. *Iesus autem ait illi, sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Dimitteret quidem alios, at patrem cur iubetur demittere? *Quid enim, ait D. Chrysostomus, magis necessarium erat, quam sepelire patrem*? An charitatis officium alijs exhibendum patribus negandum est? minimè quidem: Vnde cum iuuenis iste prohibetur, ne se in patris sepulturam intromittat, alia est Christi intentio, quam verba sonant. Hanc assecutus est D. Chrysostomus, cuius est illud. *Hoc autem dixit, non iubens contemnere amorem, qui est ad parentes, sed monstrans, quoniam nihil cælestibus negotijs, nobis magis necessarium esse oportet*. Verum illud mihi difficile, videtur quod cum

Nota.

Matth. 8.

D. Chrys. ho. 28. in Matt.

Nihil magis necessarium quam cœlestia.

ope-

opera charitatis, viam nobis aperiant, vt ad Deum accedamus, & inter hæc non inferiorem habeat locum mortuorum sepultura, à qua, patri danda, filius iste prohibetur, eo quod (vt ex Chrysostomo retulimus) sola, quæ ad animam attinent, procuranda nobis sunt: Vnde videtur, opera charitatis, ad animam nullatenus pertinere. Cæterum non hæc est Christi doctrina, dum filio negat patrem sepelire; solummodo enim suadet, vt patrem dimittat, attento quod plures alij sint, quos illius cura tangit; siquidem sola huius vitæ bona meditantur: & ideo dum ait: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*: perinde est (testante D. Augustino) *Quasi dicat: Pater tuus mortuus est, sunt alij mortui, qui sepeliant mortuos suos, quia infideles sunt*. Ergo ex hac S. Augustini sententia, fideli filio erga parentem non licet, quod infideli licitum est: Quasi, qui filius pariter, & christianus est, de patre non debeat plus esse sollicitus? Respondeo. Iuuenis iste Deo propinquare volebat: at verò sollicitudo illa, qua tenebatur, ad vitæ huius miserabilis memoriam spectabat. Vt ergo Christus adolescentem hunc erudiret, nihil in hac vita esse, quantumuis licitum, quod non debeamus relinquere, si ad Deum accedere festinamus; cum de ipso sequendo tractat, patris sepulturam prohibet, ac si huiusmodi sollicitudo damnanda esset. *Hoc autem dixit, non iubens, contemnere amorem, qui est ad parentes, sed monstrans, quoniam nihil, cælestibus negotijs magis necessarium esse oportet*.

Bona mũdi meditantes censentur mortui.

D. Aug. de verb. Domini ser. 7. to. 10.

Pergo vlterius: Misit olim Iacob filium suum, vt fratres suos, qui gregem iuxta Sichimam pascebant, inuiseret: Pergit ille, & ab itinere deflectens campo oberrabat, donec a viro quodam fuit inuentus. *Missus*, inquit textus, *de valle Hebron, venit in Sichem, inuenitque eum vir errantem in agro*. Dum autem Iosephum errantem audis, non ob viæ ignorantiam errari existimes (vt Tostatus monet) quia illam optimè nouerat. *Non quod Ioseph*, inquit, *erraret in agro ignorans viam, qua ire deberet in Sichem, quia benè nouerat*. Si ergo viam cognoscens, & patri obediens errat, mysticus planè est talis error: ita censuit Abbas Cluniacensis: propterea namque errasse testatur, quia fratres quærebat, in quorum manus incidens, tot calamitates perpessurus esset: *Errauit*, inquit, *quærendo fratres, in quorum manibus tot calamitates inuenit, quot inuidia concepit, & iracundia peperit*. Qua meruit culpa Ioseph fratrum indignationem? fors, quia quæsiuit? At hoc ex patris obedientia fecit, vbi culpa non apparet; quam ergo in tot malorum permissione culpam castigat? Dicam: Ioseph somniorum, quæ Deus immiserat oblitus, eorum intelligentiam minimè curabat, sed totus in quærendis fratribus erat intentus, & de præstanda patri obedientia sollicitus. Cum autem, vt quis Deo appropinquet omnia huius mundi bona, quamuis licita, relinquere necesse sit tamquam mala, & Ioseph, vt fratres quærat, alia postponat; iure optimo gressum non explicat, in quo non erret, & in fratrum manibus erroris supplicium inueniat, & Dei causas reliquis alijs rebus anteponendas esse edisc at: quodque, vt ad eum in hac vita accedamus, omnia quantumuis bona sint, à nobis relinquenda. *Errauit quærendo fratres, in quorum manibus tot calamitates inuenit, quot inuidia concepit, & iracundia peperit*.

Gen. 37.

Tostat. ibi.

Abb. Cluniac. epis. 2. de hæresi.

Iustus mundi semitas nosciit non errare.

Lazari resurrectio probationem nobis suppeditat, non vulgarem. Legitur (vt notauit Origenes) quod Christus antequam Lazarum suscitaret, æternum parentem obsecrauit, vt se, tanquam filium, exandiret, propter adstantium credulitatem; & statim Lazarum nomine compellans, ad vitam reuocauit. *Dixerat autem*, inquit supra, *Dominus, propter populum, qui circumstabat, vt credant, quia tu me misisti*. Postquam vero clamore illum suscitauit adstantibus iussit, vt soluerent, & abire sinerent. *Soluite eum, & sinite abire*. Mirum autem est, vt tanta festinatione Lazarum à sua præsentia iubeat recedere, cum tamen ex illius resurrectione fidem, quod Dei filius sit, colligere speret; si vt hanc fidem sibi compararet suscitauit, diutius apud se morari permittat, in suæ potentiæ, diuinitatisque testi-

Orig. to. 21.

Ioann. 11.

testimonium, vel saltem, vt Lazaro faueat, iuxta se aliquantisper detineat, solutus fuerat, vt vitæ donatus, lucem videret, & ex quo loco ad Christi præsentiam redierat, vt Rodulphus de Saxonia contemplatur, *Vt disceret vnde exibat, & quo veniebat*. Antea *ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata*, sicque in Christi conspectum se dedit. Vt autem Lazarus agnoscat, vnde fuerat reuocatus, ac vt ad Christum accederet, omnia huius vitæ, etiam bona, tanquam mala, relinquere necessum esse; solui iubetur, *vt videret, vnde exibat, & quo veniebat*. Post quam vero muto, vt ita loquar, silentio reprehendit, absentia sua castigat, & erudit, ad Dei accessum, quidquid in hac vita bonum est, ac si malum esset relinquendum.

Rodul. de Saxon. in 1a.c.11

Sed iam audire mihi videor patientissimi Iob vocem, Nuntiante enim quodam, qua ratione domo cadente filijs eius ruina oppressi interietint. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit*. Cernis, vt antequam, ad orationem accedat, vestimenta scindit, & capillum detondet: vt quid hac vtitur cæremonia, sat erat, ad Dei gratiam promerendam, si illius voluntati conformis appareret: atque adeò nec vestem disrumpere, nec capillum resecare opottebat. Origenes luctatorum more hoc egisse dicit. Solent enim Syrij luctarores vestes exuere, ne ijs impediti, victoriam amittant. *Surrexit*, inquit, *fortissimus ad prælium, & constantiam, & scidit vestimenta, vt Syrorum more, expeditior esset, qui nudo pectore, & scapulati pugnant*. At cur Deum oraturus, parum conueniens iudicauit, si vestitus, & capillo non attonso accederet? Respondeo: quodnam est diaboli intentum, dum Iobo filios occidit, & bona dissipat? Planè, vt in impatientiam præcipitet, atque à Dei gratia, & amicitia auertat. Cum autem in ea conseruanda Iobi victoria constitetit, nec pro filijs sollicitus est, nec de bonis amissis dolet. Quinimò vestem ipsam abijcit, & capillos tondet, sicque nudus, & attonsus ad orationem se confert, & cum diabolo prælia-

Iob. 1.

Iusti, Dei luctatores.

Orig. in Iob. cap. 1.

tur. *Surrexit fortissimus ad prælium, & constantiam, & scidit vestimenta, vt Syrorum more expeditior esset, qui nudo pectore, & scapulati pugnant*. Omnibus deinde factus documentum, quod, vt Deo fruamur, eique propius hæreamus, omnia huius vitæ bona, tanquam mala, relinquere necessum habeamus.

Non hic sistendum est, sed iterum Iobi patientia loquens audienda est. Ecce tibi nudus, & omnibus spoliatus sibi complacet, vtpotè, qui in mundum nudus exiuit, eodem habitu inde exiturus: ideoque dicebat: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*. Laudanda est animi, bona mundi contemnentis, generositas. At cur bonis, à Deo concessis, petfrui, non licebit? Cur diuitijs ad otnatum, & splendorem moderatè non vtetur, qui eas iustè possidet? cur Iob de nuditate gloriatur, quasi summa inibi felicitas sit collocata? Respondit Olympiodorus, Iobi nomine locutus. *Nudum me huc intrantem, ait, terra protulit: Nudum me hinc exeuntem terra recipiet, consolatio ex conditione rerum, quod propria non perdidit, sed accepta, & relinquenda recolit: Tempus, quo necdum ista habuit, præuidet, qualis exiturus. Consolatur etiam se ex iustitia Dei*. Ita ille. Ergo in Iobi possessionem bona deuenerant. Diabolus, Deo permittente, abstulit. Cum autem in conseruanda Dei gratia, bonum omne consistat, Iob in pœnis positus, se ipsum consolatur, Deum retinere contentus, quo nos edocet, vt vitæ huius bona, tanquam mala relinquamus, si Deo proximiores effici contendimus, *Consolatur etiam se ex iustitia Dei*.

Iob. 1.

Olympiodo. comm. in Iob. cap. 1.

Omne boni in conseruanda Dei gratia.

O quisquis mundi vanitatem amas, ipsiusque felicitatibus delectaris. Speculum hoc patientiæ contemplator: in eius namque nuditate vestrum luxum, in diuitiarum contemptu, ditescendi nimiam sollicitudinem damnatam intuebere. Quam egregiè decipiuntur, qui pro male partis diuitijs Deum amittere non verentur, & ipsum obliti, omnem curam, & sollicitudinem, in multiplicandis vitæ huius bonis constituunt, Quod vanum est procurant,

ambiuntque,& summum bonum contemnunt. Proh cæcitatem: O quis cœcos huiusmodi illuminaret, vt quale studium, ne Deum amitteret, Iob collocauit, inspicerent, cum in bonorum omnium iactura, *consolatur etiam se ex iustitia Dei*: Et quia omnia illa bona nihili faciebat, dum illa amisit, hilaris perseuerat, Deo appropinquare contendens; & propter hoc despiciens, clarissimum huius doctrinæ reliquit exemplum.

Vt autem absoluamus, & finis initio correspondeat, Seraphici Parentis mei Francisci conuersionem recolo: Cum enim ipsius Pater apud Episcopum quæreretur, eo quod bona sua dissiparet, & pauperibus elargiretur, vt hac ratione ab instituto auerteret. Videns Franciscus temporalia bona sibi impedimento esse, quominus æternæ vitæ semitam calcare non posset, in ipsiusmet Episcopi præsentia, non solum quas habebat pecunias, sed vestem, quam gestabat, nudus remanens, abiecit, *Domine*, ait doctus quidam Modernus, *non solum pecuniam, quam rei sua esse contendit, ei volo reddere libenter, verum, & qua mea sunt vestimenta. Nec moras patitur, nec cunctanter de aliquo verba facit, nec expectat; sed continuò depositis omnibus vestimentis, ea Patri restituit*. Quid agis Francisce? coram Prælato, vsque ad indusium, vestimenta deponis? Nonnè dedisse pecuniam satis erat? vt quid etiam vestes restituis? Non patiebatur spiritus tui ardor has moras; & ideo omnia dimittere non cunctaris: hinc te à Deo vocatum sentiebas, inde diaboli impedimenta cognoueras; videns autem, quod vt Deum vocantem audires, eique propinquior fieres, omnia vitæ bona, tanquam mala tibi esse relinquenda, vestes etiam exuisti, & nudus remanens, ad Christi sequelam promptior factus, & expeditior, dæmonis artes elusisti. *Nec mores patitur, nec cunctanter de aliquo verba facit, nec expectat, sed continuò depositis omnibus vestimentis, ea, Patri restituit*.

Vuading. in Annal. appar. nu. 18. §. 4.

Nota.



CAPVT IV.

Quod ille propius ad Deum accedit, qui à vitæ huius bonis amplius remouetur.



VLTIMA Seraphici Patris Francisci vitæ clausula, initium dicendi ministrabit. Igitur morti proximus, instanter rogauit, vt nudus in nuda humo collocaretur, vltimum, in eo situ, diaboli congressum expectans, & mortem prouocans. Interimque dum illa cunctabatur, oculos in cælum extulit, cælesti voluptate plenus, lateris plagam manu sinistra cooperiens, oculisque sursum defixis, fratres suos sic est allocutus. Verba Chronologi Neoterici satis concinna refero. *Super nudam humum*, inquit, *se totum nudatum, in spiritus feruore prostrauit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans sie in terra saccina veste deposita, faciem solito more leuauit in cælum, & intendens illi gloriæ totus, manu sinistra, dexteri lateris vulnus, ne videretur, obtexit, & ait ad fratres: ego quod meum est feci, quod vestrum est, Christus edoceat*. Hactenus ille. At ego non possum, non hoc Francisci præceptum demirari, vt moriturus se super nudam humum proicij iuberet. Porrò quid agebat nudus, & humi decubans, cum corpori anteactæ vitæ rigoribus, in eo mortis articulo leuamen aliquot, & fomentum seruando calori quærere debuisset, tunc crudelius cum eo agit, & quasi hostis prosequitur, si in alio vitæ tempore hoc ageret, non mirarer, sed quod moriturus ita se gerat, hoc admirationem mihi inijcit. Ad rem teneo. Ideo hoc facit, quia mortem iam videt instantem, ideo fratribus dicit. *Ego quod meum est feci*. Quasi dicens:

Vuading. in Annal. ann. 1226.

Nota.

vos

vos docui, tunc vnumquemque propius ad Deum accedere cum a vitæ huius bonis longius separatur? Nunc ad Deum euolo, nunc proximior ipsi fieri spero, & ideo omnia huiusmodi bona, proijcio, ipsum vel habitum attritum, & lacerum, pauperem lectulum, & nudam humū, nudus, amplector, vt sic a rebus vitæ huius elongatus, ad Deum propius accedam. *Super nudam humum se totum nudatum, ex spiritus feruore, prostrauit, quatenus illa hora extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo.*

Nudus cum nudo luctaur cum hoste.

Egregium hoc Seraphici parentis documentum Christi facto, & exemplo in vltima cœna præstito, confirmatum agnosco. Illic enim, cum mortis suæ horam iam instantem cerneret, & quod ad Patrem iturus esset, agnosceret. Vestimenta sua deposuit, vt Ioannes cap. 13. commemorat, dicens: *Et quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* Quasi propterea quod e sinu Patris ad humanitatem assumendam exiuerit, & illuc post mortem, & mundi redemptionem sit rediturus, vestimenta deponat. Quid agis Domine Iesu, cur te exuendo satellitum crudelitatem anticipas? Expecta parumper, ipsi te nudabunt ad flagellandum, & post flagella, vt crucifigant vestem, & pellem multis partibus laceratam, auferent: parce tibi ipsi, quandiu illorum hora non aduenit, etsi tuàm iam aduenisse fatearis, *Sciens Iesu, quia uenit hora eius.* D. Thomas hanc Christi expoliationem quoddam fuisse præludium existimat, quod nudus cruci affigendus erat. *Si uerò*, inquit, *referatur ad passionem Christi, tunc ad litteram uestimenta deposuit, quoniam milites exuerunt eum, & super uestem suam miserunt sortem.* Quod si hæc vestium depositio, prælusio quędam illius fuit, quam milites, antequam crucifigerent exercuerunt: quid causæ est, vt Christus illam præueniat, & propterea, quod sit iturus ad Patrem, hoc agere fateatur? Tandem ad Patrem ire certus erat; cur, instante ad proficiscendum hora, se exuit? dicam: Præcipuum Christi intentum, in postrema nocte illa, fuit amoris sui erga

Ioann. 13.

D. Tho. in Io. cap. 13.

nos magnitudinem ostendere, & discipulis exemplum relinquere, vt quæ ipsum facere runc viderant, postea exequerentur. *Exemplum enim dedi vobis, ait, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* En ergo ratio, propter quam, cum ad Patrem se iturum manifestat, vestimenta deponit. Nos videlicet erudiens: eum propius ad Deum accedere, qui à vitæ huius bonis longius recedit. Et verò vestes vitæ bona designant, quibus depositis, ad Patrem ire profitetur, & relicto mundo, in cælestem patriam recipi, in qua ad Patris dexteram collocatus, gloriam, & diuinitatem, qua dignus est Agnus accipiat. *Et quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.*

Longius a sæculo recedendum.

Ad prædictorum confirmationem, notam profero, in communi loco minimè vulgarem: Ergo post Adæ peccatum Deus ad Paradisum descendit, cum eo expostulans, vt peccati confessionem exrorqueat, & delicti pœnam imponat. Primò arguit, quod Mulieris vocem audierit, deinde de pomo vetito comederit. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Nunc autem inquiro: Adami culpa quænam fuit? Porrò de fructu vetitæ arboris comedere? Quare igitur primo ei obijcitur, quod fœminæ vocem audierit, & propterea punitur, laborique, & orbis exilio adiudicatur: adde quod de muliere non audienda, nullum ei præceptum fuerat impositum, & verò Abulensis nullum in hac auditione peccatum recognouit, *Quia*, inquit, *solum audire non erat peccatum, sed obedire contra Dei mandatum*: Si ergo nullum in audienda fœminæ voce peccatum interuenit, sed solùm in comedendo, Quare propter hoc primo redarguitur, & exilio castigatur? Rem teneo: vbi primum Adam formatàm Euam, & lateri suo adiunctam conspexit. *Hoc nunc*, ait, *os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, Ex quo intulit Abulensis. Deum ad Euæ formationem, non costam solum, sed carnem etiam abstulisse. *Quia non solùm fuit assumpta co-*

Gen. 3.

Abul. ibi q. 18.

Gen. 2.

Abul. ubi supra.

sta de Adam, sed etiam caro adhærens. Et statim subiunxit, quod ab ea nunquam disiungeretur, quinimò propter ipsam, eiusque voluptatem omnia dimitteret, tantundem namque valent illa verba. Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Exigitur mysterium. Deus Adamo sub mortis pœna, iussit, ne comederet, Eua ad comedendum suasit, aliter ipsius amorem, delicíasque amissurus. Quid ille, ne Euam amitteret, quod tunc bonum possidebat, diuinum mandatum transgreditur; Nota quam perniciosa virorum erga vxores indulgentia. Deus autem, vt nos doceret animam, tanto propius ad ipsum accedere, quanto longius a vitæ huius bonis separatur, & econtra, quanto propinquius ad vitæ bona accedit, tanto longius ad eo remoueri, Adamum e paradiso expellit, a sua præsentia remouet, & propterea, id agere testatur, quia carni, & sanguini adhærens, ne Euam contristaret, Dei mandatum preteriuit. *Quia audisti vocem vxoris tuæ*, & statim transgressionem punit. *Et comedisti de ligno. Quia solum audire non erat peccatum, sed obedire contra Dei mandatum.* Atque adeo supplicium, & eruditionem suscepit, quod vitæ huius bona relinquere, Deo appropinquare est.

Miratur non immeritò Origenes, quod cum sæuiente procella, Nauis, in qua discipuli vehebantur, fluctibus penè mergeretur, ipsi Magistrum in puppi dormientem excitantes, auxilium implorantes, Christus ob fidei defectum illos redarguit: Matt. 8. *Domine, salua nos perimus: Et dicit eis Iesus. Quid timidi estis, modicæ fidei.* Tam inopportunus fuit discipulorum timor iste, quam iusta Christi reprehensio, licet enim tumentes fluctus timorem prouocarent, & frequens nauiculæ iactatio mortem minitaretur, qui vitam in naui portabant, intempestiuè mortem formidabant; ideoque iustè redarguuntur. Orig. hom. 8. in diuer. lo. *O veraces discipuli, clamat Origenes, Saluatorem vobiscum habetis, & de morte solliciti estis?* Non miror, quia grauissimum instabat mortis periculum, fluctus vndequaque fremebant. Christus in puppi dormiens, eorum naufragium minimè curare videbatur, vnde potuit naturalis timor ad hunc clamorem impellere; Vnde non videbantur tam acri reprehensione repellendi. Nihilominus, quia instante hinc vitam amittendi periculo, & dormiente inde Christo, quem sibi proximum habebant, & ad amorem vitæ confugiunt, & immoderatis clamoribus anxij, trepidantesque præceptorem excitant, & auxilium implorant, repulsam sustinent, & seuerè arguuntur. Do Origenem ita loquentem. *Tanto autem metu discipuli fuerant conterriti, & penè animo alienati, vt irruerent in eum, & non modestè, ac leuiter suggererent, sed turbulenter suscitauerunt eum.* Orig. vbi sup. Merita verò fuit talis redargutio; quoniam si homo tanto vicinior Deo fit, quanto à vitæ huius rebus recedit, & tanto a Deo longius abest, quanto vitæ rebus appropinquat: Discipuli, qui ad bonum vitę appropinquabant, immoderatis clamoribus, & turbulenter auxilium implorantea, seuerè reprehenduntur à Magistro: pro quo stat Originis exclamatio. Deo propinquis, nullus pertimescendi locus. *O veraces discipuli, Saluatorem vobiscum habetis, & de periculo timetis? vita vobiscum est; & de morte solliciti estis?* Et præterea dum seuerè redarguit, etiam docet, quod quamuis in eadem cum ipso nauicula essent, non tamen ei proximi erant, nisi ab huius vitæ bonis longius abessent, quibus cum appropinquamur, longius a Deo recedimus.

Quam benè doctrinæ huius veritatem fuerat assecutus Iob ille sanctissimus, admirandum patientiæ exemplum, cum rebus omnibus amissis, post filiorum mortem, & extremam orbitatem, scissis vestibus, comaque attonsa, totus ad orandum Deum se contulit, in qua solatium, & contra Dæmonis incursiones præsidium reperit; Iob 1. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite, corruens in terram adorauit.* Quare ante orationem vestes primum scindit, & comam resecat? D. Thomas censet, hoc ideo fecisse, quia in vestibus bona perdita, & in capillis filij, morte sublati, significabantur. D. Tho. in Iob cap. 1. *Scissio tunicæ, inquit, respondet amissioni rerum: tonsio capitis, amissioni filiorum.* Ergo dum vestes scindit, dum capillum

ton-

tondet, bona omnia a se proijcit. Et cur hoc agit? Planè vt dæmonem illudat. Quid ille intentauit? Iobum Dei gratia, & familiaritate priuare, bonorum ruina, & filiorum amissione in impatientiam præcipitādo, sed ipse Deo amplius propinquare studet: Et cū adhoc necessarium sibi fore intelligat, vt a vitæ huius bonis longius absit, ideo omnia à se remouet, & scissa veste, capilloque resecto, nihil sibi iam superesse profitetur. *Nam scissio tunicæ, respondet amissioni rerum, & tonsio capitis, amissioni filiorum.*

Liberorum affectus, a Dei proximitate retardare non debet.

Hoc idem, quasi sub aspectum, nobis subijcit memoranda Iacob scala, quam Deus, e domo paterna fugitiuo, dormientique e cælo dimisit, vt se illuc, si vellet, comitatu Angelico reciperet. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, dicentem sibi. Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui.* Cæterum si Deus Iacob tam magnis fauoribus cumulare statuerat, vt seipsum illi ostendens loqueretur, quare non potius vigilanti, quam dormiēti hoc fecit? aptius enim fugitiuo ad solatium videbatur, si vigilans Dei beneficium sentiret. Ita quidem est. At Iacob, vt ait Isidorus, viri iusti figura erat, qui bonorum operum fructus in Ecclesia producere, & diuinos fauores quotidie promereri student. *Quisquis*, inquit, *post torporem inertiæ vigilauerit, & per exercitium boni operis verè exsurrexerit, in Ecclesia supereminentem gratiam Dei, & introitum regni cælestis intelliget.* Hinc mihi augetur difficultas: nam si Iacob verum iustum repræsentat, cur dormientem expectat, vt suos ei fauores communicet? Respondeo: Iacob tunc à vitæ huius bonis remotior est, quando paternam domum relinquens, peregrinatur, & in agro pernoctat, vbi pro ceruicali petra, pro culcitra molliter subacta, solum ipsum deseruijt, & somnum captauit, quo a sensibus alienus, & absque libertate sua consistebat. Tunc ergo, ait Deus, mea accipiat beneficia, fauoresque experiatur, & quātum erga ipsum afficior amore cognoscat. Cum enim ipse iustorum hominum imago existat, nouerint ipsi, quod tunc ad me propius accedunt, quo longius à vitæ bonis remouentur, & cum dormiunt mundo, mihi inuigilant: ideo Iacob dormienti, quando a proprijs sensibus alienus, & libertate etiam priuatus, pro tali tempore est, Scalam demitto, Angelorum ministeria exhibeo, & quod magis, meo dignor alloquio, & aspectu. Quisquis post torporem inertiæ conuigilauerit, & per exercitium boni operis verè exurrexerit, in Ecclesia supereminentem gratiam Dei, & introitum regni cœlestis intelliget.

...en. 28.

Iacob viri iusti symbolum, cur.

D. Isidor. ibi.

Mundo dormiendum, vt Deo vigilemus.

Præcepit olim Deus Samueli, vt Saulem reprehenderet, eo quod non audito illius mandato, Regi Agag pepercerit, & magnam gregis partem sibi reseruauerit. *Quare non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini?* Et deinde adiungit: *Quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus ne sis Rex super Israel.* Vbi notandum est, Quod verbum *proijcio*, significat illud a se repellere, quod antea possessione tenebatur. Vnde sequitur, Saulem Dei mandatum antea audiuisse, auditumque admisisse, quod postmodum proiecisse enarratur. Quomodo ergo Sauli obijcitur, sermonem Domini non audiuisse. *Quare non audisti sermonem Domini.* Hinc est, quod Saul obiectionem retuderit dicens, *Immo audiui.* At Deus de Saule conqueritur, quia bonorum cupiditate illectus, suum præteriuit mandatum, audiendo enim, non custodiuit, & non custodiendo, despexit, in quo, si Abulensi assentiendum est, ipsius culpa constitit; *Quare non audisti vocem Domini, id est*, inquit, *non obedisti Deo, sed contulisti te ad prædandum, transgrediens præ cupiditate, sermonem Domini, cum ipse iusserit omnia deleri.* Hæc ergo fuit Saulis culpa, conuersio ad prædam, & bonorum cupiditas, propter quæ inobedientiam commisit, & hæc Dei offensa, vt asserit idem Abulensis. *Fecisti malum: scilicet, conuertendo te ad prædam: Hoc autem erat malum in conspectu Domini:* Vt quid ergo Samuel hoc non obijcit, sed quod Deum non audierit solummodo commemorat.

1. Reg. 15.

Cupiditas magis sibi quā Deo obtemperat.

Abul. ibi. qu. 14.

rat. Cur primo loco non opponit, quod inobediens, & cupidus, Dei gratiam amiserit, sed in posterum reseruat? Respondeo: instante prælio, duo Sauli proposita fuisse; alterum ex parte Dei, vt nemini parceret, sed Amalecitas, & omnia eorum bona deleret: alterum ex parte propriæ cupiditatis, vt videlicet Agag vitam condonaret, ex quo propter liberationem, magnam auri summam accipere sperabat, & deinde magnam gregis partem reseruaret. At ille Dei propositionem superbus, ac inobediens contempsit, & propriæ cupiditatis ductum secutus, non omnia sicut mandatum fuerat, deleuit. En igitur misterium. Quod licet in eo culpa constiterit, vt Dei præcepto nō obedierit, sed contempserit: primo loco Samuel, quod non audierit conqueritur, vnde mandati contemptus prouenit: Atque adeo, vt Saul nouerit tantum à Dei gratia recessisse, quantum vitæ huius bonis appropinquauit: quia non audierit redarguitur, vnde ortus est mandati contemptus; & statim in delicti pœnam Dei gratia priuatur, & regni amissione punitur. *Quare non audisti vocem Domini, idest, non obedisti Deo, sed conuertisti te ad prædandum, transgrediens, præ cupiditate, sermonem Domini, cum ipse iussit omnia deleri; ideo quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel.*

Efficacius amat rerũ cupiditas quam Deus

...ubi sup.

Hoc idem confirmat casus Agar: cum enim iubente Deo Abraham, vna cum filio Ismael, ipsam e domo expelleret: Agar, accepto pane, & aqua iter aggrediens in deserto, errabunda discurrebat, vt Genes. 21. perhibetur. *Quæ cum abijsset, errabat in solitudine.* Dum vero sic errabat, & panem, & aquam consumpsit, fameque, & siti potissimum vrgeri cœpit Ismael, cui illa cum subuenire non posset, subter vicinam ibi arborem proiecit, paulumque ab eo recessit. *Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborum, quæ ibi erant, & abijt, seditque e regione procul, quantum potest arcus iacere.* In his angustijs positus Ismael siti, fameque penè extinctus matris solatio, ac præsentia destitutus, ad Deum se contulit, ipsiusque auxilium

...en. 21.

implorauit. *Exaudiuit autem Dominus vocem pueri.* Plurima hoc loco expendenda occurunt. Primò igitur quærendum est, cur errare dicitur Agar, si vt diuino obediat mandato, e domo exit, & in deserto peregrinatur? Deinde, si errante se, agnouit panem, & aquam deficientem, & puerum præ siti morientem videbat; cur ipsum subtus arborem dimisit? Aut quod, pœnam pœnæ adiungens, morienti remedium procurauit, si ipsum in illo extremo dereliquit, solatio destitutum, nec finem voluit expectare? Antequam respondeam, quærendum est. Quæ nam tunc erat ætas Ismaelis? Viginti annos attingebat, ait Lyranus. *Ismael*, inquit, *iam enim erat viginti annorum, quia iam tresdecim annorum erat, quando Isaac fuit natus.* Ergo; vt rationis compos, suum agnouit errorem, de temporalibus sollicitus, panem, & aquam portauit, diuinæ promissionis oblitus, iuxta quam nihil sibi defuturum sperare debuerit. Quod igitur remedium Deus adhibet? Mater ipsam deserit, solum relinquit, præsentiæ suæ solatio priuat. Et tunc securus de remedio euadit, & Dei auxilium, fauoremque promeretur, quia quantò animam vitæ huius bonis elongatur, tantò propinquior Deo redditur. Hinc ait D. Augustinus, quod vbi primum a matre derelictus fuit, Deus illum exaudiuit: quasi, vt audiret, à matre relinqui expectaret. *Puer exclamat, plorans, & Deus exaudiuit, & monstrante Angelo, illa fontem aspicit.* Et vero, vt Deus nobis assistat, & faueat, nihil aliud requirit, quam vt a vitæ bonis remotos nos intueatur. Egregiè Lyranus. *Videns se in periculo mortis, de malis suis præteritis doluit, & Dominum rogauit pro vita sua prolongāda, & fuit exauditus.*

Necessitatis clamor a Deo non despicitur.

Lyran. ibi.

Mundano careat auxilio, qui Dei expectat.

D. Aug. qu. sup. Gen. ...

Lyran. vbi supra.

Expendendum est in hanc rem discrimen illud, quod in primis parentibus in statu innocentiæ, & culpæ constitutis, acutè notauit Abulensis. Igitur in statu innocentiæ, ait sacer historicus. *Erat autem vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius, & non erubescebant.* Longè aliter, in statu culpæ, se res habuit. Nam Deo locutus Adam ait: *Timui, eo quod nudus essem, & ab-*

scon-

ſcondi me. Vnde nam timor iſte, & verecundia prouenit? vbique in paradiſo erat eadem ante, ac poſt peccatum nuditas, cur non eadẽ erubeſcentia? Ante culpam nudi ſtant, nec verecundantur, poſt culpam, conſutis folijs ſe operiunt. Quænam iſthæc eſt temporum differentia, vt illic nudi ſint, illic foliorum operimenta requirant? Reſpondet Abulenſis: ideo in paradiſo veſtibus non vſi, quia naturalis pulchritudo maior erat, quam quæ poterat a veſtibus mutuari. *Non enim*, inquit, *habebant veſtes primi parentes in paradiſo, quia pulchritudo naturalis, maior erat quam pulchritudo ornatus veſtium*. Ita ille: verum difficultatem non exhaurit; ſemper enim in paradiſo extiterunt, & primo veſtem non curarunt; ſicut poſtea. Cur autem nuditas, poſt culpam, non deſeruijt ad ornatum, ſicut ante culpam deſeruierat? Reſpondeo. Quandiu Parentes noſtri proximi Deo erant, & in ipſius gratia, diuinis fauoribus fruebantur, & a vitæ huius bonis erant alieni, atque adeo, nec veſtes curabant, nec aliud, quam gratia, ornatum requirebant: Vnde nuditas nullius verecundiæ cauſa putabatur. Cum verò Adam, & Eua vitæ huius bona cupierunt, & pomum vetitum comedentes ad ampliorem dignitatem aſpirarunt, tanto Deus ab ipſis receſſit, quanto illi bonis temporalibus appropinquarunt; deinceps ſine gratia inuenti in nuditate, pœnam, & verecundiam in veſtibus, tanquam culpæ effectibus inhoneſtatem repererunt: *Quia veſtes*, ait Toſtatus, *propter peccati turpitudinem inuentæ ſunt*. Et vero in vno, alteroque ſtatu edocti ſunt, nihil aliud, præter Dei obſequium, quærere: ſiquidem tanto propius ad Deum accedimus, quantum a vitæ huius bonis diſtamus.

Nullus veſtium ornatus culpam valet aperire.

Toſtat. in Gen. 3. 29.

Gratiæ ornatus, magnus.

Toſt. vbi ſup.

Huc trahi poſſe videtur illa Eccleſiæ cæremonia, quæ in puerorum baptiſmo adhibetur, antequam enim aqua immergantur, denudari ſolent: quam ex verbis Chriſti apud Ioannem mutuatam fuiſſe videtur: Nam de Baptiſmo locutus, ita ait. *Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei*. Cur non dixit: niſi quis baptizatus fuerit; quando per baptiſmum renaſci, idem eſt ac baptizari: ſed niſi renaſcatur dixit, termino vſus illo: *Renatus fuerit denuo*: & paulo poſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Diuus Auguſtinus reſpondet; quod ſicut ad temporariam hæreditatem, homo carnali generatione naſcitur, ſic ad hæreditandum cæleſte regnum, neceſſe eſt vt generatione ſpirituali renaſcatur. *Tu*, inquit, *carnalem generationem intelligis: ſed ex aqua ſpiritu, & oportet quod renaſcatur homo, propter regnum Dei, ſicut propter hæreditatem patris hominis temporalis, naſcitur aliquis ex viſceribus matris carnalis: ſic propter hæreditatem Patris Dei ſempiternam, naſcitur ex viſceribus Eccleſiæ*. Nunc ergo, cum baptiſmus ſit fecunda natiuitas, ſicut infans e ventre matris nudus egreditur, ſic nudari neceſſe eſt, vt ex Matris Eccleſiæ viſceribus renaſcatur. Et ideo Eccleſia infantes, baptiſmo abluendos, nudari præcipit. Adhuc tamen, pace Auguſtini, rem primo, ac ad meum inſtitutum aptius reduco. Legitur (ait Chriſtus) *Renaſcatur*, & hoc termino vtitur, cui adhærens Eccleſia, pueros ante baptiſmum nudari iubet. Optimè vero ita fit, quoniam ſi baptiſmi interuentu, ad Deum per gratiam infans accedit; neceſſe eſt, vt Deus ei proximus fiat, quod à bonis vitæ huius recedat; cum autem nihil tunc, præter infantiæ pannos habeat, illis exuitur, & ſic à vitæ bonis alienus, Dei vicinitatem conſequetur, Eccleſiæ filius natiuitate factus ſpirituali, & regni cœleſtis, per gratiam, hæres inſtitutus: & ſic tanto propiores Deo eſſe edocemur, quantò à bonis vitæ huius elongamur. *Sicut propter hæreditatem patris hominis temporalis, naſcitur aliquis ex viſceribus matris carnalis; ſic propter hæreditatem patris Dei ſempiternam, naſcitur ex viſceribus Eccleſiæ*.

Ioann. 3.

Nota. D. Aug. trac. 11. ſemper temp. nati

Initio vitæ relinquere mundi bona edocemur.

Nota.

Apud Ieremiam præcepit Deus Populo Iſraelitico, vt peculiari ſtudio ad animæ cuſtodiam attenderet, ad quod iuſſit, vt Sabbathi die nihil conucherent, vel per vrbis Hieroſolymitanæ portas tranſmitterent. *Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas*

Ierem. 17.

Hie-

Hierusalem. Itaque animæ custodia præcipitur, & pro fundamento, vt notauit S. Antonius de Padua, abstinentia à portandis oneribus iniungitur. Cæterum: quid animæ puritatem impedit portandis oneribus die Sabbati occupari, vt hoc fieri prohibeatur? Non possunt moderato rerum similium exercitio detineri, quin animas culpa inficiant? Sanè possunt. Sed respondet S. Antonius quod est veluti impossibile huius vitæ commoda respicere, & Deo proximum fieri, & ideo præcipit volentibus ad ipsum accedere, vt à bonis vitæ huius recedant. *Quia nisi*, inquit, *à sollicitudine temporalium animus quiescat, ad Dominum non appropinquat*. At cur ex communi rerum sollicitudine, & contractu, animæ ad Deum propinquitas impeditur? Quid mali in contractibus interuenit, vt ex illis animæ impedimentum enascatur, quominus ad Deum non accedat? Pro responsione pulcherrimam, & satis acutam S. Antonij allegoriam adhibeo. Igitur. Hierusalem, animam designat: Portæ, quinque sensus denotant: Sabbatum, diei requiem Deo dicatam manifestat. Vt ergo anima in hac die Deo vacet, eique appropinquet, necesse est, vt sensus omnes ab huius vitæ bonis abstrahat, ac in Deum transferat, Quia fieri nequit, vt dum rebus temporalibus distentus viuit, ad Deum propius accedat; & ideo huiusmodi cura, sollicitudoque prohibetur, vt sublato impedimento, anima ad Deum attendat, & ab huius vitæ bonis remota, Deo vicinior fiat. Do Antonium. *Sabbatum est requies, Hierusalem anima, portæ quinque sensus. Illi ergo pondera in die Sabbati portant, & per portas Hierusalem inferunt, qui inquietudine temporalium implicati, pondera peccatorum, sarcinas secularium curarum per portas quinque sensuum ad animas intromittunt; & ideo à peccatis ipsis non custodiunt*.

Curæ seculares quam perniciosæ.

D. Ant. de Padua ser. in ... Pascha.

Nota.

D Ant. vbi supra.

Iosephus hoc loco se mihi offert, & dum vitæ eius cursum considero, ex quo egressus est fratres suos quæsiturus, quousque Prorex in Ægypto fuit inauguratus, diuersimodè à Deo tractatum deprehendo. Quoniam, ex patris obedientia fratres quæsitum, cum iret, textus errare dicit. *Missus de Valle Hebron, venit in Sichem, inuenitque eum vir errantem in agro*. Et vero, vt sentit Abulensis, error iste non vix erat, quam probè nouerat. Non, inquit, *quod Ioseph erraret in agro ignorans viam, qua ire deberet in Sichem, quia benè nouerat*. Quinam ergo erat hic error, qui in quærendis fratribus interuenit? Petrus Abbas Cluniacensis, in eo statim errorem autumat, quod fratres quærebat, in quorum manibus incidens, plurima passurus erat infortunia. *Errauit*, inquit, *quærendo fratres, in quorum manibus tot calamitates inuenit, quot inuidia concepit, & iracundia peperit*. Vlterius pergo, Ecce tibi Ioseph fratres inuenit, illi iracundia concitati, in puteum conijciunt, postea Ismaelitis vendunt, isti Putifar, hic in carcerem fuit, inde egressus est totius Ægypti Gubernator. Qualem inter hos labores Deus ergo Ioseph se præstitit? Auscultanda est Dei sapientia, dicens: *Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni*. Sed iam inquito: si Deus tam impensè diligebat Ioseph, vt ipsum in laboribus comitaretur: cur permisit, vt tam dira passurus, in fratrum manus deueniret? maximè cum adeos, errando, peruenisse dicatur? Qua meruit culpa, vt in manus fratrum incidere permitteretur? quo obsequio Dei societatem ibi promeruit? Responsio sit: Quando Ioseph fratres quærit, ab amore temporali, terrenoque affectu impellatur, ac vt Patris iubentis gratiam mereatur: in quo prorsus errauit: Nam cum ab huius vitæ amore non abstrahitur, Deus ab illo se elongat: vnde in puteum dimitti, vendi, in carcerem detrudi permittit. Dum vero ijs calamitatibus circumdatum vidit, & omni humano auxilio destitutum: tunc illi assidet, fauore prosequitur, & comitatur, atque ex carcere ad Aegypti gubernacula extrahit. *Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum Regni*; Vt vbi pro comperto habeatur. Deum tanto à nobis recedere, quanto ad huius vitæ bona accedimus: & illum

Gen. 37.

Abul. ibi.

Abbas Cluniac. epist. 2. de hæretic.

Sap. 10.

Tribulationes sceptra pariunt.

Deo solummodo propinquare, qui à bonis vitæ præsentis elongatur.

Huius etiam doctrinæ fundamento inititur, quod statuit Abulensis. Quærens enim, an post vniuersalem resurrectionem, Beati vestibus vsuri sint. Negatiuè respondet, dicens: *Hoc nota, quod in vita æterna, post resurrectionem vestes non simus habituri.* Sed vndenam colligit, quod Beati nudi incedent, nec vestium ornatu vtentur? Planè quia quantum gratia diuites, ac ornati erunt, tantum in nuditate ambulabunt: quoniam vestimentorum vsus, ex peccato processit, & Deus tantum ab Adamo recessit, quantum ille vitæ bonis propinquauit. At vero in æterna vita: vbi nulla erit culpa, quia Beati in gratia confirmabuntur, consentaneum est, vt vestes non habeant. Quippe cum adeo vicinum sibi Deum habeant, à bonis temporalibus ita erunt remoti, vt nec vestibus vtantur, nec egeāt; quia eorum corpora, solis instar, splendore corruscabunt. *Vestes*, inquit, *propter peccati turpitudinem inuentæ sunt: cessante autem omni culpa, & pænalitatibus peccati, cessabit vestis, quia caro Beatorum fulgebit ibi sicut Sol.* Hæc ille, ex quibus sequitur, quod sicut nihil ijs desiderandum superest, qui Deum sibi vicinum habent, sic Deum nulli se vicinum præbere, nisi a vitæ bonis longissime recedat.

Abul. q. 29 in c. 1. Gen.

Abul. ibi.

Vestis peccati pallium.

Nota pro vestium superfluitate.

Absoluo, & duo sacrificia Abraham, & Iepte refero, & expendo. Licet enim vtrumque Deo fuerit oblatum, diuersus tamen vtriusque euentus in sacra pagina describitur. Nam in Abrahæ sacrificio cum Pater elato iam gladio in filij caput irrueret, Angelus e cælo, clamans, ferientis impetum retardauit, dicens: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.* At verò in Iepte sacrificio, nihil simile accidit: Nec enim Angelus adfuit, nec Deus virginis pietate commotus, parentem impediuit. *Expletisque duobus mensibus, reuersa est ad Patrem suum, & fecit ei sicut vouerat.* Mirandum certè est, & ponderatione dignum, cur Isaac liberatur, & fœmina occidi permittitur: nam si ob vnigeniti prærogatiua seruatur, hæc etiam eodem priuilegio fruebatur: *occurrit ei vnigenita filia sua*, sic Iudicum refert historia: quare ergo vtrique non fauet simile priuilegium? Respondeo, Cum Deus Abrahamo sacrificare filium iussit, ille nihil cunctatus est, nec dubitauit, sed in ipso momento ad sacrificij executionem prosiluit; *Igitur Abraham de nocte consurgens*, manu propria, præ spiritus ardore, omnia ad sacrificium necessaria parauit, nulli hoc committens ministerium. *Strauit asinum suum.* Et est notandum, aduertit hic Lyranus: *quod ipsemet strauit: non enim expectauit, quod seruus suus surgeret ad hoc faciendum, ex desiderio feruenti, quod habebat, ad implendum Dei mandatum.* Quinimò seruis causam sciscitantibus, cautè respondet, ne ipsum impedient, totus Abraham, & solus in sacrificij executione detinetur, quia Deo proximus fieri, & ab huius vitæ bonis abscedere studet. Ergo, infert Origenes, huinc ego conijcio Isaac liberandum. Hinc moueor, vt credam, quod Deus assistet, & Isaac ne moriatur eripiet; quia quicunque vt mihi vicinus fiat, à bonis vitæ recedit, ego vitæ bona deserentibus appropinquo. *Mouet me*, inquit, *Abrahæ diligens, & satis cauta responsio.* Longè aliter res accidit in Iepte: videns enim, quod filiam sacrificare cogeretur, doluit, & ingemuit. *Heu me filia mea.* Et illa duorum mensium spatium, ad virginitatis suæ deplorationem postulauit: cui non solum assentitus est Pater, sed anno integro, vt refert S. Ambrosius, mortis illius dolorem lachrymis prosequendum statuit. *Iepte*, inquit, *licet pro metu, acerbitate duræ solutionis legem impleuerit, tamen luctus annum, etiam posteris deplorandum statuit, ac dereliquit.* En igitur mysterium. Si Deus Abraham fauet; & Isaac à morte eripit, quia Pater Dei amore incensus, filij amorem spreuit. Iepte minimè parcat, nec filiam liberet, quia illius amorem Dei obsequio prætulisse videtur, dum sacrificium distulit: & sic Deum nemini approximare cognoscat, nisi illis tantum, qui pro eius amore à bonis vitæ præsentis elongantur: *Mouet me Abrahæ diligens, & satis cauta responsio.*

Gen. 22.

Iudic. 11.

In Dei obedientia non cunctandū.

Lyr. ibi.

Gen. 22.

Orig. hom. 8. in Gen.

D. Amb. li. 3 Offic. c. 12.

CAPVT V.

Quod amplior vitæ huius magnitudo, maior nostra sit ruina: quoniam ille solum apud Deum magnus habetur, qui ob eius amorem paruus efficitur.

SANCTVS Antonius de Padua sui contemptor ingeniosus, quique mille artes ad sui abiectionem inuenit, primam nobis propositi assumptus probationem suppeditabit. Is enim Regulum, cuius filius, ad Patris instantiã saluti restitutus a Christo contemplatus, egregium ad hanc rem documentum subtiliter excogitauit. Ergo postquam Regulus, audito Christi Oraculo, quod filius eius viueret, domum reuertebatur, cui e colle descendenti, obuiam facti serui nuntiarunt, qua ratione filius ab infirmitate fuisset recreatus. *Iam autem eo descendente serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicentes, quod filius eius viueret.* Ita refert Ioannes cap. 4. Notandum verò hic est, nuntium de filij sanitate Patri datum, cum descenderet. Quid intererat, vt ascendenti daretur? si iam de filij vita, Christo attestante, securus reuertebatur. *Filius tuus viuit.* Quid amplius habuit descensus, quam ascensus, vt ascendente non daretur nuntium, quod ad descensum fuit reseruatum. Dupliciter rem hanc exponit S. Antonius. Primo aduertit, descensum, e monte in vallem, deiectionis symbolum esse, qua quis e superbiæ culmine, in humilitatem se confert. Vt ergo doceamur, cum solummodo coram Deo magnum esse, qui ob eius amorem paruus efficitur, quandoquidem Regulus, qui omnes spes suas in filij sanitate repositas habebat, tunc de filij sanitate certior efficiatur, quando de monte superbiæ, in vallem humilitatis descendit, vt ex hac humilitate ascensum sibi parari ad eam, quam desiderat altitudinem, recognoscat: Et tunc magnus fieri cepisse, quando paruus factus est: *Nota, inquit, ista tria, ipso descendente occurrunt serui, & nuntiant vitam filij. Bonum ergo est descendere. A quo? à monte. Quò? in vallem. A superbia, in humilitatem.*

Ioann. 4.

Corã Deo, patui magni, & magni patui.

D. Ant. P. Dom. 22. post Trinit.

Descensus securior, quã ascensus.

Secundo exponit allegoricè, & doctrinam adhibet moralem, *Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei.* Quinam sunt isti serui, qui adeo diligenter lætum de filij sanitate nuntium Reguli attulerunt? Quinque sensus, interpretatur Antonius. *Iam ergo, & descendente,* inquit, *occurrerunt serui, qui sunt quinque sensus corporis, qui rationi debent seruire.* Quid nos edocent, dum ita festinanter Regulo descendente, felicem salutis euentum deferunt? Planè, vt nouerit homo tandiu sensuum ministerium ad animæ profectum habiturum esse promptum, ac expeditum, quandiu ipse, e superbia descendens, ad humilitatis profundum deuenerit: quinimò tunc magnitudinem consecuturum, cum humilis corde extiterit. Ille enim in domo Dei solummodo magnus est, qui ob eius amorem paruulus efficitur. *Si descendis, inquit, serui tibi occurrunt, idest tibi obediunt, si enim cor est humile, sensus corporis sunt obedientes, quia ex humilitate oritur obedientia.*

Nota.

Ex humilitate magnitudo.

Huic etiam doctrinæ adaptari possunt illa verba ex cap. 26. Iob, vbi admiranda Creatoris opera commemorans, hæc inserit. *Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.* Certè non aptè loquutus videri cuiquam potest, quia inter cæli, terræque capedinem, medians aer est, & vera Philosophia vacuum non admittit. Vnde quo fieri poterat, vt Aquilonem super vacuum dilataret? Cæterum, vulgari modo loquutus est Iob, vt sæpius in sacris litteris inuenitur, & D. Thomas adnotauit. *De superiori hemisphærio cæli, inquit, nihil nobis apparet, nisi spatium aere plenum, quod vulgares homines reputant vacuum, loquitur enim secundum*

Iob cap. 26.

D. Tho. in Iob c. 26.

exi-

existimationem vulgarium hominum: pro ut est mos in sacra scriptura. Hoc posito videndum est, quid per Aquilonem Iob intelligat. Sanctus Bonauentura terram intellexisse existimat, quæ æquis librata ponderibus, in aere suspenditur. *Terram quippe*, ait, *quam etiam aquilonem vocat, eo quod pars illa prima ab aquis aperta sit, librat super vacuum, aut nihilum: est enim in medio aeris, qui velut quoddam vacuum est, ac nihilum, nulla ex parte sustentata*. Sed non immeritò inquires, qua de causa Iob, dum omnipotentiæ diuina opera recenset, ad debile fundamentum, quo terra nititur, se conuertit: quinimmò, vt potentiam magis amplificet, fundamentum extenuat, & communi loquendi modo vti non contentus, super vacuum primo libratam asserit, & postmodum super nihilum fundatam testatur. Quasi vt potentiam Dei exaltet terræ fundamentum imminuere, & quasi annichilare intendat. Promptu sanè responsio est, si quæ Iob mens sit aduertamus. Igitur ille Dei magnitudines recensere aggreditur: At vt nos doceat apud Deum illud sollummodo magnum esse, quod se extenuare, ac paruulum fieri agnouit: tunc omnipotentiam extollit, cum fundamentum magis deprimit, ad nihilumque reducit. Sed iam S. Bonauentura. *Qui vacuum se reputat, ac nihilum refert fundamenta terræ quibus nititur, idest quo magis se abijcit, & firmius, altiusque erigit ædificium*.

S. Bonau. Dom. 6. post Pent. 2. p. in trad. spiri.

Extenuato fundamento nititur diuina potentia.

S. Bonau. vbi supra.

Progreditur vlterius Iob, & a terra se transfert ad aquas, de quibus, ait, per Dei omnipotentiam in nubibus colligati ne deorsum erumpendo, terram operiant. *Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorsum*. Mira dicendi ratio, aquam enim magnis vasibus, vt pote stagnis, ac cisternis contineri non raro vidimus, at ligari quis vnquam audiuit, præsertim in aere, vbi Iob nubibus ligatam commemorat? Factu impossibile videtur, non tamen est, tunc enim, ait D. Thomas, aquæ nubibus ligantur, cum ibi continentur, vt guttatim effluant. *Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant, scilicet*, inquit, *aquæ pluuiarum: pariter deorsum, sed guttatim secundum quod expedit ad temperiem terræ, quasi diuina virtute, illud quod remanet, in nubibus esset ligatum, vt non à principio cadat*. Porrò quid causæ est, vt Deus aquas in aere ligatas contineat, cum suaptè natura deorsum vergant, vt in terra demorentur? Quare ex loco naturali sursum euchit, & in nubium altitudine collocat? Quid habent aquæ, vt loci sublimitate honorentur? Dicam: quandiu in nubibus continentur, naturali conatu in terram descendere nituntur. Et vero descendere, quid est aliud, quam humiliari? ergo cum apud Deum ille solum magnus habeatur, qui paruulus efficitur: vbi primum conatum illum videt, quo aquæ sursum elatæ, deorsum tendere elaborant, in loco sublimiori intra nubes continet. Nos hac ratione erudiens quod ad obtinendam in hac vita magnitudinem, tanquam ruina nostra despicienda est, humilitasque diligenda, quia coram Deo magnus solummodo est, qui paruulum se efficit. *Ligat aquas in nubibus*, ait, S. Bonauentura, *quæ per se descendunt, eas Deus in aere sustinet: qui se humiliant, eos Deus in sublime ducit, eximiosque, ac gloriosos reddit*.

Iob. 26.

D. Thom. in Iob cap. 26.

Magnitudo animæ ruina

D. Bonau. vbi supra.

Hinc propositæ a D. Chrisostomo dubitationis solutionem eruo. Addubitabat ille, quam ob causam Christus Nicodemo loquutus nemini fas esse in Regnum cælorum intrare testatur, nisi per aquam baptismi prius transiret. *Amen, amen dico tibi, nisi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Cur ad hoc ministerium aqua potius quam aliud elementum eligitur? In quo cæteris illa creaturis præstat, vt propterea tali prærogatiua decoretur: vt per illam gratiæ nos oporteat renasci, quò in Regnum cæleste aditus nobis pateat? *Si vero*, ait Chrysostomus, *quis interrogat; qualiter ab aqua homo nascitur quid enim ad hæc*? Perfacilè responderi potest, si interrogationem, & aquæ naturam attendamus. Igitur aqua elementum est adeo humile, vt per terram effluens currat; & quando sursum elata nubibus continetur, semper ad descensum obluctatur: vnde necesse

Ioann. 3.

D. Io. Chris. hom. 24.

est, vt a Deo ligata teneatur. *Ligat aquas in nubibus, quæ per se descendunt, eas Deus in aere sustinet*. Bonauenturæ verba sunt. *At vero homines, qui per baptismi portam intrantes, gratiam vitamque recipiunt, magni in Regno Dei, & gloriæ hæredes efficiuntur*. Ergo vt nos doceat, quod apud ipsum solus ille magnus est, qui paruulus fieri vult, quando Regni cælestis magnitudinem proponit, ad hoc portam aperit per aquam, quæ elementum est humile, & humiles diuina exaltatio extollit. *Qui se humiliant, eos Deus in sublime ducit, eximiosque, ac gloriosos reddit*.

D. Bonau. vbi supra.

Ex his notum fiet; quare inter alia aromata, quibus conficiebatur oleum ad sacerdotum, ac Regum vnctionem deseruiens, Mirrha, & cinnamomum potissimum adhibebatur. *Sume tibi aromata prima myrrhæ electæ quingētos siclos, & cinamomi medium*. Ergò Mirrha, quæ mortis simbolum est, vt ait S. Gregorius. *Mirram mortis esse simbolū nemo dubitarit eorum, qui sacris in litteris versati sunt*. Cinnamomo permiscetur, & vtrumque, in olei compositione, principem locum vendicat, vt quid ita? Respondeo. Mirrha mortem: D. Gregorio: Cinnamomum humilitatem D. Antonio significat. *O humilitatis*, inquit, *cinnamomum aromatizans*. Perbellè igitur olei compositionem ingrediuntur, quia humilitatem abiectionemque significant, quibus humiles, in puluerenque redacti euadimus. Cum ergo, qui oleo vngebantur Regiam, ac Pontificiam dignitatem obtinebant; cum ad hanc per humilitatis portam ingrederentur, quæ in Myrrha, & cinnamomo significata erat, hac ratione edocebantur humiles esse: quippe qui magnos fecit, humiles vult. Etenim apud Deum solus est magnus, qui paruus efficitur.

Exod. 30.

S. Greg.

D. Ant. Pad.

Humilitas Regiū quid habet.

Placet hactenus dicta celebri sponsæ adiuratione illustrare, quam D. Antonius de Padua acutè expendit. Ergo ad amicas, & sodales Sponsa. *Adiuro vos*, ait, *filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo*. Duo hic veniunt adnotanda: Primum, quod infirmus quilibet, & æger, debilis est, & monster natus & mortuo penè similis. *Homo*, inquit, *languidus, debilis est, & vitæ anteactæ fastidit*. Secundum quod, si infirmitas amor est, cor ante omnia ægritudine tangitur, quia prius efformatur. *Cor primum ante omnia membra formatur*: ait Antonius. Quod si amor est: ergo ignis; atque adeo cor idem tempore eodem concidit, & consternatur, & instar ignis sursum erigitur, ac in sphæram eleuatur. Vnde qua ratione verum erit, quod vti æger iaceat, & vti ignis ascendat? Facilè hoc intelliget (respondet S. Antonius) qui amoris naturam perspexerit. Porrò illa sponsæ debilitas, & languor, quo iacere fatetur, humilitas est: cum autem apud Deū ille magnus habeatur, qui paruulum se efficit, vbi primum sponsa humilem se huiusmodi languore profitetur: hinc egregiè deducit Antonius, illam instar ignis sursum eleuandam esse, & magnitudinis culmen adepturam supra fundamentum namque humilitatis, apud Deum, magnitudinis nostræ culmen eleuatur. *In corde*, inquit, *humilitas notatur, in quo ipsa principale elegit hospitium. Hæc inter cæteras virtutes prius debet formari, quia ipsa est forma deformata informans: nam ipsa est principium motus totius bonæ operationis, magnum habens dominium inter cæteras virtutes, quia mater est, & radix omnium uirtutum*.

Cant. 5.

D. Ant. de Pad. ser. 2. Dō 3. Pasch.

Cor primum formatur.

Nota.

D. Ant. vbi supra.

Humilitatis encomia.

Non erit admodum difficile huic doctrinæ fulcimentum aliquod in sacris litteris inuenire. In promptu est scala Iacob, in qua dormiente ipso Angeli sursum, deorsumque commeabant. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam*. Nihil hic negotij facessit alternus Angelorum ascensus, & descensus: Etenim *Angeli*, ait Abulensis, *ascendunt, & descendunt per eam, ad signandum quod Angeli subministratores, & executores uoluntatis diuinæ sunt*. Difficultas in eo consistit, quod Angeli ascendere dicantur, & descendere. Cum e cælo ad terram properant, dixerit non abnuo, quod descendant: Cum e terra in cælum commeant dixerit etiam quod ascendant.

Gen. 28.

Abul. in ca. 28. Gen.

dant. Quod autem tunc dicat aſcendere, cum e cælo deſcendunt, & deſcendere cum in cælum aſcendunt, hoc eſt ordine inuerſo loqui, & quaſi pugnantia proferre. Quod nam in hac ſtyli, ac ordinis conuerſione myſterium latet, vt aſcenſum appellet deſcenſum, & vice verſa, deſcenſum dicat aſcenſum. Antequam reſpondeam ſuppono. Angelos non eſſe viatores, proindeque nec ampliorem gratiam promereri, nec ad altiores perfectionis gradus aſpirare poſſunt. Nihilominus accidentali gloria perferuntur, propter bona opera quæ in hominum vtilitatem exercent. Hoc poſito: quid quæſo eſt deſcendere? Porrò humiliari: ergo quando Angeli deſcendunt, quaſi humiliantur? Ita quidem: iure ergo tunc dicuntur aſcendere, vt accidentali gloria fruantur, quæ actui humilitatis reſpondet. Dum aſcendunt, quia tunc gaudium, & gloriam accidentalem amittunt, quæ obtinerent, ſi ſe humiliarent deſcendendo: non immeritò aſcenſum illum vocat deſcenſum, & e contra deſcendere idem eſſe affirmat, atque aſcendere, quia apud Deum ille ſolummodo magnus eſt, qui ob ipſius amorem paruulus efficitur. Fallar niſi hæc fuit Hugonis mens, dum ait: *Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes. Qui quanto deſcendunt ad utilia, & aſpera, tanto aſcendunt ad gloriam, & delicias paradiſi.*

Et Angeli humilitate gloriam augent.

Hugo. Card. in Geneſ c.28

Nota.

Huc etiam trahi poteſt illa Chriſti ſententia, qua pauperem viduam, duo minuta æra in Gazophilacium mittentem, multis diuitibus prætulit, qui ingentem pecuniæ ſummam illuc mittebant. *Amen*, inquit, *dico uobis, quoniam uidua hæc pauper, plus omnibus miſit, qui miſerunt in Gazophilacium*: Porrò illa duo minuta tantummodo miſit. *Duo minuta*. Illi autem magnam argenti copiam. *Multi diuites iactabant multa*. Quare ergo tam paruam quantitatem offerens alijs antefertur, qui multos nummos liberaliter obtulerant? Planè humilitatis, & paupertatis prærogatiua Viduæ profuit, vt Chriſti laudem, & prælationem mereretur: Deus enim non oblata, ſed offerentium perſonas, & qualitatem contemplatur, vt egregiè aduertit Beda ad hunc locum. *Deus enim*, inquit, *non ſubſtantiam offerentium, ſed conſcientiam penſat: nec perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur*. Chriſtus itaque hinc diuitum offerentium ſuperbiam, elationemque aſpiciebat: inde viduæ humilitatem, & paupertatem penſitabat. Vt ergo nos doceret, illum apud ſe magnum eſſe, qui propter Dei amorem paruulus fit, viduam, quæ paruula erat, diuitibus præfert, & maiorem ipſius oblationem, quam diuitum fuiſſe teſtatur: & ſubinde illam ita humilem extulit, & tenue illud munuſculum, quod in Gazophilacium miſerat, ex fœminæ conſcientia æſtimatum, alijs quamtumuis magnis prætulit, *Deus enim, reuera, non ſubſtantiam offerentium, ſed conſcientiam penſat: nec perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur*.

Marc. 12.

Beda in hunc locum.

Deus conſcientias nõ munera penſat.

Poterit res hæc non mediocriter illuſtrari illo Ruth euentu ſatis noto. Cum enim relictas a meſſoribus ſpicas in agro colligeret, venit interim Booz, ſtatimque in fœminam oculos conijciens, meſſores interrogauit: *Cuius eſt hæc puella?* Plurima ſuo more quærit hoc loco Abulenſis. *Quæritur*, inquit, *vlterius quare Booz interrogauit de Ruth. Cuius eſt puella hæc?* Reſpondet: *fuit motus factus in corde Booz à Deo: volebat enim, vt contraheretur matrimonium inter Booz, & Ruth, & volebat collectionem ſpicarum eſſe occaſionem huius*. Mirabcris tamen cur Deus voluerit, vt ſpicarum collectio, futuri matrimonij præſagium foret. Nam actio illa magnæ erat paupertatis indicium, & hinc, vt ait Abulenſis. *Booz cognouit eſſe Ruth inopem*. At vero Booz homo ſatis diues, & opulentus, fœminæ pauperis nuptias faſtidiret; ſolent enim raro hi diuites fœminas pauperes matrimonio ſibi iungere. Quamquam vero Ruth pulchra nimis eſſet, & elegans: noluit Deus: vt Booz ipſius pulchritudine allectus in ſponſam cooptaret, ſed paupertatem obijcit, & ex hac ad ſummas diuitias, & ex humilitate ad magnam altitudinem aſcendere deſtinat; vt nos erudiat illum ſolummodo magnum fieri apud

Abul. ibi q. 13.

Abulenſis ubi ſup.

Deum, qui paruulus eſt. Atque adeo, vbi primum: *Booz cognouit eſſe Ruth inopem, & aduenam, & miſertus eſt eius libenter*. Et inſuper connubio iunxit, omniumque diuitiarum participem effecit, ex paupere diues, ex hnmili domina, repentina quadam mutatione, effecta: vbi quantum humilitati liceat aduertendum eſt; hac enim ad ſummam euehimur altitudinem, & quantum apud nos paruuli ſumus, tantum apud Denm magni euadimus.

Perſimilis eſt humilitas literæ Aritmeticæ. O. quæ nihil valet ſeparata, dum autem numeris alijs adiungitur, eos plurimum valere facit. Adde vnitati. O. vnum, valebit decem, & ſi duo, triaue addideris, valebit mille. Videbatur planè ex litteræ, ſeu numeri, quæ nihil valet, additione, minuenda quantitas, non augenda. Quomodo tamen augetur? Totum hoc ad myſterium retulit S. Antonius de Padua, & in littera. O. humilitatem eſſe figuratam affirmat, hæc enim reliquis animæ dotibus, & virtutibus addita, mirum in modum illas magnificat, & extollit: atque adeo quantum quiſque ſe humiliando deijcit, ac extenuat, tantum à Deo extollitur, & honoratur. *Sic humilis*, inquit, *ſe contrabit, & humiliat, ut fortius ad capienda bona cæleſtia ſe extendat*.

Nullitas ipſa humiliata, aliquid eſt.

D. Anton. tom. 3. quadrag.

Magnum certi huius rei documentum Seraphicus Pater meus Franciſcus filijs ſuis, moriturus, reliquit, inſtante enim morte, vt refert, VVadingus, *Super nudam humum ſe totum nudatum, in ſpiritus feruore proſtrauit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hoſtis iraſci, nudus luctaretur cum nudo*. Quaſi filios alloquens ita dicat: Deponite corpus hoc, animæ iam proficiſcentis exuuium, & in terram proijcite, vt ſi diabolus in hac poſtrema hora mecum congredi velit, humilitate, & paupertate, quas ſemper viuus colui, armatum reperiat moriturum; & quibus armis hoſtem ſemper vici, eiſdem vltimam hanc victoriam conſequi ſpero. Campum cum hoſte non diuido, quia Terra hæc, vbi iaceo, aliena eſt. Quid agis mi Seraphine? cur tanto rigore vteris? Cur morti vicinus tantum te abijcis, ac extenuas? Ah teneo. Ex hoc mundo decedis, vt in cœlo magnitudine perfruaris. Et perbellè noſti humilitatem eſſe verum magnitudinis fundamentum, & illum ſublimius eleuari, qui ſe magis deprimit: atque ad ſublimius gloriæ thronum euehi, qui in poſtremo humilitatis gradu ſe conſtituit: ideoque in nuda humo hnmilis iaces mox cœleſti magnitudine fruiturus. *Sic humilis ſe contrabit, & humiliat, vt fortius ad capienda bona cæleſtia ſe extendat*.

Vuadingus annal. an. 226.

Nota.

Clando ſtatuæ illius commemoratione, quam Nabuchodonoſor ſomniando vidit. Cum enim lapis ſine manibus e monte abſciſſus, in ſtatuam irruerit, & percuſſis pedibus, ad terram proſtrauerit. Poſtquam metalla, e quibus compacta erat, in cineres abierant, & fauillas. Lapis in montem exercuiſſe dicitur, qni terram adimpleuit. *Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam Terram*. Et verò, vt ſentit Hugo Cardinalis, Mons ille, non alio modo, qnam mole ſua terram impleuiſſe intelligendus eſt. *Impleuit*, inquit, *vniuerſam Terram magnitudine ſua*. Sed iam inquiro. Lapis ille proiectus ne fuit, vt ſtatuam euerteret, an vt in montem excreſceret? Si ad ſtatuæ euerſionem abſciſſus fuit, cur ſtatim non apparuit mons? Si, vt mons eſſet. Cur talis non apparuit, vbi primum deſcendit, ſed expectauit, donec ſtatua fuiſſet extincta? Quaſi tota illa lapidis magnitudo, ex ſtatuæ contactu prouenerit: Nam mox, vt illam contigit, ac euertit, ſtatim in montem euaſit. Et quidem e cœlo ita diſpoſitnm erat, vt lapis ſtatuam proſterneret, & extingueret: vt autem hoc faceret. *Percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, ac fictilibus*. At non ſatius eſſet, vt caput percuteret, ſicut egit Dauid, vt gigantem occideret? Vel ſaltem pectora feriret, & ſic in terram elideret? Ita quidem. Quare ergo relicto capite, & pectore, pedes percuſſit? Dicam, lapis ille ſine manibus abſciſſus, & mons factus, ex D. Chryſoſtomi ſententia, Chriſtum ſignificabat, in quo veluti monte, fidelium ciuitas

Daniel. 2.

Hugo Card. ibid.

Humilitas quo ſuperbiam fregerit magna euadit.

Chryſoſt. lib. 10. imperf.


ædi-

ædificatur. *Hæc ergo*, inquit, *ciuitas fidelium, posita est supra montem Christum, de quo Daniel. Lapis abscissus sine manibus, factus est mons magnus*. Perbellè igitur, vt eosdem fideles erudiat, apud Deum solummodo magnum esse, qui apud se paruus efficitur. Lapis ille, non caput aureum, non pectus argenteum, sed pedes luteos contigit; & vbi primum lutum contigit, ex illo contactu magnitudinem hausit: ita vt ex lapide paruo, mons magnus euaserit, & terram totam impleuerit. Hæc enim est humilitatis prærogatiua, vt altitudinem, & sublimitatem nobis pariat. Vnde qui magnus fieri studet, paruulus efficiatur; verum enim sublimitatis fundamentum humilitas est, & quantum quisque magis deprimitur, tantum altius eleuatur. Hinc est, vt Diuus Antonius de Padua in humilitatis laudem effusus, ita exclamet. *O humilitas cordis, quæ mare amarum, & horridum conuertis in lac dulce, & iucundum. O quam dulcis amaritudo, o quam leuis tribulatio, quam electi sustinent pro Christi nomine. Lapides Stephano, craticula Laurentio, carbones ignis Vincentio dulces fuerunt. Inundationes maris, quasi lac pro Christo fuxerunt. Sola enim humilitas cum spiritus auiditate, & delectatione, nouit fugere tribulationem, & dolorem*. Hactenus ille. Si ergo tot, ac tantæ sunt humilitatis prætogatiuę; si in illa vera magnitudo consistit: si vt magnus quisque euadat, paruum effici oportet. Proculdubiò a nobis diligenda est, quia ibi requiem, delectationem, & suauitatem reperiemus, veramque magnitudinem consequemur: ille enim apud Deum solummodo magnus est, qui apud se paruulus efficitur.

Luti contactus aureus humili.

D. Anton. Domin. infra oct. nauit.

Humilitatis encomia.





CAPVT VI.

Quod adeo magna est vitæ miseria, vt cum magnitudinis suæ ostentatione homines exaltat, maiorem imbecillitatem ostēdit; quia tunc clariorem mortis suæ demonstrationem illis exhibet.



HOMINEM efformaturus erat Deus, ac vt vitam conferret: *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, vbi notandum est verbum, *inspirauit*, quod Hebraicè sonat, *Napach*, & non solum inspirare significat, sed insufflare, seu spiritum, vel flatum proijcere; vt ibi commentatur Pererius. *Primò*, ait, *inspirauit: verbum Hebræum Napach; significat inspirare, insufflare, seu flatum emittere*. Itaque, insufflando, vitam homini contulit Deus: *Et dicit inspirauit, quasi*, ait Abulens. *Deus, flando in vultu hominis, dederit ei flatum*, quod textui Hebræo consonum est, vbi ita: *Insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ*. Cohæret D. Bonauenturæ Paraphrasis. *Hebræis verbum inspirauit, est insufflauit, spiraculum est halitus, seu spiritus*. Ita ille at tu vide, quod suffitu quodam, & halitu, magnitudinis suæ complementum accepit homo: Nam tota eius magnitudo, & excellentia in eo stetit; quod ad Dei imaginem, & similitudinem factus fuerit. Tunc autem additum est vltimum imagini complementum: cum Deo in ipsius faciem insufflante, viuere cœpit. Quid ante vitam erat homo? Puluis tenuissimus, qui Dei manus subactus, & flatu animatus, homo cœpit esse, qui antea puluis: vnde dictum est ei: *Puluis es*. Corripe pugillum pulueris, & insuffla, statimque euanescet. Cur ergo homo in manu Dei constitutus, flatu viuit, eum maius periculum subeat, vt in autas euanesceret?

Gen. 2.

Ben. Per. vers. 7.

Abul. ibi. q. 7

S. Bonau. ... in ... fer. ... albis.

Hominis magnitudo acrea.

ret? Egregiè quidem ita dispositum; siquidem tunc vita, in sui exordio, ampliorem ostentabat excellentiam; ideo oportebat, vt ibi etiam maior imbecillitas appareret, & mortis occasus certior esset. Atque adeò puluis cum sit, flatu viuat homo, quo etiam perire poterat, & euanescere: Vnde dicit: *Inspirauit, quasi Deus flando in vultu hominis dederit ei flatum*; eademque actione, flatu nimirum, exaltationis humanæ indicium, & ruinæ, ac mortis præcipitium copulauerit.

Inde maior imbecillitas, vnde maior excellentia.

Duo veteris testamenti loca, in rem præsentem aptissima profecto, & illustro: alterum ex libris Regum, vbi refertur; quod Saulis armiger, videns illum gladio transfossum, instante, & rogante eodem Saule, in ipsum irruit, & tandem ex vulnere moriturum confecit: sic enim rem totam retulit Dauidi locutus. *Stansque super eum occidi illum, sciebam enim, quod viuere non poterat post ruinam, & tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius*. Altetum ex Genesi. Quando Ioseph, regijs insignibus a Pharaone (apud quem magna valebat gratia) decoratus, per vias Vrbis, sequente populi acclamatione, ferebatur, totius Ægypti Princeps a Rege constitutus. *Dixitque rursus Pharao ad Ioseph: ecce constitui te super vniuersam terram Aegypti, tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manus eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit*. Porrò ex Lyrani, & Abulensis placito: annuli traditio, regiam potestatem Iosepho concessam, demonstrabat. *In signum* inquit Lyra, *potestatis sibi concessæ*; & Abulensis: *Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manus eius; scilicet in manu Ioseph, quia annulus Regis, erat ad sigillandum litteras*. Hic iam inquirendum est; qua de causa, si Pharaonis insignia, nimirum, annulus, & torques, sunt potestatis argumenta: cur à Saule moriente auferuntur, & hoc in mortis probationem adducitur? Quo fine Pharao, cum potestatem Iosepho tradit, insignijs vtitur, quæ pro mortis signo vsurpantur? Voluptuosa quidem est regiæ potestatis assecutio, & mæstissima mortis recordatio, vt quid tristia miscet lætis, & funesta iucundis: potestatem confert, & mortem in ipsis potentiæ insignibus amentat? Prudenter equidem ita disposuit, vt vitæ huius miseriam demonstraret; quæ in ipsa magnitudinis suæ ostentatione, maiorem præfert imbecillitatem, & quibus exaltando blanditur, eos aperta interitus demonstratione perterret. Dicas sciscitor: quæ maior fuit Ioseph exaltatio? Nonne, cum ad regalem euectus est dignitatem? ita quidem: quodnam fuit traditæ potestatis signum? Regalia Pharaonis insignia. Hæc autem mortis erant argumenta, vt vidimus in Saule, in cuius mortis demonstrationem, regalia insignia protulit armiger: Itaque, dum alteri traduntur signa dignitatis, vt imperet, & ab altero vita, & imperio pariter spoliato, auferuntur, vt de ipsius morte constet, misera vitæ conditio indicatur, quæ dum ambitiosius se ostentat, imbecillior apparet; & quos altius extollit, apertioribus mortis indicijs contristat. Atque adeo, cum audis de Pharaone: *Tulitque anulum de manu sua, & dedit eum in manus eius, in signum potestatis sibi concessæ*. Et de armigero Saulis: *Sciebam enim, quod viuere non poterat post ruinam, tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius*: vitæ præsentis miseriam cogita, quæ dum magnitudinem prodit, imbecillitatem ostendit, & exaltationis, ac potentiæ voluptatem, clarissimis mortis demonstrationibus, funestat.

2. Reg. 1.

Gen. 41.

Lyr. ibi.

Abul ibi. q. 3

Insignia dignitatis nuntia sunt mortis.

Gen. vbi sup.

Ad Iosephum iterum redeo, quem præter annulum, & torquem, vestem byssina donauit Rex Aegypti. *Vestiuitque eum stola byssina*: vt omnibus modis regalem dignitatem ostentaret; byssus enim, vt ad hunc locum notat Pereyra, *Est tenuissimi, atque candidissimi genus lini, olim maximo in pretio, & honore, ac delicijs habitum, & dignitatis, atque honoris gratia, principibus viris, & sacerdotibus vsitatum. Itaque veste facta de lino candidissimo, & delicatissimo*, operitur Ioseph, vt ibi etiam notauit Abulensis. Sed quid Bysso, & lino, ad potestatis ostentationem? tradide-

Gen. 41.

Ben. Pereyr. ver. 36.

Abul qu. 2.

dederit Pharao annulum, & torquem: hæc enim repræsentandæ potestati videbantur aptissima: byssus verò, quid habet cum regali potentia commune? Ausculta: moritur ex infima plebe quispiam, vili sindone tumulandus inuoluitur. Princeps, e vita decedit, tenuissima, & candidissima quæritur byssus: ex ea parantur funebria quibus est sepeliendus. Ergo Ioseph, cum regali potestate insignitur, annulum, & torquem accipit, in signum potestatis sibi concessæ. Et insuper, lino, seu bysso, vestitur, ex quo sepeliendis funebria parantur: Nec dissonat vestis illius byssinæ apparatus, sed inaugurandæ potestati est valde opportunus. Nonne diximus, adeo magnam esse vitæ huius miseriam, vt cum, homines magnificando, ampliorem facit ostentationem, clariora suæ fragilitatis, & futuræ mortis indicia præbeat? Ita quidem: probè igitur Pharao, cum Iosephum ad regiæ dignitatis culmen extollit, & in traditæ potestatis signum annulum dat, & torquem, & insuper lino vestit, in quo funebria repræsentantur, vt Ioseph, hac ratione edoctus; mortalitatis sit memor, & præsentis vitæ miseriam agnoscat, quæ in ea potestatis celsitudine fragilis apparet, & aperta prodit mortis indicia, ideo torquem, & annulum dat, *in signum potestatis sibi concessa. Vestitque eum stola byssina, idest veste facta de lino candidissimo, & delicatissimo*, ad propriæ imbecilitatis demonstrationem, & mortis citò affuturæ indicium.

Dignitates funebria secum portãt.

Quam benè hanc vitæ conditionem agnouit Dauid, qui, vt egregiè notat Abulensis, vbi primum de morte Saulis factus est certior, de sua in Regem inauguratione sedulò tractauit. *Manserunt in oppidis Hebron: veneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda*. Hæc autem inauguratio fiebat olei effusione super caput Regis futuri. *Vnxerunt*, ait Abulensis, *fundendo oleum super caput eius, quia sic consecrabant reges, & accipiebant titulum Regni*. Peracta vero Dauid vnctione, accessit nuntius, qui retulit viros Iabes Galaad Saulem sepulchro condidisse: *Et nuntiatum est*, inquit textus, *Dauid quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul*. Vtrumque coniunxit, & Regni inaugurationem, & sepulturæ memoriam, dicendo: *Et nuntiatum est*. Itaque Dauid à mortis nuntio suam inaugurationem incœpit, & sepulchri memoria perfecit, vtrumque prudenter. Cum enim tam misera sit vita præsens, vt dum bona ostentat, imbecillitatem manifestet, & potentiæ, dignitatisque splendorem, mortis statim affuturæ, demonstrationibus obnubilet; vbi primum de Saulis morte edocetur, in Regem inungitur, & peracta vnctione, immediato de Saulis sepultura nuntium affertur. *Vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda. Et nuntiatum est Dauid, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul*.

.Reg. 2.

Abul. q. 3.

Dignitatu faustus mortis memoria temperandus.

Sed iam Dauidis vnctionem præstringamus, & cęremonias, quæ inter vngendum, fuerunt obseruatæ, perpendamus. Igitur, ait Abulens. *Vnxerunt* Dauid, *fundendo oleum super caput eius, quia sic consecrabantur Reges, & accipiebant titulum Regni*. Hoc autem oleum, quod vngendis Regibus seruiebat, non erat commune, sed ex varijs aromatibus compositum, vt colligitur ex c. 30. Exod. *Sume tibi aromata prima myrrhæ electæ quingentos siclos, & cinnamomi medium, &c.* Licet verò multa alia compositionem huius olei ingrederentur, præcipua tamen memorantur myrrha, & cinnamomum. Et hoc multiplici de causa. Primam assignat D. Gregorius dicens; myrrham esse mortis symbolum, vt nemo est qui ignoret. *Myrrham mortis esse symbolum, nemo dubitarit eorum. qui sacris in litteris versati sunt*. Secundam reddit, meus D. Antonius. Quia, videlicet, cinnamomum colore suo cinerem refert, & in colore mortem. *In cinnamomo*, inquit, *quod est cineret coloris, memoria mortis proponitur*. Tertiam profert Abulensis, à primis duabus non dissimilem, nimirum, quia ad compositionem præfati olei eligebantur materiæ, in quibus prædominabatur siccitas; & ideo conficiebatur, ex his Thymiama, quod in puluerem breuissime soluebatur. *In secunda*, ait *compositione, ea, quæ ponebantur, magis*

Abul. vbi sup.

Oleum brevi exempli, inungendis Regibus.

Exo. 30.

D. Gregor.

D. Gregor.

Summum aromatum, mortis memoria.

D. Ant. Pad. serm. in die Pasch.

Abul. in Exo. q. 12. ca. 30

L erant

erant sicca, quam humida, vel saltem ea, qua sicca erant, in maiori pondere ponebantur. Et patet, quia fiebat inde thymiama, quod resoluebatur in puluerem, quod ad res valde siccas pertinet. At sit mortis symbolum mirrha, & cinnamomum cinerem colore referat, & vtrumque siccitate præstet, ita vt in puluerem resoluatur. Quid hoc ad regiam dignitatem, vt propterea hæc aromata vngendis regibus eligantur? & oleum, ex ijs

ex. 30. compositum, dicatur sanctum? *Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras.* Ex ipso olei ministerio colligitur, quid respondendum sit. Etenim hoc oleo consecrabantur Reges & regium titulum obtinebant, teste Abulensi.

Olei perunctio lubricitatem denotat dignitatis.

Cum autem Regia potestas, & celsitudo mundialis sit, & in vita præsenti conferatur hominibus, vt agnoscant vitæ miseriam, quæ in maiori sublimitate suam ostendit imbecillitatem, & potestatis initia, certissimæ mortis demonstrationibus funestat: dum traditur Regnum, dum Regni titulus conceditur, mirrha, & cinnamomum adhibetur, quæ colore suo, & qualitate, in puluerem solui aptissima, mortem, & vitæ præsentis fragilitatem repræsentat; & ideo, vt Reges huiusmodi fragilitatis admonerentur, oleo, de eiusmodi rebus composito consecrabantur, & illud sanctum a Deo dicebatur. *Quia sic consecrabantur Reges, & accipiebant titulum Regni. Hoc oleum vnctionis, sanctum erit mihi in generationes uestras.*

Vnctus a Samuele in Regem Israelis Saul, videtur dubitasse, an per illam vnctionem, Israelitici imperij moderamen, ac Regis titulum acceperit; Quod aduertens Samuel, vt omnem è corde Saulis dubitationem auferret, sic eum fuit allocutus: *Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem.*


1. Reg. 10. *Cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel, in finibus Beniamin.* Vides signum a Samuele traditum, per quod Saul certus de sua in Regem cooptatione redderetur.

Certitudo Regni eundem præbet interitus.

Scitaberis nihilominus, cur cum viri, quos prædixit inuenturos, proximiores essent extremo termino Beniamin, quam Rachelis sepulchro? prius meminit de Rachelis sepulchro, & postea addidit terminum Beniamin? & fors terminus ille Beniamin notior erat, atque ad signum accommodatior. Adde, quod ista signa, ad nihil aliud data videntur, quam, vt solus Saul, qui suam nouerat vnctionem, certus redderetur de electione ad Israeliticum imperium: cuius ignari prorsus erant alij Israelitæ, vt docuit Abulensis quæstioni a se propositæ respondens. *Respondendum, inquit, est, quod dabantur* Abul. quæst. 4. *ista signa, ad certificationem, scilicet, an ista vnctio ad aliquid proficeret: non erat tamen ad certificandum aliquem, nisi Saulem, quia ista vnctio erat occulta Israelitis: ideo non poterat dari illis aliquid certificatiuum illius. Sauli autem datum est signum certificatiuum, ad hoc, quod ipse crederet, vere se esse Regem:*

Mortis signa & Potestatis indicia non differunt.

Itaque signum illud solummodo proderat, vt Saul crederet Samueli sibi dicenti, in Regem Israelis à Deo electum. Et Samuel disertè vsus est tali signo; quoniam, sicut Regnum contulerat, vngendo oleo aromatum, quæ, vt diximus, mortem significabant, ad demonstrationem, quod vita præsens, dum suam ostentat magnitudinem, fragilis apparet, ac vt mortalem se nouerit qui Rex inauguratur: tandemque ob causam, traditi Regni signa in sepulchro primum constituuntur, vt in eodem loco magnitudinem Regiam, & vitæ miseriam inspiciat, quæ inter se adeo colligantur, vt in ipsa celsitudinis ostentatione, maior se prodat miseria, & sceptro, coronæque funebria coniungantur. Et ideo: *Quando Sauli datum est signum certificatiuum, ad hoc quod ipse crederet vere se esse Regem*: ad Rachelis sepulchrum, iubente Samuele, dirigitur: *Inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel*, & postea additur, *in finibus Beniamin.*



CA-



CAPVT VII.

Quod vita, cum suis miserijs, adeo sit infelix, vt nulla felicitas sine morte sit: nec mors, quæ vita etiam non sit iudicanda.



VITÆ cupidos alloquebatur, olim, Regius Vates, & hunc in modum interrogabat: *Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos?* Miror, cur ita interroget; cum nemo sit, qui in vitæ amorem non ruerit: statim vt quis nascitur, viuendi amore capitur, & dies potiri bonos exoptat. Sed egregiè decipitur, quia nulli vita voluptuosa est vitam amanti: & frustra, vt notat Glossa interlinealis: *diligit dies, qui nunquam scit in hoc sæculo videre bonos.* At cur frustanea est ista bonorum appetitio, nec in vita præsenti quiete perfrui datur? Audiendus est D. Bernardus, vitæ miseriam describens. *Hæc vita,* inquit, *quam viuimus, magis mors est, nec simpliciter vita, sed vita mortalis, semperque ex quo incipimus viuere, nihil aliud agimus, nisi morti appropinquare, & incipere mori: ibi verè viuitur, vbi viuida vita est, & vitalis.* Hæc ille: vbi vides, nihil esse in hac vita, in quo spem suam collocare quisquam possit, præterquàm in morte; in qua solummodo viuimus, & requiescimus. Dum hic viuimus, morimur, & nihil aliud vita est nostra, quam cursus ad mortem citatissimus. Meritò igitur Regius Vates amentiæ damnat, qui vitæ amore capti, illam suspi rant habere felicem. Quis est homo qui vult vitam? Quisquis ille est. *Fallitur, si diligit dies videre bonos*; quia fraudabitur desiderio suo: Tam magna quippe infelicitate vita præsens affecta est, vt nulla sine morte felicitas in ea reperiatur, nec mors, quæ vita non sit. Atque adeo fallitur, qui vitam hanc non mortem potius credit, quam vitam, siquidem ipsummet viuere, mori est; nec qui viuit, viuere credendus est, sed dilatata morte consumi: ibi solummodo *verè viuit, ibi uita uiuida est, & uitalis.*

Psal. 33.

Glos. int. ibi.

Dies vitæ, quasi non sint.

D. *Bernar. ser. 17. super* 30.

Sola in morte vita, & requies.

Vera vita quæ.

Iansenius aliter hanc Dauidis interrogationem interpretatur, quasi velit, fieri non posse, vt quis longa cum delitijs in hoc sæculo vita fruatur, & in futuro æternam obtineat. *Quis est homo, qui uult in hoc sæculo longæuam, & ueram uitam, & in futuro uitam perpetuam?* Illuditur, quia desiderium longæ vitæ, fruitionem æternæ non sustinet. Nec stare potest, vt hic delectabiliter viuere cupiat, & postea æternæ vitæ gaudijs perfruatur: Quoniam hic nulla sine morte felicitas, & quisquis felicitatem amat, mortem appetit, & amando perit. Hinc est illa D. Fulgentij sententia, de vitæ breuitate differentis. Nam si bona est vita nostra, non quia breuis parui facienda; quoniam celerrimè nos transfert in paradisum: si autem criminosa sit, tanto peior, quanto longior; nam post dilatata annorum spatia, possessores suos in infernum præcipitat. *Vita igitur,* Inquit, *mala immaturos, acerbosque senes, demergit in Tartarum: uita uero bona, defunctos iuuenes maturos perducit ad Regnum.* Ergo, non imprudenter de illorum salute dubitat Iansenius, qui vitam præsentem in longos annos pertrahere desiderant. *Quis est homo qui uult in hoc sæculo longæuam, ac ueram uitam & in futuro uitam perpetuam?* Siquidē infelix terminus illum maneat necesse est, qui vitam miserijs plenam adamat, in qua felicitas sine morte non est, nec mors sine vita, reperitur.

Iansen. in psal. 33.

Desiderium diù hic, & æterne viuendi, nō si multant.

S. Fulg. ep. 1. de stat. Vidu.

De salute eorum dubitandum, qui diu viuere cupiunt.

Pergit adhuc Fulgentius, & vitam hanc, non solum quo ad temporalia, sed etiam quo ad ea, quæ tempori non subijciuntur, infelicem iudicauit. Etenim diu, & male viuere, est cruciatus æterni pœnam augere. Parum autem, sed bene viuere, repositam in cælo coronam assequi est, & gloriam amplificare. *Sicut enim,* ait, *uita mala quantò magis fuerit temporaliter prolonga-*

S. Fulgen. vbi supra.

ta, tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam; sic in uita bona, quamuis hic breui tempore terminata, magnam, sempiternamque conquirit, benè uiuentibus, gloriam. Ergo, qui diuitius, & peius viuit, maiori pœnæ obnoxius est, quam qui male viuit, & parum? Ita quidem, si de pœnarum acerbitate, non verò de duratione intelligas; quoniam in omnibus damnatis æterna est pœnæ duratio: acerbitas verò maior, minorue, pro criminum qualitate, & multiplicitate mensurata. Scoti sententia est. *Licet enim*, inquit, *pœna peccatorum æqualis sit, quantum ad æternitatem, tamen inæqualis est, quantum ad acerbitatem.* Exemplo res elucidatur. Habet infirmus duas accessiones, octo horarum vnam, & alteram duabus tantum horis durantem. Vtraque accessio, quantum ad febrim, æqualis est; attamen, ratione temporis, plus laborat ægrotus, qui per octo horas, quam qui per duas tantum cum febri colluctatur. Hinc cernere est, quam amentiæ damnandi sunt, qui dicunt, si sustinenda pro vno damnatio est, pro centum sustineatur, quia semel in infernum detrusi, pœnis cruciabimur æternis. O nimis fatui? Pœna vestra eadem erit, quoad æternitatem; intentius tamen qui plus deliquistis, cruciabimini. Scotum audite monentem. *Hic nota stultitiam quorundam, qui dicunt si damnari debemus, faciamus quæcunque nobis placent, ita bonum est esse in cœlo, cum vtroque pede, sicut cum vno tantum. Falsum dicunt, quia si deberent sibi oculi erui, leuius esset, vt erueretur sibi vnus, quam vterque. Melius est modicam febrim sustinere, quam grauem: sic leuius est sustinere pœnas inferni pro vno peccato mortali, siue pro duobus, quam pro centum; quia secundum mensuram peccati mensurabitur pœna.* Hæc ille solidè, & verè. Iudicis enim æterni sententia decretum est, vt quantum quisque in præsenti sæculo, delitijs vacando, peccauit, tantum in inferno, tormenta sustinendo, crucietur. Apocalypsis 18. ait Ioannes. *Quantum se glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date ei luctum, & tormentum.* Benè igitur, ex malæ vitæ longitudine pœnarum, atrocitatem deducit Fulgentius; siquidem, quo diuturnior fuerit, & improbior, eo pœnis, & cruciatibus fœcundior erit: quantumque temporis ei fiet accessio, tantum habebit pœnarum. Vice versa, quæ bona extiterit, licet breuis, citius gloriam, viuenti, sempiternam acquiret. Ergo ad bonorum exemplum, bona sectemur vitam, & improbos detestando, prauam abominemur. Nedum quod vita, quæcunque illa sit, ita misera, infelixque est, vt mors potius dicenda sit, quam vita, & mors præterea nulla sit, in qua vita non inueniatur. Repeto Bernardum. *Hæc vita, quam uiuimus, magis mors est. Ex quo incipimus, nihil aliud agimus, nisi morti appropinquare, & incipere mori: ibi verè viuitur, ubi uiuida uita est, & uitalis.*

Nota. | Scot. serm. 1 temp. | maiori no[...] e, grauio[...] spōdet pe[...] | Scot. vbi sup | Notanda ... [...] aio, circa æternos cru[...] tatus. | Apoc. 18. | Viuendo moritur, & moriendo viuitur.

Notissimo Abrahami sacrificio rem hanc progredior illustrandam. Igitur admonitus a Deo Abraham, vt filium suum supra montem sibi offerret in holocaustum, primo diluculo surrexit, vt iubenti Deo obtemperaret: *Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum.* Quo properas iuuenili ardore senex, quo filium impensè dilectum portas? nonnè paterno gladio in monte feriendum? Cur ergo paternus amor non tantisper cunctatur, & expectat, an mandatum reuocetur? Siste gradum, ne florem in ipso ortu vernantem demetas. Tu verò, o adolescens, cur parentem, a quo statim iugulandus es, ita promptè, celeriterque comitaris? Abi vel saltem lentius inambula, & vitæ spatium, incedendi lentitudine proroga? Lusit egregiè hoc in loco S. Zenonis Calamus. *O nouum*, inquit, *spectaculum, ac uerè Deo dignum, in quo definire difficile est; utrum sit patientior Sacerdos, an uictima. Non percussoris, non percutiendi claudicat color: non membra tremore uibrantur: non demissi, non torui sunt oculi. Nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur, ne uerè sit parricidium. Ille exerit gladium, ille ceruicem, uno uoto, una deuotione; ne quid profanum fit, diligenter, ac patienter geritur, quod ab altero celebratur.* Hactenus ille. At ve-

Gen. 22. | S. Zen. Veron. ser. 6. 1. | Maximum obedientiæ exemplum.

rò Abrahamus cur ita cedulus ad filij occisionem inuolat, ac si ad conuiuium deportaret? Patrem, imò & hominem videtur exuisse, qui in filij vita suam extinguere posteritatem non dubitabat. Falleris tamen, respondit Zenon Veronensis; *Ideo Isaac sibi dulcis-*
Euseb. in mor. S. Hieron. *simum filium, Deo uictimam dulciorem contemnit, ut seruet: destinat iugulare, ne iugulet.* Pugnantia loqui videtur: quomodo enim seruat, si mactat: quomodo ceruicem amputare vult, vt vitam conferat? Nihil certè magis consonum loqui potuisset. Moriens Isaac vitam amittit, in qua nulla felicitas est à morte immunis, & mortem comparat, vbi vita, & quies inuenitur. Ausculta Eu-
Euse. in mor. S. Hieron. sebium, S. Hieronymi nomine loquentem. *Verè hic uiuens mortuus sum, & ecce iam uiuificor: uita mundi non uita, sed mors: uita fallax, uita onusta tristitijs.* Benè igitur Abraham, dum filium
vitæ fęlix iactura, quæ æternā parat immolando à præsentis vitæ calamitatibus liberat, dum iugulando occidere vult seruare dicitur, & incolumem reddere: quia vitæ meliori, & tranquillitati custodiebat: Optimū Patris consilium: vt filius futuræ felicitatis præsagus, non formidabat interitum, sed hilaris expectabat, illud ab Eusebio dictum forsan mente recolens. *Verè hic uiuens mortuus sum, & ecce iam uiuificor. Vita mundi non uita, sed mors: uita fallax, uita onusta tristitijs.*

Gen. 22. Et sanè mortem libenter sustinebat, qui se ligari permisit a Patre. *Cumque ligasset Isaac filium suum:* Nisi enim iuuenis, ætate robustus, vincula sponte taneus pateretur, a sene ligari non posset.
Abul. ibi. Abulensis: *Non est quod Abraham ligauerit inuitum: quia potentior erat Isaac filius suo Patre Abraham; erat enim Isaac Iuuenis, & annorum triginta & septem, Abraham autem tunc senex ualde erat.* Sed vnde nam hæc iuueni moriendi voluptas, cui insitus est vitæ amor? Forsan Patris suasionibus hoc fecit? Non abnuam, quia, teste Abu-
Abul. vbi sup. lensi. *Refert Iosephus, quod altari ædificato, compositis lignis, cæterisque dispositis, Abraham dixit filio suo Isaac, quomodo à Deo magnis precibus acquisitus fuerat, & quomodo miraculosè conceptus fuerat, & natus in gaudio, & quod nunc uolebat non bello, aut peste, uel ægritudine eum terminari, sed in orationibus, & laudibus diuinis per immolationem uitam finire.* Multum equidem, apud Isaac posset hæc parentis adhortatio. At aliunde nata est moriendi voluptas in filio, & immolandi celeritas in parente. Videlicet, vt, meliori fœnore, vitam commutaret pro morte: ita censuit D. Gregorius Nissen. cuius est illud. *Vt puer in meliorem, & augustiorem formam, transmutaretur.* Perpen- S.Greg. Nissen. or. in fun Pulche.
dit Isaac vitæ huius calamitates, vidit nihil in ea voluptuosum, sed cuncta tristitijs onusta, & infeliciratibus plena, quodque in morte vita esset, & quies, & in vita mors, & calamitas; vt ergo ab his se eriperet, iugulum parentis gladio libenter obiecit. *Vt in meliorem, & angustiorem formam transmutaretur.* Iusti morientis fœlix transmutatio.

Duo, ex testamento veteri alterum, & ex nouo alterum, loca profero, quo ad speciem contraria, ex quorum consonantia, noster hic cogitatus illustrabitur. Ergo Ionas Deum orat, vt eum de medio tollat. *Scio enim*, inquit, *quia* Ionæ 4.
tu es Deus clemens, misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Et nunc Domine: tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors, quam vita. Planè, ait Philo, cui D. Hieronymus, & Theodoretus assentiuntur, mæstitudinis affectus Prophetæ cor inuasit, & propterea mortem precatur. *Propheta*, inquit, *tristatus vult mori.* Et vt à tristitia liberetur, mortem exoptat. *Ionas*, ait, Chrysostom. *tristitiam fugiens, confugit ad mortem.* Itaque mors erat Ionę mętitię remedium. S. Hieron Philon. Theod. ibi. S. Io. Chrisost. epis. ad Olimpio.
Longè dispar fuit in Christo apud hortum tristitiæ affectus, qui in eo ex morte prouenit; vnde Apostolis dicebat. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matth. 26.
Video, vt contrarij affectus, ex eadem causa enascantur: Etenim Ionas, vt tristiam fugiat, mortem eligit, quasi ibi magna sit causa lætitiæ; & Christus, obiecta sibi morte, tristatur, & ait, tristis est anima mea vsque ad mortem. Quid acerbum dominus vidit in morte, vt propter illam tristaretur? Quid iucundum seruus inspexit, vt ad fugiendam tristitiam, ad mortis asylum fugiat? Respondet D. Hieronymus: In morte ait quid voluptatis inueniunt iusti

Chri-

Christum non propter mortem, sed vsquequo veniret illa, tristatum fuisse.
Hieron. ibi. & Cat. ant. *Non autem*, ait, *propter mortem, sed vsque ad mortem dicitur contristatus*. Quasi diceret, inspectis vitæ præsentis infelicitatibus, vbi nulla sine morte vita est, & perpensis bonis, quæ ex morte oriuntur, in qua semper vita reperitur, mortem ambio, & vitam fastidio, atque adeo: dum mors, in qua tot bona intueor, non accedit, tristitia afficior, non propter mortem, quam summopore expeto, sed de vita, e qua decedere iucundum est: & ideo, dum audistis dicentem: *Tristis est anima mea, vsque ad mortem*: non quod moriturus sim, sed quod mortis hora differatur contristatum intelligite. Prudenter igitur Ionas, qui vitæ mala expenderat, & bona in morte latentia conspexerat, dum tristitia concutitur, ad mortem fugit, mori precatur, & hoc iucundius sibi forè credit, quam viuere. *Melior est*, inquit, *mihi mors, quam viuere*. Dum enim viuo, tristitia premor, si moriar, gaudio distendar, quia in vita nulla est sine morte felicitas, & in morte felix vita consistit: Noli ergo mirari si *Ionas tristitiam fugiens, confugit ad mortem*. Et hanc tanquam diuinæ clementiæ, & miserationis beneficium, a Deo efflagitet; *Scio enim, quia tu es Deus clemens, & misericors es*.

[margin: ...itam æter... m expe... antibus iu... ndior mort... uam vita.]

Sed iam subter Iuniperum sedentem Eliam, & mortem a Deo postulantem ausculto. 3. Reg. 19. scribitur; *Cumque venisset, & sederet subter vnum Iuniperum, petiuit anima sua vt moreretur, & ait: sufficit mihi Domine, tolle animam meam*. Quid agis Elia? Iezabelem fugisti, vt mortem fugeres, & nunc mortem precàris? in Regis curiam reuertere, ibi gladius te expectat: non deerit sateles, qui ad Reginæ imperium caput amputet; vt quid Deum vis habere mortis auctorem? neminem vult occidere vitæ largitor; quod si tristitia, & mærore premeris, ac vt te liberes, mortem exoptas, absque vlla precum instantia a Iezabele obtinebis, quæ tuum sanguinem sitit, nec nisi te extincto conquiescet. Ita ferè cum Elia expostulat D. Chrysostomus: *Si mortem meliorem mærore credebas; quare, & patriam, & populum, ne mortem incurreret, reliquit, & fugit? quomodo mortem, quam tunc fugerat, nunc requirit?* Fors vitæ tædium hoc dedit moriendi desiderium? ait Abulensis ad illa verba. *Sufficit mihi: Domine tolle animam meam* idest, *sufficit mihi id, quod vixi, & non desidero vltra viuere; ideo tolle animam meam*. At non credo, quod propter vitæ tædium, mori vellet Propheta; quoniam facile ei erat in vrbe manere, ibique Reginæ iussu occidi, & viuendi tædio liberari. Noua igitur causa fugienti mortem aduenit, vt illam nunc postulet. Aliquam in morte dulcedinem nunc inuenit, quam antea non videbat, & propterea mortis acerbitatem fugiendo declinabat. Vidit, nisi fallor, Abulensis expendens, illa verba. *Sufficit mihi Domine, idest*, inquit, *sufficiat mihi hoc bonum, quod moriar, & non peto, quod liberes me amplius à periculis: nec quod des mihi cibum miraculosè, sicut dedisti per coruos in torrente Carith; & postea in sarepta in domo uiduæ*. Sedit igitur Elias, & exuto naturali motu, qui in fugam dederat, vitæ infelicitatem, & mortis bonum fuit contemplatus, subindeque agnouit, nullam esse vitam adeo faustam, & felicem, quæ morti non subijciatur: nec mortem ita formidabilem, in qua vita non sit: & ideo fugæ pęnitens, mutatoque consilio, bonorum, quæ in morte inspexerat, cupidus, & vitæ infelicitatem perræsus, mori desiderat. *Cumque uenisset, & sederet subter unam Iuniperum, petiuit anima sua, ut moreretur*. Quasi diceret: non est cur mortem reformides, aut exitum e vita perhorrescas; quia viuendo morieris, & moriendo viues: In vita namque mors, & in morte vitam inuenies. Eia igitur, libenter morere, & hilariter dicito: *Sufficit mihi hoc bonum, quod moriar*.

[margin: Reg. 19. — Ioan. Chrys. ... ad elimp. — Tost. ibi. q. 4. — Abul. ibi. — Mors inter bona.]

Hæc dum animo versabat. *Proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi*: Mirum est, vt mortis cogitationi, & desiderio intentus, somno potuerit indulgere, nisi fortè itineris fatigatio somnum conciliauit, vt credidit Lyranus, dicens: *Obdormiuit in vmbra iuniperi, fatigatus ex labore, & ieiunio*: Adstipulatur Abulensis. *Quamquam Elias* in-

[margin: 3. Reg. 19. — Mortales in somnes vellem. — Lyr. ibi. — Tost. ibi. quæst. 4.]

inquit, *ieiunus esset, & ieiuni male dormiant, tamen ipse dormiuit, præ fatigatione itineris*: Cæterum adeò potens est sollicitudo, & pauor, vt somnum excutiant. Hinc est, vt Dauid in somnis transigeret noctem, præ hostes suos euadendi sollicitudine. *Anticipauerunt*, inquit, *vigilias oculi mei*. Quod ita reddit Eutymius. *Oculi mei omnes noctis custodias præuenerunt; cum enim meditarer, & sollicitus essem, recessit ab oculis meis somnus.* Longè aliter Elias, quamquam enim ieiunus esset, quibus non ita facilè somnus obrepit, attamen dormiuit, & antequam dormiret, mortem postulauit, tali petitione somnum prouocans: *petiuit animæ suæ, vt moreretur*. Non enim terreri morte poterat, cui notum erat illud à Diuo Basilio postea dictum. *Nunc quidem in vita non sumus, sed in morte*: Et mors non nunquam mala fugienda est, sed cuplenda, siquidem in ea vita est, & in vita mors. Cum igitur Elias mortem optaret, nec inueniret, somno, qui mortis imago est, se tradidit, vt dormiendo, bona frueretur, quod moriendo consequi sperabat, & verò in vita præsenti nulla quies, præterquam in morte reperitur; ideoque optabilius est mors, quam viuendo, tot vitæ amaritudinibus subiacere.

Ps. 76. Euth. ibi.

S. Bas. hom. in Ps. 33. Non sumus viuentes, sed morientes.

Nota.

Hinc animaduertes, quo iure dixerit sapiens. *Melior est mors, quam vita amara, & requies æterna, quam languor perseuerans*: Licet enim omnibus innatus sit vitæ amor, & sola mortis recordatio, vnumquemque exagiret, nihilominus, tot amaritudinibus vita nostra respersa est, vt multi illam fastidiant, & mortem, veluti meliorem, amplectantur; & ideo sapiens, vt aduertit S. Bonauentura, non simpliciter mortem dixit vita meliorem, sed vita amara. Est autem amara vita, quam mundiales traducunt delicijs, & voluptatibus affluentem, animæ tamen intetitum affert, vera tamen vita in morte consistit; & nullibi certius, quam in sepulchro requies inuenitur. Qui in hoc mundo assiduis languoribus affligantur, tranquillitate frui nequaquam possunt, e vita discedent, condentur sepulchro, & tunc demum quiescent, & discent; quod *melior est mors, quam vita amara, & requies æterna quam languor perseuerans*. Aptissima est in hanc rem S. Bonauenturæ periphrasis. *En quomodo*, inquit, *nomine languoris hæc mala omnia exprimuntur, quibus afficitur hæc vita. Quibus omnibus sic præsens hæc vita acerba redditur, & amara; ut mors ipsa uitæ huic uideatur præ eligenda, ut meritò dicat sapiens: Melior est mors, quam uita amara, & requies æterna, quam languor perseuerans.*

Ecclesiast. cap. 30.

Viuentium vita, amara.

S. Bonau. ser. 10. post Pentec.

Ponderent vitæ amatores, & videant quam male amorem suum vitæ sic fragili impendant, quæ cum incipit, desinit, ac idem viuendi illis fit, moriendique initium, vt iam, in isto selecto scripturæ loco, ostendo.

Nota.

Morti vicinus Iosue Hebræorum ductor sic eos alloquebatur: *En ego hodie ingredior viam vniuersæ terræ*. Seu, vt legit S. Bonauentura, *Viam uniuersæ carnis*, quod tantundem valet: sed cur, vt suum e vita discessum significet, verbis vtitur, quæ natiuitatem demonstrant? Nonnè cum moritur, vitam deserit, ac e mundo egreditur? Ita quidem ergo aptius dixisset egredior, quam ingredior. Dilerte tamen locutus; nam vitam deserẽs, properabat ad mortem, in qua viuere incipiebat, & dũ uiueret, moriebatur: ipsumque nasci, moriendi principium erat; quoniam talis est vitæ conditio, vt qui nascitur, mori incipiat, qui moritur, nouam auspicari vitam censeatur. Fallor ego, nisi hoc mihi sonant S. Bonauenturæ verba, calamo digna Seraphico. *Hinc Iosue stati moriturus, ait ad Populum: En ego hodie ingredior uiam uniuersæ carnis. Eam tamen tunc dicitur ingredi, cum apertè, completèque ingressus patet. Nam alioqui, ab ipso uitæ exordio fuerat ingressus*. Itaque, non immeritò vitam dicit mortem & hanc vitæ dulciorem: quia quicunq; in hoc mundo viuens demoratur, prolixa morte conficitur: qui moriendo proficiscitur, vitam obtinet magnis felicitatibus cumulatam. Iterum Seraphicus Doctor. *Corporalis nostra infirmitas, quæ præcipua est, ea est, quæ homo mox natus, in uentre matris incipit mori, neque ab hac corruptione desistit, donec penitus intereat, & occumbat totus, ipse*

Iosue 23. S. Bonau. ibi.

Mors ingressus, nõ egressus a vita.

S. Bonau Dom. 10. post Pentec.

Vbi supra.

enim

enim quotidianus defectus corruptionis; quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? uita quippe nostra, quam agimus corpore, mors est quædam diuturna: nam mori, est uita priuari; uiuere autem nostrum simul cum tempore currit, & cum ipsius temporis cursu semper labitur; qua cum tota fuerimus functi; tunc erimus plenè defuncti. Meritò ergo temporalis uita, mors est potius dicenda, quam uita. Hactenus ille verè, & sincerè. Quis hoc ignorat? nascimur, & quo plura conficimus vitæ spatia, celerius ad mortem imus, & viuentes prolixius morimur, & ad temporis cursum festinanter elabimur. Quidquid agimus, seu ludi, seu bella vocent, seu conuiuia, & scenæ teneant, morimur: Nauigantibus similes, quos quidquid moliantur, nauigia præteruehunt, ad portumque deducunt: Seraphici calami
Vbi supra. clausulam appono. *Vita nostra nauiganti similis est: is namque, qui nauigat, stet, sedeat, iaceat, vadit, quia impulsu nauis ducitur. Ita ergo, & nos sumus, quia siue vigilantes, siue dormientes, siue*
Nota. *iacentes, siue ambulantes, siue nolentes,*
Vita insensibiliter fluit, & euanescit. *siue uolentes, per momenta temporum, ad finem ducimur.* Et quisque aliter sentit, decipitur; nemo enim est, ab hac communi lege moriendi exemptus. Vitam igitur fastidiat, & mortem adamet. *Quia temporalis uita, mors est potius dicenda, quam uita.* Et mors vitam continet, omni amaritudine exemptam.



CAPVT VIII.

Quod potentia, & diuitiæ, sint maior vitæ miseria; quia corporis commoditatibus homines seducunt, & delicta repetendo, animarum damnationem incurrunt.



PRÆCIPIEBAT olim Deus in Leuitico, vt vesicula gutturis auium, quæ offerebantur in sacrificio, & plumæ secus altare, orientem versus, in locum effundendis cineribus destinatum, proijcerentur: Itemque: vt sacerdos, auium ascellas nequiquam secaret, ferroque diuideret; sed solummodo, antequam super altare adolerentur, confringeret. *Vesiculam uero gutturis, & plumas proijciet* Leuit. 1.
propè altare, ad orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi solent: confringetque ascellas eius. Leuitici cap. 1. Quam cæremoniam expendens S. Antonius de Padua illud Iob ex cap. 39. producit, in quo struthionis pennas, similes esse pennis herodij, & accipitris, seu ardeæ, vt D. Augustino placuit, testatur. *Penna struthionis, similis est* Iob 37.
pennis herodij, & accipitris. Vbi miror, quod ad explicandum mysterium, in Leuitici cæremonia contentum, ad herodij, & struthionis pennas recurrat, quæ, & huiusmodi auium vesiculæ sunt admodum dissimiles columbæ, aut turturis pennis; de quibus in Leuitico sermo est. At omnis tollitur dubitatio, si vesiculæ, pennarumque significatio attendatur. Ergo, ait Patauinus decor. *In vesicula gutturis notatur ardor, &* S. Ant. Pad. serm. Dom. 4. Quadrag.
sitis auaritiæ, in pluma leuitas superbiæ. Penna, inquit Iob, struthionis, idest hypocritæ, similis est pennis herodij, & accipitris, qui superbè, & leuiter uolant. Nota.
Cæterum; quamquam struthionis, & herodij pennæ similes esse videantur; vesiculæ tamen sunt valde dissimiles; siquidem herodius, accipiter, seu ardea, grano, herbis, & carne aluntur: At vero struthio, dicitur testudine, & ferro vescit. Hinc est, vt hic vix e terra volatum explicat; cum tamen aliæ aues in sublime ferantur, & quandoque, illæsis oculis, solem aspiciunt. Congruum enim est, vt auis, quæ grauibus terrenis, & ponderosis, quale est ferrum, vescitur, volare vix possit; & cum volare nititur, volandi conatum potius ostendit, quam volat: illæ autem, quibus minus terrena pro alimento deseruiunt, pennis sese ex aera extollunt, atque ab aspectu remouentur. Et ideo; quamuis habeant in pénis similitudinem, dispar est vtrorumque latus. His ergo prænotatis, iam quæstio dissoluenda est; nimirum, cur Deus hoc præceperit? Itemque cur

Struthio a sacrificijs excluditur; cum alas habeat auium valde nobilium pennis simillimas? Respondendum, quod vtræque aues huius sæculi diuites significant, hoc tamen discrimine, quod aues illæ ardore inflammantur, thesaurorum magnitudinem, opulentiamque possidendi: At vero Struthio, terrenos diuites significat, qui diuitias in se continent, hi pennis similes sunt, hoc est, plura possidendi desiderio habent: Et vesiculas habent dissimiles; quia in illis vesicula non impletur, sed partim est aere distenta, hoc est auaritia, & rerum mundialium appetitione. Cæterum; tam vesiculæ, quam plumæ in loco cinerum proijciuntur, & alæ, antequam aues immolentur, ipsis franguntur. Cur ita? Recole quod astruximus, & percipies. Nonne potestas, ac diuitiæ sunt maior vitæ miseria? siquidem homines corporis commoditatibus inescant; ut iterando culpas, animæ damnationem incurrant. Planè sunt: Iam uerò cineres secus altare repositi, quid aliud, quam inferni pœnas designant, & aues, quarum plumæ illuc proijciuntur, auaros inferno destinatos ostendunt. Perbellè igitur dispositum est, vt diuites, qui in hoc mundo totos se cumulandis diuitijs tradiderunt, & animæ salutem obliti, solas corporis commoditates curarunt, in locum cinerum, extra altare detruduntur, ubi frustis alis, æternos inferni cruciatus sustineant, & pœnas suis sceleribus debitas exoluant. At uero Struthio, quamuis alijs auibus similes pennas habeat, hoc est, eandem auaritiæ cupiditatem repræsentet, a sacrificijs excluditur, & Gehennæ cruciatibus mancipatur. Cur ita? Hypocritam refert, vt censuit D. Antonius. Hic autem apparet, quod non est, & quod non apparet, est. Talis Struthio, si alas respexeris, auem dices, si corpus, negabis auem. Ita quod non est cernitur, & quod est, non inspicitur. Pari ratione se habent sæculi huius diuites, si quempiam sacro fonte ablutum consideres, Christianum dicere non ambiges, sed ipsius opera, actionesque respiciens, gentilem existimabis: tanquam Struthio habet alas, hoc est fidei sacramenta suscipit: At præ cupiditate in terra defixus, cælestia non curat, sed toto studio auaritiæ incumbit, & corporeis commoditatibus inuigilat: is ergo a sacrificijs iure optimo sit exclusus, & confractis alis, gehennæ tormentis adiudicetur. *Penna*, inquit Iob, *struthionis*; idest hypocritæ, *similis est pennis herodij, & accipitris, qui superbè, & leuiter volant*; atque ad superbiæ, & leuitatis supplicium, in loco cinerum reponuntur, vt videant, quam acerbi ipsis maneant cruciatus, nisi auaritiæ sitim, cupiditatemque extinguant. *Vesiculam verò gutturis, & plumas proijciet propè altare ad orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi solent: confringetque ascellas eius.*

[Left margin: ...ari sym. ...lum.]
[Left margin: Hypocritæ symbolum.]
[Left margin: Ant. vbi su.]
[Left margin: Nota.]
[Right margin: Iob vbi sup.]

Facit in hanc rem illa Psalmographi attestatio, dicentis: *Diuites eguerunt, & esurierunt*. Res mira, vt famelicos dicat, quos diuites, hoc est rerum omnium abundantia cumulatos fatetur. Admirationem aufert Cassiodorus, diuitum famem sic interpretatus: *Diuites eguerunt, quia fidem non habent: esurierunt, quia corpore Domini non satiantur. Quid enim habent, qui Deum non habent?* Porrò nihil, & ideo, quamquam diuites omni rerum abundantia potiantur, esurire, & necessitate opprimi dicuntur, vbi primum diuites fiunt, Deo carere incipiunt: non quia diuites, & sanctos esse contrarium sit: multos enim diuites, sanctitate conspicuos, varia tulerunt sæcula. Communius tamen est, vt qui diuitijs abundant, Deo careant, & eo carentes, esuriant; quasi nihil possideant. Et tali Dei possessione destituti, ad vitæ voluptates, & corporis commoda, repetendo peccata, recurrunt: vnde fide destituti, & famelici, egestate laborant. *Diuites eguerunt, quia fidem non habent, esurierunt, quia corpore Domini non satiantur.* Etenim in solo hoc pane satietas inuenitur: reliqua nec implent, nec satiant, sed famem, sitimque exacuunt; vnde Gymnas. *Egent ergo illi diuites, egent, & quod est grauius pane egent, pane illo cælesti, qui dixit ego sum panis, qui de cælo descendi.* Cum igitur diuites, in tanta rerum abundantia esuriant, & inopes sint,

[Right margin: Ps. 33.]
[Right margin: Cassiod. ibi.]
[Right margin: Nihil habet, qui Deum non habet.]
[Right margin: Nota.]
[Right margin: Diuites nihil habentes.]
[Right margin: Terrena non satiant.]
[Right margin: Card Gimnas. ibi.]

M hu-

huiusmodique esuries, ac inopia, ex ipsis diuitijs enascũtur; quia Deo priuant, sine quo nihil possidetur. *Quid enim habet, qui Deum non habet*: optimè sequitur, diuitias maiorem esse vitæ miseriam, quæ dum homines corporis delectationibus, commodisque alliciunt, in repetita crimina præcipitant, & gehennæ incendijs in æternum cruciandos adiudicant.

Ps. 33. Adhuc tamen discutienda est hæc Dauidis attestatio. Quid igitur, ait. *Diuites eguerunt, & esurierunt*. Quæ nam isthæc est esuries, & necessitas? temporalis, an spiritualis? temporalem cum D. Hieronymo reputat Lyranus. S. Hieron. apu. Lira. epis. ad Paulin. *Auaro*, inquit, *deest tam quod habet, quam quod non habet*. Nec contradictionem inuoluit dicere, tam deesse auaro, quod non habet, quam quod habet: quoniam, cum præ auaritia diuitias, quas Auaro omnia desunt. possidet, ad proprios vsus contingere non audeat, timens ne deficiant; hinc est, vt in ipsa rerum abundantia, quasi inops esset, necessitate premitur: Quid enim prodest, si immensos auri, argentique thesauros habeat reconditos, quando, velut alter Tantalus in medijs aquis, nec nummos tangat, siti contabescit, & fame. Infelices dixerim has diuitias, quæ nihil possidentem iuuant in vita præsenti, & in futura, pœnis æternis adiudicant: si rebus non vteris cum necessitas postulat, perinde tibi est, ac si deessent, & ideo iure optimo ait. *Auaro deest tam quod habet, quam quod non habet*.

Aliter, & aptius ad rem præsentem interpretatur Glossa interlinealis ibi, dicens: diuitibus, non solum panem Nota. Eucharisticum, & diuitias, sed proprium panem temporalem deesse. Gloss. int. ibi. *Etiam pane temporali aliquando egent*. Ne mireris: Ea namque est auarorum Auari & pane carent. conditio; vt non solum vestium lautitiem fugiant, ne pecuniam expendant, cibos delicatos repudiant, vt sumptibus parcant: voluptatibus renuntient, ne thesauros imminuant, sed, quod miserrimum est, à pane abstineant, & famelici viuant, ne horrea defraudent. Egregiè Philosophatur in hanc rem S. Bernardinus. Vidistinè aliquando diuitem potentia clarum, qui multos sibi adhærentes diuitijs souet, & egentibus occurrit, vel ob amicitiam, aut sanguinis coniunctionem, seu ad vanam gloriæ ostentationem: Ecce tibi ingruente morbo, fit morti vicinus: Nemo ex his familiaribus, nec vxor, aut filij miserum admonet, vt se cogitet moriturum, æternæque saluti consulat, sed in extrema necessitate constitutum, deserunt. Quasi grande sit piaculum, mortem ipsi statim affuturam enuntiare: *Non audet quisquam talibus confessionem, vel communionem suadere, nec etiam nominare; nisi, & rarò, vsque ad insensatam extremitatem*. S. Bern. ser. 4. post 1. Dom. quadr. a. 3. Sera tamen est hæc admonitio, & parum profutura: cum enim mortis an- Nota. gustijs premitur, & anima iam iam proficiscente corpus fatiscit, sensus deficiunt, & ratio offuscatur, difficillimus est peccatorum dolor: Audiendus est apud S. Bernardum D. Augustinus. *Mors vrget, & pœna terret, ad veram vix homo venit satisfactionem*. S. Aug. ap. D. Bernar. ibi. Medicus de adhibendis remedijs deliberat, serui de mercede cogitant: vxor; filij, consanguinei hæreditatem ambiunt, & interim ægrotum vitæ spe decipiunt, & ille inter hæc moritur, æternisque inferni pœnis traditur. Iterum Senensis. *Quando enim persona nobilis infirmatur, vix inuenitur aliquis, qui de salute animæ suæ audeat sibi loqui*. S. Bern. vbi sup. a. 3. *Executores sollicitantur circa diuitias, & thesauros: Medici circa corporis medicinas: Vxor, filij, amici consolantur infirmum: Et sic miser, non permittitur de peccatis suis cogitare, nec statum, & finem vitæ salubriter ordinare*. Diuitum maxima miseria. Proh miseram diuitis sortem, vt diuitijs in vita præsenti non potiretur, & in futura nunquam morituro igne, à Deo derelictus, exardeat, vt diuitibus plerumque accidit, vt aduertit S. Bernardinus: *Periculum*, inquit, *est iusta à Deo, & a mundo in manibus diaboli derelictio, quod maximè conuenit diuitibus, & magnatibus*. Dum enim diuitijs, auaritiæque student, potentiæ ostentationem faciunt, delicijs vacant, corporique indulgent, charitatis opera negligunt, æternam salutem obliuiscuntur; inde fit: vt iusto Dei iudicio pereant, suorum etiam auxilio destituti. *Etiam pane*

ne

ne temporali aliquando egent cum maxime illo opus eis erat, morte nimirum urgente, & pœna terrorem dante, quo tempore difficillima est peccatorũ contritio, sine qua, multiplicatis criminibus decedentes, æternæ damnationi adiudicantur.

Audiendi sunt, ad correctionem nostram, miseri suam in Inferno conditionem deplorantes. *Quid nobis*, inquiunt, *profuit superbia? aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus:* Sapient. cap. 5. Cernis, quot utatur similitudinibus, ut velocitatem designet, qua omnia illa vitæ bona, quibus delectabantur, inopinato abscessu euanuerunt, quod Glossa interlinealis expressit versione sequenti: *Transierunt omnia illa, tanquam umbra quæ nullam stabilitatem habet, & tanquam Nuntius, qui moram non patitur percurrens.* Nec satis fuit, ad pœnam, celeriter transijsse; sed magis dolendum est, quod nullam, ex breui morula utilitatem perceperunt: imò potius damnum experti sunt. *Quid nobis*, aiunt, *profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Nibil.* Respondet Lyranus, *imò multum nocuit,* Quia diuitiæ, quandiu possidentur, corporeis commoditatibus homines decipiunt, qui earum irritamento impulsi, crimina criminibus addunt, & postea vicina morte, ab omnibus destituti, gehennæ mancipantur: & tunc malo suo agnoscunt, nihil sibi profuisse: imò multum nocuisse, quod diuites, quod potentes extiterint: & illa omnia, in quibus spem collocauerant, nullo relicto vestigio, umbrarum instar, euolasse.

Sap. 5.

Notabilis diuitiarum fugacitatis demonstratio.

Glos. int. ibi

Lyr. ibi.

Non prætereunda est, hoc loco, D. Antonij expositio, ad illa verba Iacobi cap. 1. suæ Epistolæ. *Diues sicut flos fœni transiuit: exortus est enim solum ardore, & arescit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt, ita & diues in itineribus suis marcescet.* Vides, quam pulcherrimis coloribus, sub floris citò arescentis similitudine, diuitum felicitatem depingat; Quid enim aliud huius sæculi opulentos dixeris, quam flores, qui oriente sole panduntur, & statim, ipso incalescente, marcescunt, & pereunt: huiusmodi sunt potentes, inquit Antonius. *Radix est carnalis cupiditas, flos delectatio temporalium: adueniente Sole, idest seueritate mortis, vel iudicij, radix arescit, flos decidit; decor vultus eius, idest honor sæculi, amici, & propinqui deperit.* Hic diuitum finis; dum enim delicijs vacant, dum inanem gloriam sectantur, dum vitæ quærunt lenocinia, pauperes opprimunt, ac decipiunt, incalescente diuinę iustitię Sole, ipsius radijs fetiuntur, voluptas, potestas, opulentia, infelici exitu funestantur. Iterum Antonius. *Qui bona pauperum pascunt, & diripiunt, à diabolo diripiuntur.* Quid ni? sic diuites haberent vitæ exitus, siquidem caducos; instar floris ocijssime pereuntis se esse obliti, voluptuosè viuebant, crimina repetendo, & ideo, Sole adueniente, hoc est, Dei vindicta, omnibus destituti pereunt. Timeant finem hunc, quot quot diuitiarum cupiditas tangit, & tunc solummodo se diuites esse existiment, cum Deum habeant partem suam, sine quo paupertate, & egestate opprimentur. Audiendus hoc loco Gymnasius. *Et tu superbus*, inquit, *& diues intelligas te tandiu esse pauperem, quandiu non habes illum, qui fecit te diuitem.*

Iacob. 1.

Bonorum vitæ fugacitas.

S. Ant. p. Dom. 5. post Pasch.

Finis diuitum qualis.

S. Ant. vbi supra.

A diabolo diripiuntur qui bona pauperum diripiunt.

Card. Gimn. sup. Ps. 33.

Huc mihi respexisse videtur sanctus Iob cap. 27. dum ait: *Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Vbi aduertendum est cum Niceta; verbum, *dormierit*, non somnum, sed mortem significare. *Dormit*, inquit, *diues, & oculos aperit, quia cum carne moritur, eius anima videre cogitur, quod prouidere contempsit.* Concinit Lyra, & aptius in rem nostram. *Hic*, ait, *consequenter describit calamitatem impij post breuitatem huius vitæ consequentem, dicens: diues cum dormierit per mortem, nihil secum auferet, de bonis præsentis vitæ, ad portandum secum. Aperit oculos suos in pœna, qui prius clausi erant in culpa, & nihil inueniet de bonis præsentijs vitæ.* Ita quidem euenit; diuites enim, dum hic viuunt, clausos ha-

Iob 27.

Nicet. ibi.

Lyr. ibi.

bent oculos, animæ profutura non vident, & sola quæ corpori sunt commoda intuentur, auideque procurant: at ingruente morte, quam pœnam sustinent, oculos ipsis aperit, qui dum in se reflectunt, bonis destitutos se vident: nec ex delectationibus, (quibus deliniti præsentem vitam transigebant) quidquam deferunt, nisi quod ad cruciatum, torturamque deseruiat; atque adeo præsentis, & futuræ vitæ bonis spoliati ingemiscunt: videntes tunc suo malo, quod videre cum viuerent noluerunt. *Aperit diues, oculos suos in pœna, qui prius erant clausi in culpa, & nihil inueniet de bonis præsentis vitæ, nec etiam futuræ.* Nec mireris, quod ita vacuus rerum omnium, in morte, diues inueniatur, & pro gloria, quam viuendo possedit, pœnam sustineat, delicijs in tormenta mutatis; quia vitæ huius diuitiæ, ac potentia, corporis commoditatibus homines alliciunt, culpas allecti duplicant, & peracto viuendi cursu, qui breuissimus est, suam infelicitatem, sero tamen, agnoscunt, apertis in pœna oculis, qui antea claudebantur à culpa.

Æternæ pœnæ timor oculos aperit.

Fallor, nisi ex hac sententia desumpsit Seraphicus Pater meus Franciscus, monitum illud, quod ad diuites quosdam, & potentes plebis Rectores, per litteras transmisit. *Rogo ergo vos*, ait, *cum reuerentia, sicut possum, ne propter curas, & sollicitudines huius sæculi, quas habetis, Dominum obliuioni tradatis, & a mandatis eius declinetis: quia omnes illi, qui eum obliuioni tradunt, & a mandatis eius declinant, maledicti sunt, & ab eo obliuioni traduntur, & cum venerit dies mortis, omnia, quæ putabant habere, auferentur ab eis. & quanto sapientiores, & potentiores fuerint in hoc sæculo: tanto maiora tormenta sustinebunt in inferno.* Arduum sanè videtur hoc monitum, & diuitum licito facultatum vsui contrarium; fas enim est diuitibus, & magnatibus potestate sua, & opulentia frui. Quis hoc neget? vt quid ergo ad earum contemptum, & paupertatis amorem prouocat, sub pœnæ nunquam interituræ comminatione? Responsionem præuenit apud sapientem, sanctus Spiritus, dicens: *Est quasi diues, cum nihil habeat, & est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit.* Hoc est: Mundi huius pauperes, in alio gloriæ diuitijs abundant. At vero diuites, qui magnas hic possederunt facultates, & delicijs vacarunt, Deum amittentes, illic egestate, & miseria præmuntur. Angelicæ Glossæ verba sunt. *Est quasi diues in mundo, cum nihil habeat apud Deum.* Quamuis igitur populi rectoribus, & magnatibus liceat diuitijs abundare: nihilominus paupertatem sectentur, quia diuitiarum amatores, dum ijs inescantur, peccata peccatis addunt, Deum amittunt, & in inferno, miserum in modum, torquentur, &c. *Quanto sapientiores, & potentiores fuerint in hoc sæculo; tanto maiora tormenta sustinebunt in inferno.* Quinimo ditescendi ars magna est, diuitias contemnere. Quicunque diues esse cupis, diuitias sperne. Qui magnitudinem ambis, fuge magnitudinem, sequere humilitatem; quanto enim hic pauperior, & humilior extiteris, tanto ditior illic, & excelsior euades: tibi pro paupertate, diuitiæ, pro humilitate dabitur gloria. At diuitibus huiusmodi, sublimitas in contemptum, diuitiæ in egestatem, deliciæ in tormenta mutabuntur.

S. Fran. epis 15 ad populorum Rectores.

Nota.

Prou. 13.

Glos. Aug. ibi.

Ars ditescendi, diuitias contemnere.

Coronidis vice, illam appono Christi Domini attestationem, apud Matthæum diuitibus formidandam. *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in Regnum cælorum.* Vnde nam prouenit diuitibus hæc intrandi difficultas? nonne ad cælestem Hierusalem, vt vidit Ioannes, duodecim portis ingressus patet? Ita quidem. *Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem, & habentem portas duodecim.* Et cur e tot portis non vna diuitibus conceditur, vt liberè possint intrare? Diuitiæ ingressum impediunt: non quia diuitem esse culpa sit, attamen diuitiarum vsus immoderatus, & parum licitus, culpa non vacat, obquam diuites ingredi cælum nequeunt. Annulum D. Hilarij, ex aurea catena, hic adnecto. *Habere enim diuitias*, ait, *criminis non est, sed modus in habendo retinendus est.* Quis autem est modus iste, nisi diuitiarum contemptus? qui quidem, etsi difficillimus

Matt. 19.

Apoc. 21.

Cur diuites dicuntur difficile cęlum ingredi.

S. Hilar. can. 19. in Mat.

sit,

sit, non est tamen impossibilis: ideo enim dixit Christus: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in Regnum cælorum*: Quæ verba expendens D. Hieronymus, optimè infert: *Quia vero diuitiæ habita difficilè contemnuntur; non dixit, quia impossibilè est diuitem intrare in Regnum cælorum, sed difficile: vbi difficilè ponitur, non impossibilitas protenditur, sed raritas demonstratur.* Quamquam verò diuitiarum contemptus, ad animę salutem summoperè sit necessarius, est tamen difficillimus, & rarò inueniuntur, qui à diuitiarum cupiditate, amoreque non vincantur. Ratio est, quia, vt censet Rabanus, minimum distant diuitiarum possessio, & earum amor: qui possidet, amat: vnde necesse est possessione se abdicet, ne amet. *Sed inter pecunias habere, & pecunias amare, nulla distantia est, tutius autem est, nec habere, nec amare diuitias.* Difficilè tamen amor hic exuitur, quia diuitiæ, corporeis, commoditatibus homines seducunt; atque ad crimina identidem committenda, in animarum damnationem impellunt. Hinc est, quod cum Christi dilectus, duodecim portas in cælo viderit, nulla diuitibus patet; quia dum diuites sunt, difficillimum habent ingressum. *Amen dico vobis; quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum.* Ergo cum sicut dicebamus, qui Deo caret, rerum omnium indigentia premitur. Quid enim habet, qui Deum non habet? perperam diuitiæ, potentia, magnitudo, tales ab hominibus existimantur, quandoquidem summa in his miseria sita est, & aditum in cæleste Regnum difficillimum efficiunt.

S. Hier. sup. S. visi. persa.

Pecunias habere, & non amare, difficile.

Raba. sup. diuitias, dissect. ex tra.

Aliam addidit Christus similitudinem, qua difficulter diuites ingressuros in cœlum expressit. *Et iterum dico vobis. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum cælorum.* Formidanda quidem diuitibus sententia: Quis enim credat, camelum per foramen acus intraturum? Et ideo infert D. Hieronymus. *Secundum hoc, nullus diuitum saluus erit.* Peribunt ergo diuites omnes, & damnabuntur? Absit? Nam, quicunque a diuitiarum onere se liberet, is intrabit, & saluabitur: Dicit enim Isaias. *Inundatio Camelorum operiet te*: sicut enim, vt Cameli Hierusalem ingrederentur, muneribus, donisque onusti, Sarcinas deposuerunt, & sic facilis patuit in Vrbem ingressus; ita diuites Camelis similes, si diuitijs se exonerent, & emendata prauitatis curuitate, ad virtutis rectitudinem se componant, patentem cœli ingressum obtinebunt. Quia tamen diuitiarum illecebris irretiti, illas non abijciunt, sed tenaciter retinent: ideo, ait Christus: *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum cælorum. Et secundum hoc*, (vt infert D. Hieronymus) *nullus diuitum saluus erit.* Si tamen Camelos Hierosolymam ingredientes imitentur, intrabunt. *Sed si legamus Isaiam, quando Cameli Madian, & Epha veniant ad Hierusalem, cum donis, atque muneribus, & qui quondam curui erant, & vitiorum grauitate distorti, ingrediantur portas Hierusalem, videbimus quomodo & isti Cameli, quibus diuites comparantur, cum deposuerunt grauem sarcinam peccatorum, & totius corporis prauitatem, intrare possunt per angustam, & arctam uiam, quæ ducit ad vitam.* Hæc allegoricè, sed eleganter Hieronymus.

Matt. 19.

S. Hieron. in hunc locum.

Nota.

Isa. 60.

S. Hieron. vbi supra.

Quomodo diuitibus pateat Cœli ingressus.

Aliter, sed non minus aptè, ad rem nostram exponit S. Thomas in Catena aurea, vbi portam Hierosolymis esse scribit, quæ foramen acus dicebatur, per quam, ob ipsius angustiam, Camelus cum onere non valebat intrare. Ad eum modum diuites, quandiu diuitiarum onera portant, per angustam cœli portam intrare non poterunt. *Quia*, inquit, *Hierosolymis quadam porta erat, quæ foramen acus dicebatur, per quam Camelus, nisi deposito onere, & flexis genibus transire non poterat; per quod significat, diuites non posse transire viam arctam, quæ ducit ad vitam, nisi sordibus peccatorum, & diuitijs depositis, saltem non amando.* Quandiu enim possidet, amatque, non intrabit; & quia facilius onera deponit Camelus, & incuruatur, cum per angustam portam, quæ foramen acus dicitur, intrandum est, quam diuites onera diuitiarum abijciunt, & elationem deponunt, cum quibus intra-

S. Tho. cum Glossa in cat. aur.

Nota.

re

re nequeunt: ideo Christus ait; *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum cælorum*.

Postremò exponit Theophilactus, dicens, Camelum non significare animal, sed funem, seu Rudentem, qui, anchoris illigatus, retinendis nauigijs deseruit, & acum non portam ciuitatis, sed veram acum, suendis vestibus aptam, designare; & quemadmodum fieri nequit, vt funis adeo crassus, per foramen ita paruum vnius acus intrare possit; ita qui diuitijs abundant, per cœli portam, quæ parua, & angusta est, transire non poterunt. *Impossibile est enim*, inquit, *multa habentem intrare in Regnum cœlorum; sicut, & Camelum, per foramen acus transire*. Notat insuper, Christum rem hanc primo difficilem, & postea dixisse impossibilem. *Vide autem, quomodo quod superius dixit difficile, hic dicit impossibile*. Itaque omni seclusa metaphora, plano, & literali sensu. *Nonnulli dicunt*, vt refert Theophilactus, *Camelum non animal significare, sed crassum quendam funem, quo nautæ vtuntur, vt proyciant anchoras*. Iam vero huiusmodi funis impossibile est, vt per foramen acus transeat. Quod si, & hoc minus impossibile, quam diuitem intrare in Regnum cœlorum: Egregiè infert. *Impossibile est multa habentem, intrare in Regnum cœlorum*. Et D. Hieronymus: *Secundum hoc nullus diuitum saluus erit*. Quandiu diuites fuerint existima: quandiu amore diuitiarum tenebuntur. Si enim diuitijs renuntient, seque earum cupiditate, & curis exsoluant, sic extenuati, & ad rectitudinem compositi, per angustam portam intrabunt. Quid remedij, vt funis admodum crassus, per tenuissimum foramen intret? paulatim soluitur, & fila, ex quibus erat contortus, separantur: ad pristinamque subtilitatem reducuntur, & tunc, sic extenuata per foramen acus faciliter intrant. Quid aliud diuitem multis hinc inde possessionibus, & hereditatibus abundantem dixeris, quam Rudentem, seu funem, silorū multiplicitate, implexum; Et quandiu ita crassus est, non poterit transire per angustam portam.

Theoph. in Matt. c. 19.

Diuitiæ ingressum Cæli prohibent.

Theoph. vbi supra.

Nota.

Modus intrandi in Cælū diuitibus exhibetur.

Vt ergo intret, se ipsum extenuet, fila imminuat, hoc est diuitias dispertiatur, pauperibus donet: fors malè parta restituat, quibus viuat, contentus sit, & aptus ad intrandum per angustam portam euadet, Pulchrum est Theophilacti monitum. *Quandiu diues, & ipse quidem habet superflua, & non necessaria, non ingreditur in Regnum. Postquam autem excussa sunt omnia, tunc non est diues, & postea intrabit*. Nunquam cum diuitiarum onere intraturus. *Impossibile est enim multa habentem, intrare in Regnum cælorum*.

Immitto clauem auream S. Bonauenturæ, qui expendens, qua ratione Deus in mensa, de lignis Setim fabricata, septem lucernas apponi præceperit: *Fecit & mensam de lignis setim: fecit, & lucernas septem*. Ita Philosophatur. *Rectè igitur ante altare incensi, & mensam, erat panis, & lucerna ardentes*: Itaque panis in mensa ponitur, & lucernæ adhibentur: non quia nocte comedendus erat panis ille, sed ad mysterij significationem. Etenim mensa illa locum designat, in quo Deus sua in homines beneficia confert; ibi pro necessitatibus singulorum panis præuenitur. Et Deo curæ est, vt nunquam ibi desit, sed plena sit, prouidente Deo, talis mensa, & verò lucernæ ardentes, Dei prouidentiam significant, sicut septem oculi, quos in lapide sculptos vidit Zacharias, Christi prouidentiam, iuxta D. Paulum in eo lapide significatā. *Petra autem erat Christus*: apertè demonstrabant. Vnde ait apud Matthæum. *Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: scit enim Pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis*. Dum autem hanc sollicitudinem habere prohibet, saluti nostræ consulit; quippè cum diuitiæ homines decipiant, & in peccata præcipitent, vbi primum diuitias cupiunt, damnationem incurrunt; ne ergo temporalia sollicitè quærendo, pereant; panem in mensa præuenit, lucernas accendit, & oculos septem in petra aperit, necessitatis remedium, & prouidentiam ostendens; vt spem nostram, non in diuitijs, sed in ipsius prouidentia constituamus, & sic, a

Theoph. ibi.

Exo. 37.

S. Bonau. ser. Dom. 13. post Pentec.

Diuinæ fidê dum Prouidentiæ.

Zachar. 3. 1. Cor. 10. Matt. 6.

ter-

terrenis curis exui, ac extenuati, per angustam nimis portam intrare possimus, Seraphici Doctoris verba sunt. *Quid lucerna septem, & septem oculi in lapide vno? vt est apud Zachariam, nisi diuina scientia, qua aperta sunt omnia, & nuda oculis eius: scit prorsus indigentiam nostram: nosque prospicit intus, & in cute: idcirco mensam posuit, panesque in ea proposuit, quibus omnes enutriat.* Hæc ille. Sed proh dolor! Paucissimi sunt, qui sanum adeò consilium, & si optimum nouerint, amplectantur; quia diuitiarum cupiditate incensi lucro student corporis, lenocinia quærunt, aliena appetunt, & furantur; non secus ac gentiles Deum ignorantes agunt. *Quam pauci sunt*, inquit; *qui animo obedienti illud suscipiant.* Et ideo etiam paucissimi sunt, qui per angustam cæli portam ingrediuntur: innumeri; qui cupiditatibus suis, & iteratis criminibus Dei iram prouocant, iudicium accelerant, & inferni pœnas reddunt acerbiores. Iterum S. Bonauentura: *Quæro an sit gens vlla in mundo, quæ maiori sollicitudine, & studio incumbat fortunis augendis, quam Christiani? Quid faciunt Turcæ quod ad hoc pertinet, quod non faciant Christiani? quid faciunt Iudæi, quod non faciant Christiani? quid aliæ gentes, pagani, heretici, & quicunque extra ecclesiam sunt, & verum aluum Christianorum, quid hi faciunt, quod non idem faciant Christiani? & fortè ardentiori studio, attentiori sollicitudine. Negotiantur illi, & isti: sunt toti in mercaturis illi, & isti: Peierant illi, fraudant, decipiunt & isti: omnem cogitationem adhibent illi, omne consilium, omnem operam, nihil non prætermittunt domi, foris, per se, per alios, vt rem augeant sine fine, itidem & isti faciunt: Fœnore se implicant illi, haud secus isti: thesauros recondunt illi, & non est finis acquisitionis eorum, non superant tamen hos nostros homines, non minus hi auidi, non minus solliciti, non minus laboriosi, non minus captiosi, non minus dolosi, non minus insatiabiles. Ergo quid nobis præstat doctrina euangelica? quid Christi præceptum? quid salutaria documenta? quid cælestes hę instructiones? Haud video quid nisi augmentum peccati, cordis duritiam legis contemptum, amplius iudicium, acerbius supplicium.* Hactenus ille, fortiter quidem, & vtinam non verè. Nec est, quod vltra possit adiungi: timeant diuitiarum cupidi, & delicijs vacantes, & quorum imitantur culpas, pœnas pertimescant: *amplius iudicium, & acerbius supplicium,* sibi imminere non dubitent. Si necessitas premat, Dei mensam, panibus plenam inspiciăt, lucernas ibi accensas, & oculos in petra sculptos, Dei prouidentiæ exemplaria, cogitent, & ab eo indigentiæ subsidium fidenter expectent. Quodsi hæc non videant, ad Christum qui dixit: *Ego sum lux mundi*, accedant & ab eo illuminari postulent, sicut monet S. Ambrosius. *Accedamus ad eum, & satiabimur; quia panis est: Accedamus, & potemus, quia fons est: accedamus ad eum, & illuminabimur, quia lux est.* Quod si tam salubre consilium suscipere noluerimus. Quid de nobis sperandum erit? nisi quod in legis contemptum veniamus; & amplius nos maneat iudicium, acerbiusque supplicium.

S. Bonau. vbi supra.

Diuitiæ animos obnubilant.

S. Bonau. vbi supra.

Diuites Christiani quandoque Infidelibus deteriores.

Indigentiæ remedia ad mensam Dei recurrere.

S. Amb. sup. ps. 118.

Deus solus panis satians.



CAPVT IX.

Quod cum vita morti obnoxia sit; insanus est, qui mortem præmeditatus non expectat, si bonam desiderat: quia rarò moritur benè, qui malè semper vixit.



INCREDIBILIS est celeritas, qua mors homines de illius aduentu minimè cogitantes inuadit: ipsam enim, per quam incidunt viam, occupat, & in medio miseriarum cursu, non præmeditata intercipit. Sic apud Hieremiam, de inopinato mortis aduentu, infelices conqueruntur. *Lubricauerunt vestigia nostra, in itinere platearum nostrarum: appropinquauit finis noster, completi sunt dies* no-

Thren. 4.

nostri; quia venit finis noster. Cerne, vbi contigit lapsus, per strata viarum, in Vrbis frequentia, vbi securior videbatur incessus, & longius aberat eadem periculum, ibi labuntur improuidi: Quod si ibi, etiam propter viæ lubricitatem, casus erat formidandus: cur ita incauti ambulabant, vt in medio platearum itinere corruerint, à morte depulsi? Egregia in hanc rem est Scoti expositio. *Lubrica*, inquit; *sunt vestigia nostra, in itinere platearum nostrarum, idest voluptatum, per quas multi in ciuitate huius mundi ambulant, & perueniunt ad æternam pœnam. Ideo sequitur appropinquauit finis noster, completi sunt dies nostri. Istud contigit in morte peccatoris*. Itaque voluptatibus dediti, nullum relinquebant pratum, quod eorum luxuria non pertransiret: Omnes deliciarum occasiones venabantur, finis, ac interitus iam instantis obliti, per vrbium plateas hilariter currebant, cum, lubricante vestigio, repentè ceciderunt, quia prima vitæ miseriarum est, vt morti sit obnoxia, nec vlla vltimæ horæ securitas adest: qui viuit improuidus, nec de fine cogitat, repentino assultu a morte deijcitur, æternis cruciatibus adiudicandus. Et meritò: dum enim crimina criminibus addit, & in deliciarum volutabro, intemperantissimè reuoluitur, mortem vitæ similem habet. Rarò enim benè moritur, qui malè semper vixit. Ideoque dicebant improbi, quos in morte malorum experientia docuerat: *Lubrica sunt vestigia nostra, in itinere platearum nostrarum, idest voluptatum, per quas multi in ciuitate huius mundi ambulant, & perueniunt ad æternam pœnam*.

Ibi lapsus, vbi longius videbatur à periculum.

Scot. ferm. 8 in temp.

Huc etiam spectat illa improborum contestatio, in lib. Sapientiæ, vbi ita fantentur. *Lassati sumus in via iniquitatis: & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus*. Tam improba est peccandi sitis, tantus voluptatum ardor, vt vsque ad lassitudinem, & quasi peccandi impotentiam deueniant. Vires, ad voluptatum exercitium illis deficiunt, & appetitus, rabiesque peccandi magis accenditur; adeoque à vitiosa peccandi consuetudine obcæcantur, vt diuinam legem ignorent, & cum per abrupta peccatorum præcipitia, ab appetitu rapti deferantur: planam mandatorum Dei viam texere nesciunt, nec pedem in ea figere audent. Itaque deficiente conatu, crescit affectus; & quantum præ assiduitate peccandi vires deficiunt, voluntas magis stimulata satiari contendit, & carnem ipsam prouocat, & quasi renitentem exagitat, & ad peccandum inaniter, impellit. Et hoc est quod aiunt: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus*. At quænam improborum mens, dum ita effrænato impetu in peccata procurrunt? qua spe, aut fiducia vitæ lenocinia quærunt: quandiu vitam ipsis duraturam augurantur? siquidem ita breuis est, vt tantundem sit vitam esse, ac si non esset: etenim propter ipsius breuitatem Diuina sapientia lanugini malas, vel poma vestienti illam æquiparauit. *Spes impij, tanquam lanugo, quæ à vento tollitur*. Quid sunt mundi voluptates? Quid diuitiæ, pulchritudo, optima corporis dispositio, strenuitas, magnitudo, prudentia, sagacitas, principum gratia, magnitudo, gloria, nominisque celebritas, & quidquid appetibile est! nisi extima quædam florum, ac pomorum superficies, seu lanugo tenuissima, quæ si iuueni malas vestit, nouacula sine sensu raditur; si pomo superstat, aut floribus, tenuissimo leuis auræ flabello abripitur, breuissimeque disparet? Pulchra est D. Antonij Lusitani loci huius paraphrasis. *Voluptas*, inquit, *quæ superatur, & abundantia terrenorum volatilis est vt lanugo, ideo lanugo dicta, quasi lana super poma, vel est fructus cannæ inanis, & superficialis, vt spuma*. Aliter, nec illepidè, reddit Rabanus. *Lanugo*, ait, *est quæ à vento tollitur, quæ ex flore herbarum marcido oriens, carnis fragilitatem exprimit, quæ à vento ægritudinis, vel molestia corporis cito tollitur, quia omnis caro fœnum*. Nihil dici potuit, quod vitæ breuitatem significaret expressius, & quanta esset spe ei impiorum inanitas elegantius exprimeret. Si enim vita, & spes similes sunt lanugini, quæ pomis,

Sap. 5.

Peccatores ipsa fatigantur culpa.

Deficiente conatu labêdi, sitis lapsus augetur.

Sap. 5.

Vita lanugini comparata, quia breuis.

S. Ant. Pad. Dom. 3. post Pasch.

Raban. in hunc locum.

mis, vel floribus inhæret, aut spumæ, quæ aquis supernatat; cum hæc sit ita gracilis, vt vix turgeat; cum statim leui aura diffluat, tamque volatilis lanugo, vt leui tactu concidat, & euanescat. Planè breuissimus est viuendi terminus, & spei inanitas incredibilis. Quod si hoc verum habet, vt experientia compulsi fatebimur, & nostri Paduani lingua profatur: si tam breuiter omnia, quæ homines appetunt ex oculis elabuntur: qua fiducia, vsque ad lassitudinem peccant; & dicunt: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis*, finem suum ita obliti, ac si Deum non agnouerint. *Viam autem Domini ignorauimus.* Perniciosa planè deceptio est, quæ miseros tenet. Qua fronte Dei iudicio vocatus assistet? quo pauore, & cordis palpitatione clamorem illum auscultabit peccaror; cum à morte præoccupatus, ad Dei tribunal deducetur, damnationis sententia feriendus? quam habebit tunc requiem, qui nunquam a peccando, crimina criminibus addens, conquieuit? certè nullam. Scotum audio loquentem. *Quomodo ergo*, ait, *cor peccatoris poterit habere requiem, cum Deum, qui fons est requiei, non habet?* Ita ille. At sic vide, omnem hanc infelicitatem peccatori ex vitæ perditione, & non præcogitatæ morte accidisse: dum enim voluptatibus inhiaret, & peccandi occasiones venaretur, in lassitudinem incidit, sicut alij, dicentes; *Lassati sumus in via iniquitatis.* Et ipsa peccandi frequentia vitam absumpsit, animamque damnauit. Nam ad peccati punitionem fit, vt in ipso peccandi feruore demetitur a morte. Et sicut rarò moritur benè, qui malè vixit. Qualis vitæ exitus illum manet, quem mors, quasi Dei ignarum, in peccato deprehendit? Planè malus. Et quando aiunt impij: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis*, ex hac peccandi lassitudine ad incessabilis tartari cruciatus, & nunquam morituras gehennæ flammas, transferuntur. Quorum quanta sit insania, quamque damnanda miserorum stultitia, ostendit illa subtilis Doctoris exclamatio. *O quàm stulti sunt*, inquit, *qui viam Domini, quæ plana est, & leuis deserunt, & viam diaboli, quæ grauis est, & laboriosa ambulant.*

Scot. Serm. 2. de temp.

Peccatori nulla fine Deo requies.

Peccatorum stultitia.

Scot. ser. 3. de temp.

Quærit Regius vates: an sit aliquis à communi lege moriendi exemptus. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?* Nullus certè, quamquam diademate coronatus, vel Thiara tuimidus existat: æquo pede Regum turres, & pauperum tabernas mors pulsat, & quos natiuitas discreuit, mors similes red dit, in soluendo mortis debito brutis animantibus æquales sumus: sic exponit S. Bernardinus Senensis. *Ad litteram: anxietas, & transitus mortis communis est hominibus, & iumentis, & in hac conditione sunt pares; quia, quis est homo, qui viuit, & non uidebit mortē?* Si ergo mori necesse est; quid remedij, vt mors bona contingat? Optimum præstitit idem Bernardinus, stoici Hispanici sententiam referens. *Incertum*, inquit, *est quo loco mors te expectet; itaque tu illam omni loco expecta.* Egregium sanè monitum, & Christiano dignum; nam si mors certa est, & incognita hora, qua vnumquemque nostrum premet: quid salubrius, quam vt meditatione præueniamus siquidem nunquam, aut rarò benè moritur, qui malè vixit. Atque adeo, qui malè viuis, si mortem habere bonam desideras, in assidua illius meditatione versare. Monet enim D. Bernardinus: *Egregia res est mortem paratus præstolari.* Quod melius quisquam præstiterit, cum bonorum operum exercitio vacauerit, mortem per omnia momenta expectans; sic enim bonum obtinebis. Et qui benè mori desiderat, mortemque meditando, & expectando non præoccupat, miraculum tempore inopportuno exposcit. Qualis namque cuiusque vita fuit, talis & mors solet euenire. *Itaque tu illam in omni loco expecta, quia incertum est, quo loco mors te expectat. Egregia res est mortem paratus præstolari.*

Ps. 88.

Nulla mortium inæqualitas.

S. Bern. Sen. ser. de mort. c. 3.

Seneca ap. D. Bern. vbi sup.

Omni loco mors expectanda.

S. Bernardin vbi supra.

Miraculum exposcit, qui post malam vitam, bonā expectat mortem.

Huc, ni fallor, Dei spiritus respexit, cum nos admonuit, vt vitam, iuxta Diuinam legem institueremus, si mortem habere bonam nobis erat in votis. *Fili mi*, ait, *ne effluant hæc ab oculis tuis: custodi legem, atque consilium, & erit vita animæ tuæ.* Qui enim Diuina

Prou. 3.

custodit præcepta, vitam animæ reddit omnino securam; nec est quid vlterius peragat: siquidem ex obseruantia preceptorum, vitæ ipsius animæ securitas dependet. Nam vita animæ in bona morte consistit: bona mors vitam bonam requirit: vita bona per legis custodiam comparatur. Egregiè ad hunc locum D. Hieronymus. *Habet anima tua vitam cum Deo, si eius decreta custodieris: quamuis caro disciplina correctionis, aut etiam mortis prematur.* Hinc fit, quod statuimus, videlicet, quod si rarò benè moritur, qui malè vixit, & mala mors, in perditæ vitæ supplicium contingit, semper mortem ei bonam accidere, in quo vita bona præcessit. Et qui hanc optat, Dei legem custodiat, & subinde bonam mortem securus expectet. Iterum D. Hieronymus, ad illud; *Si dormieris, non timebis, quiesces, & suauis erit somnus tuus. Iustus*, inquit, *cum dormierit in morte, non solum potentias malignorum spirituum non metuit, sed in pace quiescit, ac securus diem resurrectionis expectat; quia Deum vbique protectorem habet, & custodem.*

S. Hieron. in hunc locum.

Vita animæ in bona morte.

S. Hieron. vbi supra.

At quam diuersi abeunt ab hoc instituto, qui animæ bonum paruipendendo, delicijs vacant, peccataque addunt Peccatis: Vnde mortis pabulum, & diaboli præda efficiuntur; dumque adhuc viuunt, mortem videntur suam antecedere. In quos iactari potest illud S. Bonauenturæ. *Peccatum, nostra est potissima, infirmitas nostra est mors, qui nunc peccat, incipit mori, vt completa morte, plectatur in inferno, in quo peccatores omnes, sicut oues positi sunt, vbi mors depascet eos.* Ita tamen depascit, vt nunquam penitus absumat, sed pœnis æternum duraturis reseruat. Proh miseram deceptionem! Vnusquisque horum à concupiscentia, in qua suam collocauit felicitatem, illectus, & obcæcatus cæli viam deserit, inferni semitam ambulat, in quem tandem præcipitatur.

S. Bonau. in ro ?pi Dō. 20

Peccando, mori incipitur.

Ps. 48.

Hanc peccatorum illusionem, vt notauit Scotus, detexit sapiens Prouerb. 16. dicens: *Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* At quomodo via, quæ rectitudinem præfert, hoc est Diuinæ legi conformis apparet, perditionem habet pro termino? qua ratione via, quę vitæ est, tendit ad mortem, & in damnationem animæ præcipitat? Eloquatur Scoti subtilitas. *Hæc via est peccatorum, quæ videtur recta*; non tamen est verum, quos luxuriæ præ dulce malum tenet, ijs nihil felicius, quam turpis illa voluptas: Auaro nihil lucro iucundius: idemque de cæteris esto iudicium. Iterum Scotus. *Hæc via est peccatorum, quæ videtur recta, quia videtur fornicatori, quod simplex fornicatio non sit peccatum, vsurario, quod vsura sit licita, & ita de alijs:* Quamquam verò huiusmodi peccata grauia sint; nihilominus cælesti lumine destituti, & passionum suarum caligine obtenebrati, ea non vident, & recta via pergere existimant: cum tamen ad damnationem properant. *Hæc via est peccatorum, quæ videtur recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Cum igitur peccatores cælum suum in voluptatibus habeant, & dum recta via tendere opinātur, in infernum abeunt. Iure optimo dictum a S. Bonauentura nullam maiorem peccati infirmitatem reperiri, siquidem, & corporis, & animæ interitum adducit. Atque adeo, si rarò bona morte decedit, qui vitam egit improbam: vita, quæ perenniter est culpabilis, morte concluditur, quam perennis tortura consequitur. *Peccatum*, inquit, *nostra est potissima infirmitas, nostra est mors, qui nunc peccat, incipit mori, vt completa morte plectatur in inferno, in quo peccatores, sicut oues positi sunt, vbi mors depascet eos.*

Prou. 16.

Scot. ser. 2. de temp.

Peccatorum allucinatio.

Scot. vbi sup.

Peccatorum cæli in voluptatibus.

Israelitico populo librum ostendit olim Baruch, in quo diuina præcepta, legisque ab eo obseruandæ continebantur, hæc dicens: *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam, qui autem dereliquerunt eam, in mortem.* Cernis, vt mortis comminatio intentetur omnibus, qui Dei legem transgrediuntur, & mirum est, vt omnibus præceptis, nullo excepto, mortis pœna sit imposita, quod minus arduum, intolerabileque videtur; non tamen est si rectè intelligatur: etenim ibi non de solo corporis, sed etiam animæ interitu agitur; vt optimè aduertit

Baruch. 4.

Lyra-

Lyr. ibi. Lyranus. *Hi aliber*, inquit, *mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum: omnes, qui tenent eam, obseruando, perueniunt ad vitam, scilicet gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Qui autem transgrediendo dereliquerunt eam, in mortem; quia decedentes, statim descendebant in Gehennam.* Hæc ille: Et verò lex diuina terribilior adhuc apparet, quoniam: cum vnum solummodo ipsius mandatum violatur, corporis, & animæ mors incurritur, quæ quidem pœna nimis acerba videtur: & mirum est, qua ratione Dei clementia, tale, tantumque supplicium transgressoribus statuerit. Dicam certè; si enim, qui malè viuit, rarò moritur benè. Qui benè potuit viuere, noluit tamen, sed de vitæ improbitate se iactauit: æquissimum est, vt malè moriatur, qui vitam noluit probam traducere. Atque adeo cum Dei præcepta transgreditur, non solum corpore, sed animo moritur, quæ pœna tali culpæ respondet. Lyram repeto: *Omnes, qui tenent eam obseruando, perueniunt ad vitam, scilicet gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Qui autem, transgrediendo, dereliquerunt eam, in mortem: quia discedentes statim, descendebant in Gehennam.*

Hinc est, vt Deus Populum Israeliticum per Moysem ipsius ducem, hunc in modum fuerit adhortatus: Deut. 30. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & Econtrario mortem, & malum.* At, pace tua dixerim O Deus: Non videntur hæc verba ad inuicem cohærere. Nonne ad præmium, & supplicium, sibi correspondent bonum, & malum? Ita quidem: & de morte, ac vita, idem pariter statuendum. Proindeque dum Populum Israeliticum Deus idem obtestaretur, dicebat: *Testes inuoco hodie cælum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem.* En quomodo sibi mors, & vita, maledictio, & benedictio correspondent. Quid ergo? causæ est, vt Deus legem promulgando, hanc non seruarit harmoniam, sicuti seruauit, cum cælum, ac terram testes produceret contra legis transgressores, Nam illic non ait: *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & mortem, bonum, & malum*: Sed, vitam, & bonum, mortem, & malum. Antequam respondeam, quæro, Cum talia decernit, quid præcipit, vt legem suam præceptaque obseruent? Porrò quid acerbitatis in huiusmodi præceptis includitur? Nihil sanè. Quia, vt censet Procopius: Procop. q. 38. *Non igitur immensum est mandatum, tanquam infantes enim lacte potaunt; & ut legem custodiant, nunc proposito præmio allexit, nunc supplicij comminatione constrinxit.* At verò, quod in vita præsenti maius bonum existimat homo? planè vitam, quam bona morte concludere desiderat; subindeque nihil infelicius ei potest accidere, quam vt vitam amittat, & malè moriatur. Ergo si rarò moritur benè, qui malè vixit: cum legis obseruantiam proponit pro præmio, vitam, & postremò bonæ mortis commodum promittit: ideoque ait: *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum.* Iis autem qui malè viuunt, non sola mors vtcunque, sed mala pro supplicio reseruatur: Vnde ait: *Econtrario mortem, & malum.* Ex quo vides, sententiarum harmoniam vbique seruari, & homines ad benè viuendum salubriter erudiri.

[Left margin: ...bono, & ma... correspon... ent premiū ... supplicia] [Right margin: Deus proponendo legis custodiã, bonum proposuit.]

Prætereunda hoc loco non est Abulensis adnotatio, qui non sine acumine aduertit, quod vbi primum Deus legem dedit Moysi, statim addidit: Deut. 30. *Elige ergo vitam*, quod pluraliter legit Abulensis. *Eligite ergo vitam*, & tantumdem valet, ac si ad Dei obsequium exhortarentur. Abul. q. 3. ibi. *Exhortatio*, inquit, *est, vt eligant seruire Deo.* At quid commune habent corporeæ commoditates cum diuini amoris perfectione, vt perinde sit, ad vnum, atque ad aliud prouocare? Nonne ad vitæ conseruationem media adhibentur naturalia, & ad perficiendam charitatem spiritualia, & hæc ab illis sunt omnino dissimilia? Ita planè est. Vt quid ergo ait Tostatus; eum, qui de Dei seruitio agit, vitæ remedia prouidere; Eligite verò vitam: exhortatio est, vt eligant seruire Deo? Iam dicam ex S. Bonauenturæ sententia. S. Bonau. ser. 20. post Pent. *Qui nunc peccat, incipit*

mori, ut completa morte plectatur in Inferno. Ait igitur Abulensis. Si mors ex culpa nascitur, & vitam perditam mors mala subsequitur. *Dum* monet, vt vitam eligant, idem est, ac dicere, vt Deum ament: *D*eficiente namque Dei amore, crescunt delicta vitæ, surgit improbitas, quæ mala morte punitur: Et ideo cum ait: *Eligite verò vitam: exortatio est, ut eligant seruire Deo: quia, qui nunc peccat, incipit mori, ut completa morte plectatur in inferno.*

Peccãdo incipit peccator mortem in inferno complendã.

Claudo, infelici exitu Regis Ioram, quem (vt sacra refert pagina) post atrocissimum inimicorum bellum, acerbissima ægritudo de medio substulit. *Cumque diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe; ita vt egereret etiam viscera sua, languore pariter, & vita caruit.* Neque hic stetit malorum acerbitas, additur. *Mortuusque est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundum morum combustionis exequias: sicut fecerat maioribus eius.* Hæc autem infirmitas (ita pessima vt censet Glossa interlinealis) quæ sustulit Ioram, fuit desperatio. *Mortuusque est infirmitate pessima desperationis.* Deploranda certè calamitas, vt Rex propter ærumnam abiret in desperationem: nec mirum, quoniam assidua, repetitaque infortunia patientiam absumunt. At cur iste funerali pompa, sicut Regis alij non sepellitur? Cur Regalis sepulturæ dignitate priuatur? *Sepelierunt eum in Ciuitate Dauid; verumtamen non in sepulchro Regum.* Respondet Lyranus; propterea ita factum; quia animæ pariter, & corporis mortem obierat. Mortuusque est, non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam; quia non apparuerunt pœnitentiæ signa. Quid causę est, vt in Regem vnctus, ita a Deo fuerit desertus, vt desperauerit, & sepulchri regalis honorem non habuerit? Improba Regis vita, huiusmodi supplicij causa fuit: testis est scriptura dicens: *Octo annis regnauit in Hierusalem, ambulauitque non rectè.* Peccando meruit, vt malè moreretur, malus namque vitæ exitus illum manet, qui male vixit. Cum autem huius vitæ perdita fuerit, dæmonum præda factus, animæ, & corporis vitam amisit. *Mortuusque est*, ait Lyra, *non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam: quia non apparuerunt pœnitentiæ signa*: Et rarò euenit, vt qui malè vixit, benè moriatur.

2. Paral. 21.

Gloss interl.

Improba vita etiam pario priuat sepulchro.

Lyr. ibi.

Proh miseri mortales; quantum ad has voces obsurdescitis: cælesti beatitudine perfrui exoptatis, & Ioram imitatores, opera facitis, quæ æternam damnationem promerentur. Cæcitas magna istbæc est; quia cum rarò mortem nanciscatur bonam, qui perditè vixit, vos, cuius improba vita est, benè mori, sed inaniter speratis. Et sanè mors formidabilis est, & sola sui recordatione perterret. Vnde ait Sapiens: *O mors, quam amara est memoria tua.* Iungit S. Bonauentura. *Homini viuenti in delicijs suis, & pacem habenti in substantijs suis.* Quod si tantum formidinis inijcit sola mortis memoria, vel quodlibet ipsius præsagium: Quid inquit S. Bonauentura, mors ipsa efficiet? *Mortis vel solum nomen terret, vel sola recordatio cruciat, quid res ipsa igitur factura est?* Prudenter ergo mortem timent homines: quia cum semel tantum calcanda sit via lethi, quibus mors bona contigit, æternam salutem adipiscuntur, qui verò malam sortiti sunt, æternis cruciatibus mancipantur. Vt autem mors bona contingat, bonis operibus paranda est; & ne terreat, meditatione tractanda. Leo ferocitate sua terret, quod si familiariter tractes, non paucbis ad occursum eius; imò ad ipsum appropinquabis impauidus: non aliter mors, meditatione repetita, non inijcit timorem; & quicunque bonam habere desideras, vitam institue bonam, & Seraphicum doctorem auscultadicentem: *Mortem times? placet, probo: mortem time, vt non sentias: cogita, vt non experiaris: caue, ut non ingrediaris: fuge, ut ab ea non comprehendaris.* D. Hieronymum adiungo, cuius est illud. *Securus, & dormit, & vigilat, & quiescit, & ambulat, qui se innocentem ante Deum, & iustè viuere meminit.* Verè quidem. Nam iusto nullam mors formidinem incutit, in cuius ore illud identidem sonat. *In pace, in idipsum dor-*

Inanis malè viuentium fiducia.

S. Bonau. ser. Dom. 20. post Pent.

S. Bonau. vbi supra.

Mortis meditatio eius su fert timorẽ.

S. Bonau. vbi supra.

S. Hieron. in cap. 1. Prou.

Vera animi securitas.

Ps. 4.

dormiam, & requiescam, seu vigilem mors inuadat, seu dormientem occupet, securum inuenit, & quietum: quia probitatis conscientia, & vitæ integritas hanc securitatem impertitur. Si quid enim, quietem auferre posset, mors foret, hanc vero non timet, vt potè qui nouit vitam esse morti obnoxiam, & neminem benè mori, qui malè vixit: Qua propter iustus benè viuit, & bonis operibus, bonam mortem promeretur, & quacúque hora mors fores pulsabit, securum inueniet, timorisque expertem. *Securus, & dormit, & vigilat, & quiescit, & ambulat, qui se innocentem ante Deum, & iustè viuere meminit.*

Iustum mors securum inuadit.



CAPVT X.

Quod nulla vel minima Miseriarum humanæ vitæ reliquia sit, quæ in mortis hora saluti obicem non ponat: non enim tuta videtur gloria, vbi vel minima culpa certa est.



ARRAT Sanctus Lucas Euangelista Christū Motis Tabor verticem ascendisse, vt charissimis discipulis Petro, Ioanni, & Iacobo partem gloriæ suæ communicaret: Sed quando gloriæ lumine circumamictos se conspexere, pauore, metuque tanto correpti sunt, vt extra se rapi viderentur. *Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem.* At cur timor illos perculit, cum Christus gloriæ suæ splendore circumfulgidos reddit? Nonne vt absque metu fruantur disponit? Cur extra se à Christo rapiuntur, vt gloria, qua potiuntur, minime frui detur? ad quid disponis, cum beatitate vestit, timore concuti? Respondet Origenes, non incussisse Christum timorem, quo affecti discipuli timuerunt valdè, sed ipsorummet imbecillitatem, ne gloria potirentur, obstacula conjecisse. *Hanc (ait Origenes) autem gloriam discipuli sufferre nequeuntes; procubuerunt humiliati, sub potenti dextera Dei, nimium timentes: cum scirent, quod dictum fuerat Moysi; Non videbit homo faciem meam, & viuet.* Extra placitum tamen est Origenis responsio: nam si, vtpotè mortales, gloria destitutos facit, hoc fit, vt ipsam gloriam non consequantur, sed cum iam montis obtinent caeumina, gloriaque decorantur, eam metu amittere, timoreque, ne fruantur, priuati, non abs re iudicandum. Quid nam causæ est tanto lumine destitui, iam possessa gloria priuari? Dicam: sed referas velim prius, quando nubes descendit. Dices: cum Petrus extra rem, sic tamen assertè de huius vitæ commoditatibus, deque tabernaculis erigendis agebat: quod ita erat extra rem, vt inde ignorantiæ notam incurrerit, sic enim fatur Euangelista. *Loquebatur, nesciens, quid diceret.* Modo, obseruandi sunt ipsius Petri comites, quos Euangelica refert historia, Ioannem, & Iacobum fuisse, eiusdemque cum ipso opinionis, idemque sensisse: nam vix Apostolici inspexerunt limina collegij, cum primas Sedes, primosque inter ceteros accubitus optauere; *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Hanc igitur petitionis notam non abs crimine censebis: at oppositum censeo. Cæterum, vt discamus haud minimam vitæ huius miserrimæ memoriam, perdurabili obstare saluti; necuè tuta videatur gloriæ laurus, vbi noxarum minima certa est; quanquam Petri sermo criminis notam incurrere non videatur, quia tamen, simul ac cæteri, gloriæ æstu sollicitantur, illa circumamicti potiri non detur, timorque vires superans, præsentaneo, summoque bono destituat, ipsisque imputetur (ait Origenes) quod gloria non fruantur: incerta enim est gloriæ fruitio, vbi vel minima accedit culpa. *Hanc autem gloriam Discipuli sufferre nequeuntes, procubuerunt humilitati sub potenti dextera Dei, nimium timentes: cum scirent, quod dictum*

Luc. 9.

Orig. tra. 4 ca. 27. Ma

Luc. 9.

Matth. 20.

Saluti obsta vel minima culpa.

fuit Moysi, non videbit homo faciem meam, vt viuat.

Suffragium ferte, nec minimum, videtur rigidæ nimis, rigorosæque sententiæ fulmen, quo Dei iusta, nec minus vindex Dei dextera Moysen, fratremque eius Aaron ferijt, crimineque pattato piauit. Cum enim, inspectante populo, aquam e silice producere virgæ tactu Dei bonitas indulsisset, ipsique, quod certum diuina concesserat prouidentia, cunctatione, dubioque fędantes, cœlestis sese noxios piaculi reddidere: vnde promissæ vix terræ limina inspiciens Moyses, vterque in criminis pœnam exulare cogitur. *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Hic Aphricani luminis percunctatur acumen, an defecerit Moyses incertitudini subijciens, quæ certò didicerat oraculo; faturque non plus piaculi admisisse, quam quod certa diuini Numinis oracula dubietati subiecit, incertitudinisque titulo quodammodo vitiare visus est, quæ liquido specillo, diuina dictante potentia, obiectata fuere. *Arguitur* (Augustini verba sunt) *Moyses voce diuina, quod eius fides ad aquam eijciendam aliquantulum titubauerit.* Vocis stimulos expertus est diuinæ, quia eius fidei aliquantisper bases luctamina didicere. Ast si minima fidei experitur concussio; cur piaculi respuit lenitatem? cur pieratis mites non experitur auras; imò duram sentit expiatoris maximam seueritatem? fors humilitatis iacula neglexit, supplicisque animæ orantis, aut cordis vires oblitus, iterum, atque iterum veniam flagitare non didicit? Non, ita, si Lyrano est fides; dum enim Deuteronomij tertium exponit, a Domino postulasse fatetur; sed inaniter. Audiatur Lyra. *Postea tamen Moyses orauit Dominum*, ait ille, *pro ingressu Terræ, sed non fuit exauditus.* Orauit Moyses, nec contriti cordis, humilis aut animæ vocibus pepercit; illum tamen Dominus non exaudiuit. Cur ita? exiguę sic noxę tanti debebatur piacula rigoris? sic summa pietas erga fidos suam gaudet immitentiam exercere?

[Margin: ...istis, vel minimam culpam remouendam esse.]

[Margin: Num. 20.]

[Margin: Aug. l. 16. contra Faust. cap. 16.]

[Margin: ...eue crimen ...eueram expectat pœnam.]

[Margin: Lyr. ibi.]

Non incassum attamen, si promissæ Terræ symbola perpendamus. Cuius nam symbolum refert Terra promissa? Nonne gloriæ? & patuulis non latet. Quæ Moysi, & Aaron labendi causa fuit? per facili responsione subiunges, humanæ vitæ imbecillitas. Si sic igitur, perbellè admonitos facere intendit, vel minimam culpæ reliquiam, paruam etsi criminis vmbram, saluti obicem obiectare. Non enim in tuto gloria est, vbi vel minima culpa cerrat; est: qua admissa, Aaron, & Moysi promissæ terræ negatur ingressus, nec quamquam repetitis supplicationibus a Domino flagitare contendant, exaudiuntur cum postulant; vt sint cæteris exemplo. Glotiam, vel leui culpę famine titubare. *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.*

[Margin: Et criminis vmbra saluti obstat.]

[Margin: Leuis culpa orationis vires eneruat.]

Quod vt clariori lumine constet, euidentius & pateat comprobantia instituti, obseruandum venit, vix Christum e tumuli latebris Lazarum reuocasse, vix e mortis faucibus ereptum vitæ reddidisse, cum solui iubet, & vt abire sinant adstantibus, imperatur. *Soluite eum, & sinite abire.* Ludolpho de Saxonia dura nimis visa est huius, tam cito Lazari, e Christi conspectibus exulatio: vix vitæ limina inuisit, cum vitæ Auctor abire iubet, cui prius reuiuiscendi beneficium contulerat! In triuio stat, quid Christo causæ fuerit, Lazarum prius amicitia gratum, postremò vitæ beneficio deuinctum, tam celeri impetio a se diuidere: nec dubium minus, antequam abire iubeatur, cur solui, linteaminaque e conspectu tolli imperet. Si Ludolphi placitum attendamus, hoc factum sentit, vt vnde exisset Lazarus inspiceret, & quò peruenire datum aduerteret. *Vt videret vnde exibat, & quo veniebat.* Subscribo: sed non inconsultè factum, vt statim ac Christi conspectum inuiserit, abire præcipiat, nec culpæ vmbra caret, tam subitò e Domini præsentia remoueri. Quod si fatendum: quæ Lazaro, vix vitæ limina attingenti, potuit criminis nota obiectari, vt inde diuina carere pręsentia mereatur? Auscultanda est Augustini subtilitas, Lazarum e mortis faucibus exeuntem obseruan-

[Margin: Ioan. 11.]

[Margin: E tumulo culpæ exeuntibus statim recedendum.]

[Margin: Ludol. ibi.]

tis,

tis, mortui tamen adhuc Christi oculis insignia obiectasse, quasi mortuus non viuus, adhuc mortui nexibus obuolutus. *Mortuus* (inquit) *procedens, adhuc ligatus est*. Quid autem (Bone Domine) criminis erat, Lazarum e tumulo mortui linteis obuolutum apparere? Quid ligatis manibus, ac pedibus Christi conspectibus obiectari? Dicam. Vincula, quibus Lazari membra nectebantur, vitæ prioris reliquias denotare, non ambigendum, quarum lapsu vitam amiserat, misera enim ita est, vt facili gressu depereat. Rectè igitur Lazarus a Christi præsentia remouetur, cum e tumulo vitæ prioris miserabiles reliquias secum deferat; quod etsi a culpa alienum videatur, culpæ vmbram tenet, quæ sufficit, vt à Christi præsentia remoueri iubeatur. *Vt videret vnde exibat, & quo veniebat*. Non immeritò igitur solui mandat. *Soluite*, & abire vt sinant præcipitur, *& sinite abire*. Vt inde sciat: minimè in tuto positam Gloriam, quæ criminis vmbram consequitur.

D. Aug. trac. 49. in Io.

Et gratiæ redditi, criminũ ligamina sentiunt onerosa.

Illustranda venit instituti series diui Gregorii peroptimo cogitatu. Consideranti enim mihi, animoque reuoluenti illam Iacobi toties reperitam luctam, quam, e Mesopotamiæ finibus cum exiret, cum Angelo habuit, duo contraria satis, inuicemque pugnantia inuenio: rigoris alterum, gratiæ inenarrabilis alterum dictamina redolentem. Illo, in femore percussum aduerto: isto, diuino dignatum conspectu, benedictionibus & auctum inspicio: Vnde ille tot gratijs cumulatus, inculpabili iactantia færi cæpit. *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*. Et iustè quidem; nullo enim optimiori bono frui datur, quò iustius Anima iactari queat: nullum gaudium, nullauè, quamquam Angeli, benedictio, salutis certitudini deferenda. His datis, inquirit Gregorij acumen: Adquid tot gratijs cumulandum, tot fauoribus exaltandum, totque repleundum benedictionibus, in fœmore percussum claudicare vult, emarcidumque reddere contendit, quem postea diuino parabat dignum reddere conspectu? Satis cunctationi fecisse pu-

Gen. 32.

Cæli gaudio nihil deferẽdum.

tabis, si dicas. Iacobum, diuino etsi dignatum conspectu, non ob hoc durabili beatitate ditatum: uullus enim in via dum adhuc remanet, labendi, aut saltim claudicandi innoxius ita, quod etsi, Deum facie ad faciem viderit, cadendi periculo careat. Respondere forsam contendes. Iacobum post luctam cum Angelo in fœmore percussum antequam benedictione potiarur, vt aduertat humanitatis præsumptio. Nullum ad diuinæ visionis beneficium, gloriæque fruitionem meritum æquabile dari; sed omnem consecutæ beatitudinis gratiam Dei bonitati referendam. Claudicat enim mortalis operis efficacia, diuino adminiculo destituta. Optimè, sed non ad rem mihi. At antequam cunctamini satisfaciam, percuntandum venit. Cum Deus in Scalæ cacumine apparens Iacobo in somnis, eique Terræ possessionem, seminisque per sæcula, per Orbis spatia extensionem repromisit, inque eius posteritate gentibus testatus est benedicere, nonne Comitem, Custodemque Israeli se exhibuit? indubium. *Et ero Custos tuus quocunque perrexeris*. Post hæc: quæ Iacobo causa timoris, vt Esau venientis obuiantiam formidaret? Nulla esse poterat, affirmabis: nam si 32. Geneseos aduertas, Israelem proficiscentem inuenies Angelicis Castris circumseptum. *Iacob abijt itinere, quo ceperat: fueruntque ei obuiam Angeli Dei. Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc*. At nihilominus, audito fratris Esau aduentu, permodicis copijs comiati. *Venimus ad Esau fratrem tuum: & ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris*: timore maximo consternatus. *Timuit Iacob valde*. Quæ igitur formidinis causa esse poterat, vt ita Angelicis Copijs fecundatum, diuinoque tutatum præsidio, concuteret? fors ignorabat vnius Angeli ministerio, hostium perplurimas posse phalanges destruere? nequaquam. Inaniter igitur pauori libat, absque causa timet. Sed non in cassum, si res benè perpendatur; timet Israel, qui quamquam Dei assistentia munitus, miseræ humanitatis pauores non exuerat, fragilitatisque noxas non

Viatorit quamquã illis in promo est labi di casus.

Ad gloriã nulliũ æquabile meritũ

Gen. 28.

Gen. 32.

Nimis non est diuinæ fidendum assistentiæ.

O 2 om-

omnino deponere datum erat: hinc est quod non absque punitionis piaculo, Dei præsentiam, benedictionemque valet obtinere. Nec defuere opinantes, non Angelum simpliciter, sed magni Concilij Angelum sub Angeli specie Israelem ad luctam prouocasse: quod videtur, & ipsamet exprimere littera. *Vidi Deum facie ad faciem*. Sed hinc noua oritur cunctandi occasio, Nam si Deus ipse est, qui cum Iacobo luctatur, Cur Angeli speciem induit? Cur Dominus famuli formam assumit, Iacoboque, non vt Deus, sed vt Angelus sese obiectat? In promptu stat difficultatis vtriusque solutio. Nam si cum Deum Custodem obtinet, Comitemque habet: nihilominus Iacob timet, visioque Angeli gloriæ symbolum obiectat; Recte non Deus in propria, sed in Angeli forma sese illi exhibet, inque fæmore percutit; vt intelligat; Neminem, nisi erroris exuta caligine, quamquam minima, Dei conspectu dignari. Neminemque, nisi purgata criminis labe, diuinæ benedictionis suffragia obtinere: prius Israel emarcidi sentiat fæmoris nocumenta, prius doleat, doloreque timoris euacuet imbecillitatem, antequam Deum dicatur facie ad faciem vidisse: imò non Deum vt Deum videat, sed Deum sub Angeli specie. Non enim in tuto gloria, quæ ex Dei oritur visione, posita est, vbi vel minima adest culpæ vmbra, Accipe iam, nec serò Gregorij verba. *Prius enim exurente tristitia caligo* (idest timoris) *detegitur, & sic resplendente raptim incircumscripto lumine mens illustratur*. Hæc ille.

Timorem exuat, qui Deum Comitem habet.

Greg. l. 4. moral. c. 6.

Caligo mentis detergenda, cœlesti vt lumine illustretur.

Adhuc mihi aurem vellicat Gregorij calamus, cuius ingenio alteram assumpti probationem debere contendo. Expendens namque illud Lucæ 24. Vbi mundi Redemptor post obitum resurgens, duobus Discipulis Emaus proficiscentibus, sub Peregrini specie itineris comitem se exhibuit. *Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis*. Sed mirum, animaduersioneque dignum est, quod ille, de quo sermo erat, quemque comitem itineris habebant, sui notitiam suspenderet, tamque summè ab illis desiderata cognitione priuaret. *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*: imò de se loquentibus, deque eius obitu conquerentibus, stultitiæ notam imponit. *O stulti, & tardi corde ad credendum*. Facili negotio dubium soluere putabis, si ipsius litteræ seriem perpendas; sed mihi non ita ad manum responsio est, vt ponderatione minus dignam excogitem. Nam si quia timore fatigati, vt iudæorum insaniam declinarent, Solyma relicta, Emaus petebant, & vti increduli, vel saltem de Christi Resurrectione dubitabundi, tridui interstitium non sustinuere, eiusdem Christi increpatione, negatæque præsentiæ pena piaculum satis diluisse videntur: nec opus erat, vt Christus Peregrini forma suscepta, itineris comitem faceret, confabulationisque participem esse contenderet. Quod non sine mysterij significatione peractum existimare fas est. Et quod magis mysterij arcanum recondere videtur: Christum conspicimus dubios discipulos increpare, scripturis expositis erudire, & de suæ Resurrectionis certitudine certos reddere, apud ipsos Hospes declinare, simulque cum ipsis discumbere: cum verò panis fractione illuminat, suique notitiam exhibet. *Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum*: Sanè mirum est, quod sui notitia dignos reddat, quos statim sua destitutos præsentia reddere intendebat. Melius cum illis actum foret, si Christi, vt prius præsentia carerent: si illud verum est. Quod oculus non videt, cor non dolet.

Luca 24.

Magnum culpæ piaculū, Dei negata præsentia.

At expendere cum Gregorio necesse est. Quid Christum Peregrini formam induere, discipulisque Comitem exhibere compulit? amoreque actum fuisse reperiemus, quò ipsorum salutem diligebat, ac vt infidelitatis labem exuerent, optabat; hinc eos expositione scripturarum erudiuit. Nec tamen ipsi, si Gregorio est fides, dilectione erga magistrum carebant (*Ipsi namque apud semetipsos, & amabant, & dubitabant*) Omnimodè aut fidem amiserant, vnde dubios tantum, dubietatis ambages tollere, inque fide resurrectionis

Amor Christum fecido peregrinum fecit.

Greg. hom. 23. in Euangelia.

stu-

studuit solidare. An dubitatione hac, lethaliter discipuli peccauerint, vel nè: scolasticorum disputationibus remittendum: sufficiat mihi Christum amore discipulorum Peregrini formam induisse, Comitem exibuisse, tandemque in panis fractione manifestasse, & randem, dum dilecti Domini præsentia frui in votis erat, ab oculis eorum euanuisse. Vt illustrior euadat instituti comprobantia, noua exorta dificultate, dubium augeamus, eiusdemquemet Gregorij calamo nodum præscindere vtriusque studeamus.

Contemplatur ipse Magdalenam Christum Dominum assidua Cordis afflictatione lachrymantem, studiosoque affectu, muliebri postposito pauore in sepulchro quærentem, quem cum non inuenisset, piorum studio sublatum, atque e Iudæorum manibus ereptum, ne in demortui spolia insanirent: sic enim Angelis lamentationis causam sciscitantibus. *Mulier, quid ploras?* Respondit. *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Vix dicta expleuerat, cum ipsemet Redemptor lachrymanti apparuit, quidque illa fleret persimili interrogatione postulauit. *Mulier quid ploras, quem quæris?* illa priori insistens opinatui, sublatum, quem amabat, excogitans, eumque, qui secum loquebarur, Horrulanum reputans, vbi posuisset flagitauit. *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Diu tandem dolentis ansas sustinere non valens pius humani generis Redemptor, lachrymantis oculos aperuit, vtque se cognosceret largitus est, eam proprio appellans nomine. *Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei. Rabboni: quod interpretatur, Magister.* Cum autem illa amoris impulsu, reuiuiscentis intendit, venerabundo obsequio, magistri gloriosa attrectare membra. Redemptor ipse compescuit, & ne eum tangeret explicita voce imperauit. *Noli me tangere, nundum enim ascendi ad Patrem meum.* Hic sese inquirendum offert. Cur Dominus ploranti, vt solaretur, apparuit, cumque se cognoscibilem deflenti exibuit, ne tangeret intimauit? Nonne hæc eadem mulier est, quæ ipsius pedes lachrymis aliquando lauit, vnguentoque delibutos, capillis tersit? Certè eadem: dignior ne ergo diuino apparebat contactu pœnitens, quam iustificata? affirmabis: nec renuere contendam, tecum enim sensere ex sacris expositoribus non infimi: sed non ad rem nostram modo. Dices forsan. Ideo Christum Magdalenam à sui gloriosi corporis contactu compescuisse, vtpotè quæ mulier erat: nos inde erudiens, nec Beatorum corporibus tutum esse quodammodo mulieris contactum: quod de iustis non dubitans Pharisæus, cum quo Christus discumbebat, dum illa eiusdem Christi pedes lachrymis lauit, secum fari cæpit. *Hic si esset Propheta, sciret vtique, qua, & qualis est mulier, qua tangit eum.* At nec ita ad rem mihi. Cur igitur præsentem se exhibet, inde palpabilem se negat? Mente recolendum, quod de Discipulis supra in dubium vocatum est, & vtrique dubitationi vnica Gregorij magni Responsione satisfaciendum. Contemplatur enim discipulos intus Christi amore flagrantes. *Ipsi enim intus amabant:* quod & de Maria Magdalena affirmandum est, ait diuus Gregorius. *Quæ enim prius frigida peccando remanserat, postea amando fortiter ardebat.* Quia tamen etsi illi, hæc & iridem, amabant; dubierati animum subijcientes, illi resurrectiurum dubitabant. *Et nunc tertia dies est hodie:* hæc sublatum Magistri corpus credidit. *Tulerunt Dominum meum:* quamquam minima vtrorumque culpa videatur, eos Dei præsentia destituit, hanc Domini contactu priuat. In tuto enim posita gloria non est, vbi vel minima culpa interest. Do Gregorium loquentem. *De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit, sed de se dubitantibus, cognitionis suæ speciem abscondit.* Quid clarius ad rem?

Sed non tam citò ab instituti robore manus remouenda: vltimam placet apponere lineam, sed non impari obseruatione dignam (humanarum enim est supernæ beatitatis consequutio) Hanc vt sibi Dominus dignaretur ostédere, assiduis votis Israelitarum Dux Moyses postulabat. *Ostende mihi gloriam*

Dei amissio iusta lachrymarú causa.

Ioan. 20.

Animę lachrymas Diuina pietas diu sustinere non valet.

Et Beatis ipsis mulieris tactus periculosus.

Luc. 7.

D. Greg. hom. 15. in Euang.

D. Greg. hom. 23. in Euang.

Exod. 33.

riam tuam. Nimis audax visa est petitionis substantia: vnde cum vite subsistentia pugnare Moysi Dominus obiecit. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet*. Et iustè quidem: nullius enim tam robusta mentis acies, vt Dei faciem inuisere queat; nullius vires suppetunt, mortalis infirmitas infiniti non valet luminis emicantiam sustinere. Sed non ob hoc distulit Dei erga Moysen dilectio impossibilitatis nexus dissoluere, petitionique, ad posse satisfacere, dato modo: & quia videre faciem omnimodæ impossibilitatis obicem inuoluebat, posteriora ostendere repromisit. Ah quid non valet Animæ orantis humilis flagitatio! Quid Dei erga homines amor difficultatis non superat! Quot impossibilia non vincit Domini erga nos beneficentia! *Videbis* (fatur Dei bonitas) *posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris*. Offendiculum tres fecit Diuo Seuerino Vercellensi, inquirendique occasionem præbuit. Cur & faciem contemplandam non prestit ei, quem posteriora videndi censebat non indignum? nam suo opinatu eadem puritas animi, potentiæque robur ad uidenda posteriora, ac faciem contemplandi necesse erat: in Deo enim nihil prius, nihil posterius, ante, vel post excogitandum: idem enim est, si de Deo, vt Deus est sermo fit, vultum intueri, ac posteriora conspicere. Deitati enim nulla forma peculiatis tribuenda; & quamquam sepuis sacra pagina his modis vtatur loquendi, non ob id in Deo diuersitatem aspectus innuere contendit: quid igitur, si eadem requiritur dispositio ad vnum, ac ad aliud, faciei intuitum negat, terga autem ostendere policetur? Dices forsitan, nec abs re. Ideo faciei diuinæ intuitum Moysi negatum, oppositi vero conspectum repromissum: quia, cum per faciem demonstretur æternitas beatitudinis a parte ante, quæ soli tantum Deo conuenit, posteriora vero eandem a parte post, & hanc creaturis non disconuenire; hinc faciei negauit intuitum. *Non poteris videre faciem meam*: posteriora vero repromisit ostendere. *Vi-*

Nulla acies cum susti et.

Nota.

debis posteriora mea. Scholastico digna responsio; mihi tamen, meoque instituto non apta satis. Si autem in votis sit respondere, Dei facie Diuinitatem ipsam significari, cuius intuitù, beatorum animæ illa in Cælesti Hierusalem lætificantur. Euerso vero conspectu Verbi humanitatem, quam assumendo, Deus homo factus est; illamque iustè viatori negasse, huius verò intuitum Moysi repromisisse: Plaudam, si meo sensui ster: attamen quia Sacro Doctori minus consona non videtur vna quam alia ex datis responsionibus, ad aliud transit. Obseruarque, eo tempore, quo Moyses gloriæ inuisendæ flagrabat desiderio, Tabulæ testimonij, in quibus lex diuina iterum scriberetur iussæ sunt restaùrari: priores enim Dei digito conscriptæ, ad montis radicem confractæ remanserant. Hinc diuus Seuerinus affirmandi summit argumentum. Ideo Deum Moysi faciei suæ gloriam denegasse; nempè quia mortales oculi, eam nequibant sustinere: Et vt posteriora inspicere valeret: optimò Tabulæ iam confractæ reficiendæ erant. Accipe diui Seuerini Vercellensis verba. *Poscente Moyse*, ait ille, *vt Dominum in Maiestate propria videret, responsumque formam Dei mortalibus oculis percipi non posse; posteriora tamen Dei videre concessum est; & tunc tabulæ, quas antea fregerat fuerunt refectæ*. Sed verba hæc plus difficultatis inuoluere videntur: nam si fractio tabularum, ex Dei zelo originem traxit, quo Moyses Dei offensam, quam Israelitæ admittebant, adorandò vitulum aureum, detestabatur: quod nullius culpæ nota censurari valet. Ad quid igitur tabulas necesse habebat, vt posteriora Dei inuiseret? Ad quid tunc reficienda curat dum amico Moysi gloriæ suæ ostentationem facere vult. Dicunt aliqui hoc ideo Deum voluisse, vt nos ad indefessam legis Dei obseruantiam erudiret; dum & in luminis sui ostensione de lege reficienda cogitat. *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti*. Sed dulcius mihi sonat diui Seuerini melodia. Nam, nonne simul cum ta-

Dei facie gloria demonstratur.

D. Seuer. Vercell. in Hist. Eccles. versus finem.

Exod. 34.

bu-

bulis Moyses Dei scripta præcepta confregit? proculdubio. Tabularum autem fractio, præceptorumque scissuræ, nonne Idolatriæ memoriam referebant? & itidem verum est. Crimen autem hoc, nonnè nocentium sanguine expiatum fuit. *Cecideruntque in die illa quasi vigintitria millia hominum.* Rursus: Tabularum fractio, faciem culpæ minimè habuisse videtur, cum id Dei zelo Moyses intentauerit. Sed aliter meo videri dicendum: nam etsi Tabularum fractio culpa caruerit, præcepta in eis conscripta simul rescissa sunt, quod materialitatem culpæ sonat. Perbellè igitur antequam Deus suæ gloriæ copiam Moysi faciat, Præceptorum Tabulas reficere curat. Nam vbi gloria interest, nulla, etsi materialis, præceptorum Dei scisura interesse debet: Non enim in tuto posita ipsius assecutio, si vel minima intersit culpæ vmbra. Diui Seuerini extrema verba repeto, vt ipsius non mei ingenij cogitatum intelligas: *Ideo quando posteriora eius videre concessum est, tunc Tabulæ, quas antea fregerat fuerunt refectæ.* Vt intelligat, non nisi restituto omnimodè mandatorum Dei deliquio, gloriæ lumine fruiturum. Quod & ipsa insinuare videtur littera. Prius enim Tabulas nouas præcidere. *Præcide tibi, &c.* deinde: *Esto paratus mane, vt ascendas statim in montem Synai, stabisque mecum super verticem Montis.*

Exod. 32.

D. Seuer. vbi supra.

Exod. 34.

Hinc vtili studio colligendum, cui deceptioni se dederint mortales, cuique subiaceant cæcitati. Omnes enim gloriam petunt, beatitatem optant, salutem expostulant; insanè tamen, & infœliciter voluptatum semitas consectantes, fœdæ libidinis momentanea titillatione, animum simul, & corpus indignis prauitatibus polluere student; nec quamquam Pardis maculosiores euadant, gloriæ fiduciam exuere didicerunt. Nullus, aut vix hominum genus est, quod Auri cupiditate non intabescat: nec quam Herculeum sit diuites in Cælum intrare minima animi aduersione reflectunt. Quid igitur, mortales, in votis est? An adhuc ignorare contingit, minimam huius vitæ labilis reliquiam saluti obstare? Adhuc ne ita cecutire datur, vt vel minimam culpæ vmbram, gloriæ consecutioni officere non ediscatis? Quid igitur spei remanet tot scelerum sarcinis oneratis, si & iustorum maximis, vel leuis culpa diuinæ distulit visionis consequentiam? Iam iam meliùs deliberandum sperare fas est, adque pœnitentiæ sacrum auida animarum siti recurrendum: ibi enim certa est cuiuslibet culpæ remissio. O vtinam experiri disceres, quot virtutis vnica habeat contriti cordis lachryma, quot roboris sola dolentis animæ suspiratio, sic diu minimè negligeres pœnitere. Sequere, ah quæso, Diui Gregorij Magni salutare monitum. *Purgemus* (ait ille) *lugendo prius quæ fecimus: & post contemplemus gaudia, quæ quærimus.* Non prius Gaudiorum contemplationi vacandum, quam luctui insinuat; nam si aliter intentare contingat, à recta Gloriæ semita errare iudicabimini. Extra semitam enim ambulat, qui vel minimam culpæ vmbram saluti obstacula dijudicat non obijcere. Non enim in tuto gloria posita est, vbi vel minima culpa certa inuenitur.

D. Greg. l. 4. mor. c. 6.



CAPVT XI.

Quod in vita præsenti tutum non sit misericordiæ fidere, vt bonam mortem quis habeat; ingruente namque hora mortis, misericordia videtur in iustitiam commutari.



VITAM transigit homo & ignorat, quod per singula momenta experitur; cum enim mortalem se esse agnoscat, nunquam satis credit horam mortis affuturam. Quod ex Dæmonis deceptione prouenit, vt moriendi horam oblitus, licentiosè viuat, &

de-

delicijs vacet: cum verò de morte agitur: quodque mors, bonis operibus nō comparata, rarò bona accidit: ad diuinæ miſericordiæ aſylum confugitur. Tunc de habenda peccatorum contritione agitur, & affuturum Dei auxilium ſperatur: Interim mors irruit, imparatum occupat, & dum ſe ſentit damnatum, Diaboli fraudem agnoſcit. Deus enim iuſto ſupplicio eos in eo momento non audit, qui in ipſius obliuione totum vitæ ſpatium tranſegerunt. Audiendus hoc loco Sanctus Bernardinus. *Sunt aliqui, ait, immo infiniti, qui malè viuunt, & ſperant, dicentes cum moriar dicam meam culpam, & ero ſaluus: Et crede mihi; quia niſi habueris iſtam contritionem, de qua tam tibi cecini, eſt impoſſibile, quod tu ſalueris: quia difficilior res mundi eſt ſcire ſeruire Deo, & tu voles incipere ſeruire Deo in puncto mortis? Verè niſi diſcas tempeſtiuè uiuere ſecundum Deum, & habere contritionem ſerò incipies cum morieris, & qui non recordatur de Deo in uita, non auditur in puncto mortis.* Hæc ille. Sed heus; vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine? ita ne ad clamantium voces obſurdeſcis, vt eos non audias? Nonne apud te, ęqua lance, miſericordia, & iuſtitia ponderatur? Cur ergo abſconditur miſericordia, & ſola iuſtitia exhibetur? Planè, vt nos doceas, nimis in miſericordia non fidere: ſiquidem tutum non eſt, in hora mortis ad ſolam miſericordiam confugere: quoniam, tunc ipſa miſericordia in iuſtitiam permutatur. Atque adeo. *Vere niſi diſcas tempeſtiuè uiuere ſecundum Deum, & habere ueram contritionem: ſerò incipies, cum morieris; & qui non recordatur de Deo in uita, non auditur in puncto mortis.*

Vana peccatorum fiducia.

S. Bern. Sen. ser. 3. post Dom. 5. quad. ar. 35.

Nimis in misericordia non fidendū.

Nota.

Ficulneæ, Chriſti Domini maledictione ſubitò areſcentis exemplo remhanc confirmo. Cùm enim propè Bethaniam accederet, & in itinere ficulneam videret, in qua nihil aliud, præter folia, cernerentur, inflicta maledictione, vt refert Matthæus, areſecit: *Mane autem reuertens in ciuitatem eſuryt: & uidens fici arborem unam ſecus uiam, uenit ad eam, & nihil inuenit in ea, niſi folia tantum, & ait illi: nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum, & areſacta eſt continuo ficulnea.* Cur ita ſæuijt in arborem, vt ariditatis pœna percuſſerit? Fors, quia ficubus carebat? At hoc culpa vacabat. *Non enim*, ait Marcus, *erat tempus ficorum*. Vt quid ergo fructum extra tempus poſtulat, & quia non inuenit, ariditate punit? Neque enim æquum videbatur, vt ex arbore quæreret, quod ferre non poterat. Notandum tamen, quod ficulnea bis fert fructum, primo præcoces, poſtea ficus; quod autem has non haberet extra tempus, culpabile non fuit. Cum autem Chriſtus fructum quæreret, quando ficus non dabat, præcoces ferre debuerat, & quia nihil inuenit in ea, maledictione percuſſit, & areſacta eſt ficulnea. Quæro deinde. Chriſtus ficulneæ propinquans, nonne ipſi fauere videtur? ita quidem; ac dum maledictione exſiccat, diſcipulis (teſte D. Chryſoſtomo) ſuam potentiam manifeſtat, quodque crucifixores ſuos perdere, & exſiccare poſſet, oſtendit. *Cur igitur*, inquit, *maledicta eſt? Diſcipulorum gratia, vt diſcant, quoniam poterat ſiccare eos, qui crucifixerunt eum.* At ſi potentiam oſtendere decreuerat, aptius videbatur, ſi fructus, quod vno poterat verbo, crearet, quam ſi ficum exſiccaret: exſiccationem tamen elegit, ad oſtentandam potentiam, quia, vt S. Chryſoſtomus adnotauit, ficus propter granorum multitudinem, quæ intra ſe continet, fidelium multitudinem deſignat. *Ficus etiam propter multitudinem granorum, ſub vno cortice, eſt quaſi congregatio multorum fidelium*. Dum autem fructum in ea quærit, nihil aliud agit, quam à fidelibus bonorum operum, in vita præſenti, rationem exigere. Angelus Pacis aurem mihi vellit hoe monito. *Tempus operandi, & facultas conceditur, quam qui negligit, etſi iuxta naturæ uires agere nihil ualeat, iure damnatur.* Videndum nunc eſt, quando ratio exigitur, & damnationis ſententia profertur, cum ad ficum appropians ei fauere videtur, nos erudiens: quod aduentante rationis noſtrorum operum reddendæ occaſione, quamquam Dei miſericordia noſtros poſſit de-

Matt. 21.

Marc. 11.

Opera semper exigit Christus.

S. Ioan. Chris. hom. 68.

D. Io. Chrys. Matt. ho. 39. oper. i. p. r.

Fr. Ang. Pas. 1. c. cap. 15.

Nota.

Dei misericordia in vltimo constitutis, defectus non supplet.

defectus supplere, minime vult: quinimo aduersus eos, qui, misericordiæ fidentes, bona opera neglexerunt, ita excandescit iustitia, vt eadem misericordia in iustitia mutata fuisse videatur. Et ideò ficulneæ proximus, cum posset vno verbo ficus creare, alio verbo ariditate punit, dicens: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea*, in perpetuum diuinæ vltionis exemplum.

Auscultanda est illa Dauidis supra montes Gelboe imprecatio: cum de Saulis morte, à Philistæis ibi interfecti, flebiliter conquestus, hunc modum imprecabatur: *Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniat super uos, quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo*. Quasi diceret: opto & Deum obtestor, & obsecro, vt vos montes Gelboe amænitate commendabiles, siccitate afficiar, pluuiaque, & rore priuet, quibus, arborum densitate in vertice coronati, & floribus in imis vallibus, ad hortorum inuidiam vestiti, reliquos Palæstinæ montes pulchritudine, & vmbroso luxuriantium arborum apparatu, excellitis. Nec verò iracundi hominis maledictio isthæc est, quamuis id in quæstionem traxerit Abulensis, sed quædam tenera, Saulem ibi occisum, dolentis affectio, vt benè iudicauit S. Ambrosius. *Quam piè*, inquit, *Dauid doluit*. Doluerit, annuo: causas enim dolor habebat honestas: at montibus parcat, & plantis, nec flores matutini roris dulcedine priuet. Qua culpa ariditatis maledictione percuti meruerunt? Dixit Philo Alexandrinus. *Naturaliter enim montes, ad celandos fugitiuos sunt appositissimi, non ad prodendos*. Quod in Christo verificatur, qui fugiens regnum, ne à populo inueniretur, montem petit, iuxta illud Ioannis. *Fugit iterum, in montem, ipse solus*. Hoc ergo pium in Dauidis pectore dolorem excitauit; quod vbi alij in nemorum opacitate occultantur, & insequentium manus effugiunt, ibi Saul, in manus Philisthinorum deditus, infeliciter occubuit; Et hoc est, quod ait S. Ambrosius. *Quam piè Dauid doluit*. Sed iam perpendenda est loci præsentis allegoria. Mons enim arbo-

1. Reg. 1.

Montis descriptio.

Abul. q. 16 ibi.

S. Amb. lib. 3 de offic. c. 9.

Phil. Alex. l. leg. alleg.

Ioann. 6.

re coronatus; montem caluariæ designabat, crucis arbore insignis; & quando ex Anastasij sententia, Deus terræ præcepit, vt ligna proferret, proinde fuit, ac si Ecclesiæ diceret, vt lignum Crucis germinaret. *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum. Hoc est dixit Ecclesia, vt germinet lignum Crucis*. At verò Saul in montem fugiens, peccatoris figuram præfert, qui instante hora mortis, ad Caluariæ montem, hoc est Christi passionem, misericordiam imploraturus recurrit. Cæterum: sicut Sauli mons, qui alijs solet refugium esse, ruinam attulit, & vbi saluari credidit, infeliciter perijt: Quasi non esset vnctus oleo: Ita peccatoribus accidit, qui Dei misericordia confisi, perdite viuunt, & ingruente morte, ad misericordiam recurrunt, quæ tantum abest, vt prosit; quod potius in iustitiam conuertatur. Et hoc est maximè dolendum sicut doluit. Ambrosio attestante Dauid. *Quam piè Dauid doluit*. Quod videlicet Saul ita vixerit, vt vbi misericordiam inuenire poterat, ibi iustitiam, & damnationem inuenerit; sic enim ita viuentibus euenit, vt in extremo vitæ articulo, pro misericordia, iustitiam inueniant, inquam eo momento cuncta immutantur.

Nota.

S. Anast. in Gen. 1.

Saul fatui peccatoris, sero pœnitentis, typus.

Hinc D. Antonius plurimorum suggillat incuriam, qui ad horā mortis vitæ commēdationem reijciunt, ignari, quod tunc misericordiæ fores pulsantibus, occurrit iustitia, sicut ab Isaia prædictum est. *Suspiciet sursum, & ad terram intuebitur, & ecce tenebræ, & tribulatio, & dissolutio, & angustia, & caligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua*. Proh Deum immortalem! in quas angustias deuenit peccator. Etenim quocumque se uertat, remedium afflictionis non inuenit. Et cum maiori indiget auxilio, tunc extrema desolatione premitur, & summam miseriarum experitur: de quo audienda est S. Antonij lingua disertissimè loquentis. *In mortis articulo*, inquit, *est tribulatio infirmitatis, tenebræ in oculis, qui tunc priuantur lumine, dissolutio membrorum, angustia mortis, & caligo persequens, idest timor gehennæ, vel præsentia diaboli, animam egressuram rapere machinan-*

Isa. 8.

Peccatoris in extremis nullum refugium.

S. Ant. Pad. ser. 1. de adu.

P tis.

tis. Hæc ille. At vero peccator, quid aget vndequaque oppressus? Quod quæret asylum, vt calamitatem irruentem euadat? *Heu miser homo, siue sursum suspiciat, siue deorsum despiciat, non poterit auolare de sua angustia; quin cadat super terram, & reuertatur in terram*: Per mortem corporis nimirum, & per mortem animæ in infernum præcipitabitur; expectat enim diabolus, vt e corpore egredientem deuoret, & non poterit auolare de angustia sua, quia in extremo illo articulo, ipsa Dei misericordia videtur in iustitiam permutari; & siue oculos in cælum extollat, siue in terram defigat, in quodcumque latus se uertat, nihil nisi iustitiæ rigorem, & seueritatem intuetur. *Heu miser homo, siue sursum suspiciat, siue deorsum despiciat, non poterit auolare de sua angustia, quin cadat super terram, & reuertatur in terram.*

Ant. vbi s. 3

catori in ... remis nul ... erit re... um.

Quod si hoc verùm habet: cur monet Christus apud Matthæum, vt diuinæ misericordiæ fores pulsemus, fidentes, quod nobis quacunque hora pulsantibus, aperientur? *Pulsate, & aperietur vobis*. Et tamen, vt diximus, peccatori misericordia vertitur in iustitiam. Videndum est cum D. Chrysostomo, qua ratione nos pulsare adhortatur, vt portas nobis aperiri mereamur. *Pulsate autem*, inquit, *oratione, & ieiunijs, & eleemosynis*: hæc optima pulsandi ratio: *sicut enim qui pulsat ostium, non tantum voce clamat, sed manu; sic & qui bona opera facit, pulsat operibus bonis*: Cum ergo nos pulsare monet, vt audiamur: non solum vocem, sed manum etiam adhibere oportet, hoc est, orationi instare, & bene operari: hoc verò ad mortis articulum non est reseruandum, sed quandiu vita durat. *O anima*, hortatur S. Antonius. *a carnis tuæ illecebris eleuare, a mundi concupiscentia consurge ad æterna gaudia: in mortis articulo securus erit, qui ita animam suam leuauerit*. Vides igitur quomodo necesse sit, vt quis misericordiam in mortis articulo inueniat, vt quandiu vita durat, oratione, ac ieiunijs se exerceat, & qui aliter agit, non præsumat audiri: solus enim *in mortis articulo securus erit, qui ita animam suam leuauerit*: Solus misericordiam obtinebit; quando illa conuertitur in iustitiam, qui bonorum operum præuentionem adhibuit.

Matt. 7.

S. Io. Chrys. hom. 18. oper. imper.

Qua ratione pulsandum ad misericordiæ fores speratur.

S. Ant. Pad. ser. 2. de adu.

Placet rem hanc loco Genesis illustrare. *Post dies septem*, ait Deus, *ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam*. Peracto igitur die septimo, adeo ingentes e cælo imbres decidebant, vt flumina in terram defluere viderentur. *Erant enim pluuia*, vt tenet. Abulensis, *ita magna, quod non videbantur: quia non apparebant pluuiæ, sed quasi de cælo flumina nascerentur in terram defluentia*. Inundare igitur orbis incœpit, & crescente diluuio, omnes perierunt, ijs exceptis, qui in arca euaserunt. Quæres tamen: cur ad hanc orbis desolationem aquarum diluuio vsus est, cum vno verbo, cuncta posset extinguere? præsertim, quia in aqua futurum erat remedium, quo in cælum possemus intrare: iuxta illud. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Præterea: cur Adamo peccante, Deus terræ maledixit, & à maledicendo aquæ abstinuit? nonne quia peccatum aquis abluendum erat, & ex illis nasciturum erat culpæ remedium, propter quam primus parens e paradiso terrestri, & cælo fuerat expulsus? Ita quidem Alcuini verba sunt. *Terræ maledixit, non aquis, quia homo de fructu terræ, contra vetitum manducauit, non de aquis bibit, & in aquis erat peccatum abluendum, de fructu terræ contractum*. Si ergo aqua est culpæ remedium, & illa tanquam regia claui cæli fores reserantur. Quare ad delendos homines aquis vtitur, & in eisdem salutem obtinent, qui in arca claudebantur? Quædam diuini iudicij imago hic apparet, vt homines videant, eandem rem quibusdam ad salutem, alijs ad interitum deseruire; & vnde improbi pereunt, bonos liberari Do Oleastrum. *Iisdem aquis impij suffocantur, vt quod impijs est in ruinam, bonis sit in subleuationem*. Verè quidem, & prudenter. Videant, qui misericordia freti, bona opera ad mortis articulum differunt, quo periculo se exponunt,

Gen. 7.

Abul. ibidem quæst. 8.

Ioann. 3.

Alcui. ibi.

Aqua, regia clauis cæli, siue pro Baptismo, siue pro pœnitentia sumatur.

Olea. ibi.

&

& aquarum exemplo discant, misericordiam, tunc temporis, in iustitiam sibi esse immutandam; licet enim ad culpæ remedium, & cæli ingressum comparatæ à Deo essent; nihilominus impii in illis suffocari perierunt. *Iisdem aquis impij suffocantur, vt quod impijs est in ruinam, bonis sit in subleuationem.*

Bona opera in extremis meditari, ineptum.

Facilè veritatem hanc amplectetur quicunque, ratione ductus, viderit ineptum esse bona opera, morte iam instante, meditari; cum totam vitam malè operando transegerit. Quando pœnitentiam agere, & resipiscere meditatur peccator? In mortis articulo? Fallitur: quia tunc, vel deest dispositio, vel Dei vltione, repentinę mortis inuasione, opprimitur, & ideo, vt ait Origenes, non pauci impœnitentes damnantur. *Est inuenire quosdam, qui quando debuerunt, neglexerunt aliquid vtile discere, in ipso autem exitu vitæ suæ, dum disponunt discere, comprehenduntur a morte.* Et dum cum ipsius angustijs colluctantur, animæ obliti, de solo corpore medicando cogitant. Adsunt Vxor, filij, consanguinei, qui sua cogitant, & iteratis medicaminibus, corporis salutem restaurare conantur, & de animæ, statim moriturae, nihil agunt. Interim infirmus in lecto inquietus, sese identidem circumagit, donec inter hæc animam efflat, & in infernum detruditur. Huiusmodi exitum plorat S. Bernardinus: *Primus, inquam est dolor afflictionis, dolet caput, dolet corpus, dolent membra cuncta, & viscera quatiuntur intra: Adstat vxor, consanguinei, Medici, & totus cumulus parentelæ circumstat: vnus consolatur afflictum, alius spem porrigit sanitatis. Medelam ordinat ille, alius dat Sirupos, alter addit emplastrum, fiunt confricationes, calorique sedando aqua rosacea funditur ad manus, & per eandem pedibus refrigerium datur; & cum his nihilominus conualescit dolor. Torquetur corpus, vlulat, lamentatur, heu, heu, hoy, hoy, hem, hem, descendit ad vltimum strati, reascendit vnde descenderat, & de tanto, tamque acerbo cruciatu, ait vxor: Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius, vniuersum stratum eius versasti, id est versare fecisti in infirmitate eius, & ipse impatiens lamentabiliter, ait: Pericula inferni inuenerunt me.* Hæc ex D. Bernardino.

Orig. in Mat tract. 31.

S. Bernard. Sen. ser. 5 post 1. Dom. Quadrag. ar. 1.

Pulcra extremæ languentis descriptio.

Ps. 40.

Ps. 114.

Nota.

Videndum tamen est, quot ad corporis medicinam infimo procurandam accurrerunt, & nemo de animæ salute commonefecit, nullus pœnitentiam, & peccatorum confessionem suggessit, quinimò, si quis hoc suadet, contemnitur, & solus qui de corpore agit, auditur: Vnde nam hoc prouenit? nisi, quia graue est infirmo, si de salute animæ admoneatur. Et domestici diuertunt, accusantes temporis importunitatem. Heu miser, iam iam te premet mors, & tibi dicitur: Non est Tempus. Ne talia dicentes audias, vel si audieris, recte intelligas, dum enim procrastinando, misericordiæ nimis fidens, tempus perdidisti, nunc tibi ad pœnitentiam deest, & Dei misericordia, quæ est peccatorum refugium, in iustitiæ rigorem conuertetur. Iterum sanctus Bernardinus. *Solent namque tales, & maximè vxores, dicere recordantibus de confessione, & Communione infirmi. Nondum est tempus, sed vt vera glossa huic maledicto textui appoatur. Non est tempus: Verè non est tempus, quia diabolus super infirmum habet tantam potestatem, dum mente, & corpore compos est sui.* Atque adeò, ingrauescente morbo, infirmus loquelam penè amittit præ crassitudine linguę, memoria deficit, sensus turbatur, rationis lumen obtunditur: Vnde legitimam, & veram non habet de peccatis contritionem: vix atteritur, & remissę de peccatis dolet, & confessio irrita euadit, & consequenter animæ damnationem incurrit. Etenim Dei misericordia, quæ humanis defectibus præstat supplementum, tunc temporis vertitur in iustitiæ seueritatem. Nec aliud misero tempus est, quam vt à Diabolo deuoretur. *Sed vtique tempus est, quia memoria deficiente, & sensu, ingrossataque lingua, cum nequit, nescit, & quodammodo nolit, vel insufficaciter, velit confiteri scelera sua: verè, inquam, tempus est, quod diabolus ad Tartarea regna animam suam portet.*

Tempus pœnitendi non contemnendum.

S. Bern. Sen. ser. 4. post 1. Dom. 4. 3.

Nota.

S. Bern. vbi supra.

Egregium huius rei documentum reliquit peccatoribus Absalon, è quercu suspensus. Cum enim mulo equi-

tabundus hostem fugeret, & subtus quercum incederet, errante per aerem fugientis coma, ramo adhęsit, & mulo interim prætereunte, suspensus eques ab arbore restitit, & tribus à Ioab lanceis transfixus, interijt: ita sacra Regum refert Historia. *Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter Cælum, & Terram, mulus, cui insederat, pertransiit.* Proh adolescentis infœlicitatem; Quid agis Absalon? cur retractis habenis, currentem mulum non retardas? vel eo iam abeunte manum non extollis, comam ramo impexam non solus, vel stricto mucrone, non amputas? vtrumque enim facilè erit, animositate, & viribus præpollenti. *Quæritur*, ait Abulens. *quomodo Absalon potuit pendere, fugiente mulo, quia ipse poterat tenere eum, & interim soluere capillos, vel amputare?* Nihil tamen egit, nec potuit infęlix, iam à Deo derelictus, vt in hostium manus occidendus deueniret. Abulensis Responsio est. *Sed nihil horum fecit, eo quod Deus exosum habebat Absalon, & volebat eum tradere in manus hostium.* At si totum hoc à Deo fuit dispositum, vt Absalon hostibus traderetur, & eorum manibus, periret, cur inter præliandum non capitur, & occiditur? sed fugiens detinetur in arbore pendens, & ibi sui oblitus nihil ad euadendum molitur? Multum intererat, vt Dei vindicta, & derelictio notior esset, si non inter militum, vndique certantium, turmas occumberet. Quia fors ibi diceret, liberari non potuisse. At e quercu pendens, euadere potuisse videtur, sed noluisse. Dum autem potuit, & euadendi potestate vsus non fuit, Dei indignationem, & vindictam clarius ostendit, & quandiu ibi pendebat, Diuinam vltionem, & iustitiam pr̨edicabat. Hinc est illud à D. Chrisostomo eleganter dictum: *Absalon non statim de medio sublatus est, sed tanquam in iudicio, prius suspensus est, & ligno affixus, & Deo ferente sententiam, longo tempore pependit, à conscientia deinceps flagellatus.* Hæc ille. Quasi diceret: Cum quispiam in humano iudicio, ad suspendium adducitur, aliquandiu in ligno pendens, ad iustitiæ exemplum, & aliorum eruditionem detinetur: non aliter cum Absalone gestum à Deo est. *Qui longo tempore pependit*, & ibi pendens nihil egit, vt posset euadere, alios erudiens, quod appropinquante mortis hora, misericordia vertitur in iustitiam, in cuius manus peccatores sui immemores traduntur, etsi forte flagellante conscientia, in seipsos reuertuntur, nec sibi succurrunt, nec tunc à Deo derelicti, possunt, sicut euenit Absalon, qui *Nihil horum fecit: eo quod Deus habebat exosum Absalonem, & volebat eum tradere in manus hostium.*

Premo adhuc Diui Chrysostomi sententiam, multa enim in ea sunt ponderosius examinanda. *Absalon*, ait, *non statim de medio sublatus est, sed tanquam in iudicio, prius suspensus est, & ligno affixus, & Deo ferente sententiam, longo tempore pependit, à conscientia deinceps flagellatus.* Cur tandiù pendere sustinuit, nec comam præcidit, vt euaderet, sed pendens expectat quousque tribus lanceis à Ioab transfigatur? Planè ex Rabbi Salomonis sententia. Respondet Abulensis, *quod Absalon pendens, voluit sibi amputare capillos, vt cadens fugeret, sed vidit sub se apertam gehennam; & ne caderet in abyssos voluit potius pendere in arbore.* Ita ille: At quid remedij ex arbore capiebat, vt gehennam euaderet? Nihil sanè profuit, siquidem ibi pendens, vitam amisit, nec pœnam euasit. Cæterùm inquirendum est, quænam fuerit huiusmodi arbor: nam sicut ex Anastasio adnotauimus, crucis figuram gerebat: tantundem namque valuit, quod Deus terræ mandaret, vt arbores produceret, ac si Ecclesiæ diceret, vt nobis crucem largiretur. *Germinat terra herbam virentem, & lignum pomiferum: Hoc est dicit Ecclesia, vt germinet lignum crucis.* Dum ergo Absalon ad arborem confugit crucis, asylum quæsiuit, & ad misericordiam, quam Deus nos à culpæ reatu redimens, fuit in cruce operatus, se contulit, vt infernum euaderet. Vidit sub se gehennam apertam, & ne caderet in abyssos voluit potius pendere in arbore. Quid

[Marginal notes, left column: 1. Reg. 18. — Abul. ibidem quæst. 12. — Superflua vitæ nisi rescindantur, ad damnationē impellunt. — Abul. vbi sup. — Peccator cū potest non vult, cum autem vellet non potest pœnitere. — D. Io. Chris. in Ps. 7.]

[Marginal notes, right column: Conscientiæ flagella quā grauia. — Abul. ibidem quæst. 18. — Gen. 1. D. Anast. ibi. — Crucis virtus peccatori sero pœnitēti infirma.]

agis

agis Absalon! Ad arborem misericordiæ confugis: non tamen ibi præsidium inuenies: qui enim viuens ita diuinæ misericordiæ fisus, vt Deum non meminerit, accedente hora mortis, misericordia vertitur in iustitiam: Atque adeò ex arbore viuus pendebis, gehennam apertam subtus conspicies, & vbi vitam tueri sperabas, mortem inuenies, & animæ damnationem incurres; & quamquam e bello te proripueris, ab arbore comprehensus, Dei iudicium nō euades, sed ibi pēdens peccatoribus ad terrorem pariter, & exemplum deseruies. Replico D. Chrysostomum: *Absalon non statim de medio sublatus est, sed tanquam in iudicio prius suspensus est, & ligno affixus, & Deo ferente sententiam longo tempore pependit, à conscientia deinceps flagellatus.*

Quot sunt in hoc mundo Absalones. Quot Dei immemores viuunt, & cum de salute animæ aliquid eis suggeritur, se offendi existimant. Proh miseram deceptionem. Quid agitis improuidi? quid vos detinet ne, dum tempus habetis, bonum operemini? Fors vitæ voluptas, & mundi luxus? At non cernitis dæmonis esse fallaciam; qui vitam spondet, & mortem propinat? Ita vos Deus felicitet, vt meum S. Bonauenturam audiatis, ad illa Apostoli verba: *Vidua quæ in delicijs est viuens, mortua est.* Delicijs vacat, & viuit: quomodo igitur mortua est? mori namque, & viuere inter se pugnant. Cæterum, corpore viuit, & anima moritur, quia ibi primum luxui se dedit, mortuus debet reputari, & inferni cruciatibus adiudicatus. *Homo, qui delicijs vacat mortem vocat, animam refutat, fœdus cum ea ferit, ad se manibus, & pedibus trahit illam.* Verè quidem, Nam voluptatum cura, & deliciarum sollicitudo, mortem accelerat. Sin minus *Adsis*, *inquam*, ait Bonauentura: *In his oblectationibus, quid quæris? vitam? vitamque deliciosam? at qui in delicijs est viuens, mortuus est.* Quis morti in orbem intratutæ portas aperuit? Nonne pomi vetiti commestio, in quod Eua manus iniecit? In illa mortem Propheta inuenit, Esau lentium cibum appetit, &

1. Timot. 5.

Qui delicijs viuit mortuus reputatur.

S. Bonau. ser. Dom. 20. post Pen.

S. Bonau. vbi sup.

Gen. 3. 3. Reg. 4. Gen. 25. Dan. 7. Esther. 7.

maioratum amittit. Inter conuiuandum Balthasar mortis sententiam, in pariete scriptam, intuetur. Dum Assuerus mensæ accumbit, Aman trahitur ad suspendium: Absalon mensam instruxit, & ibi Amnon interficitur. Tandem infelicissimus semper extitit eorum exitus, qui vitæ præsentis luxui, voluptatibusque se manciparunt. Omnia ad epilogum redegit S. Bonauentura. *Commestio mortem induxit in orbem Terrarum. Quod deputatum fuerat ad tuendam, tenendamque vitam, hoc idem destruxit vitam, adduxit mortem. Quando mulier comedebat, homo incipiebat mori. Quando peccabat homo, omnis incipiebat mori humana natura: Disce & tu, quod mors est in illa, virus in esca, interitus in esu, perditio in epulis, exterminium in canis. Balthasar in conuiuio interfectus est. Amam in conuiuio, ad patibulum deputatus est. Esau edulio reprobatus est; Amon comedens interemptus est; & omnis labor hominis in ore eius, & de comestione omnis nostra perditio profecta est, & tu latus comedis, & non vides, in epulis tibi paratam necem.* Hactenus ille. Caueant igitur delitijs dediti; timeant, nedum, ijs vacant, & peccata multiplicant, mors ingruat: iratus iudex gladium distringat, damnationis sententia feriat, & cum ad ipsius misericordiam prouocent, in iustitiæ rigorem immutari experientur: quia securum non est misericordiæ fidere, & in postremam horam, peccatorum pœnitudinem differre.

S. Bonau. vbi sup.

Comestio mortem induxit.

Nota.

Extremam appono lineam, subtilis Doctoris penicillo, qui verba Ezechielis expendens, in quibus Deus suam in hunc modum misericordiam ostentat. *Si autem impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor,* Ita exclamat. *O quanta Dei misericordia! quando dimittit pœnitenti peccatum, non dimittit vno, vel duo tantum; sed dimittit omnia: ideo dicit; omnium iniquitatum, scilicet, & adeo totaliter dimittit, quodammodo nunquam improperabit, ideo dicit: non recordabor amplius.*

Ezech. 18.

Dei misericordia quanta.

plius. Quod autem hæc venia, in quacunque hora petentibus donanda sit, promisit Christus apud Matthæum, dicens: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis*. cap. 7. Ex quo apparet, non inanem esse eorum fiduciam, qui pœnitendi immemores vltimam horam expectant, vt in ea misericordiam implorent, certi, quod à Deo veniam petentes audientur: deceptio isthæc est: quia tunc temporis, pro misericordia iustitiam inuenient, vt iam ex virginum parabola demonstro.

Matt. 7.

Apud Matthæum cap. 25. Expectantibus sponsi aduentum Virginibus, cum ipsæ somno premerentur, accessit sponsus: *Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obuiam ei*. Quinque Virgines, quæ aduentum ipsius, paratæ, expectabant, cum eo intrauerunt: aliæ quinque, quæ olei emendi gratia decesserant, cum redirent, ianuam inuenerunt occlusam, & quanquam iteratis vocibus, sponsum inclamando, pulsarint, nihil eis profuit: Audiens enim sponsus, pulsantes repulit, dicens: *Amen dico vobis, nescio vos*. Vbinam data fides, quod pulsanti aperiendum sit? Pulsate, & aperietur vobis. Vbi nam est illud: Petite & dabitur vobis? Vbi nec vnius tantum culpæ, sed omnium largissima donanda sit venia: Cur, si hæc vera sunt, Virgines repelluntur, & idem repulit, qui dixerat: *Petite, & dabitur vobis: pulsate, & aperietur vobis?* An verbum eius irritum erit? Absit: dixit enim: *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Origenes ibi: *Verba autem Christi semper sunt plena, & quotidie implentur*, Quid ergo dicendum? consulendus est D. Augustinus: *Non fallaciter*, ait, *dictum est: Petite, & dabitur vobis: pulsate, & aperietur vobis: sed nunc, quando tempus est misericordiæ: non vero quando tempus erit iudicij*. Qui ergo ad hoc tempus differunt pœnitentiam, ijs data fides non est, quod ibi sit aperiendum, cum potius dixerit: *Clausa est ianua. Nescio vos*. Et quidem Virginum parabola, de iudicio communiter intelligitur, & ibi prudentes recipiuntur ad coronam, & fatuæ repudiantur ad pœnam, & notandum, quod reprobationis sententiam non tanquam Iudex protulit, sed tanquam sponsus. *Ecce sponsus venit. At ille respondens, ait: Amen dico vobis. Nescio vos*. Cur autem sponsus vocatur, cum Iudicis officium exercet? Iudicem seueritas dicet, Sponsum amor, & misericordia. Et mirum non est, vt Iudex rigorem ostendat: quanto enim misericordior ante iudicium extitit; tanto seueriorem ibi se ostentat. *Magna*, inquit Sanctus Augustinus, *est eius seueritas post iudicium, cuius ante iudicium ineffabilis misericordia prærogata est*. At vero, si tunc ita rigorosum se ostendit, cur sponsi nomen, quod amorem sonat, vsurpat. Iam dicam, quia si quid virginibus illis spem addere posset, quod ad nuptias admitterentur, esset sponsi nomen: dum autem sub hoc nomine, iustitiæ seueritatem experiuntur, planè documentum est illis, qui oleum bonorum operum non præueniunt, sed ad rationis reddendæ tempus reseruant, non inuenturos tunc misericordiam; quippe quæ tunc in iustitiam conuertitur. Et sub sponsi nomine, in quo, sine charitatis oleo, fidebant inaniter, iudicis seueritatem inspicerent. *Ecce sponsus venit: At ille respondens, ait, Nescio vos*, vt ita nouerint, ibi rigorem inuenturos, vbi veniam adipisci sperabant. Etenim: *Magna est eius seueritas post iudicium, cuius ante iudicium ineffabilis misericordia prærogata est*.

Matth. 25.

Inaniter in extremis misericordiæ fores pulsantur.

Matt. 24.

Orig. tra. 30.

S. Aug. ibi.

Matt. 25.

Amarum nimis, sponsi sententia sponsam dānari.

S. Aug. ser. 22.

Peccatores inde rigorē experientur, vnde veniā sperabant.

Hæc hactenus dicta satis, superque ostendunt, quam fragiles sint huiusmodi res, quamque fallax, & inanis ipsius voluptas: breuissimè transit instar auis, quæ præteruolat, & nullum sui volatus in aere vestigium relinquit: iuxta illud Iob: *semitam ignorauit auis*. Ipsa vita nostra ocijssimè transit, vt illæ apud Osæam similitudines demonstrant. *Erit quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens, sicut puluis turbine raptus ex area: & sicut fumus de fumaria*. Quod ita versat Sanctus Antonius de Padua. *Puluis vento rapitur, fumus in tenues auras dissoluitur: sic adueniente ardore mortis, temporalium abundantia fugiet, & deficiet*, &

Iob 28.

S. Ant. Pad. Dom. 3. post Pasch.

& carnalis concupiscentia, & omnis vana gloria euanescet. Hæc ille: vbi bonorum fragilium huius vitæ imago, fumi, vaporis tenuissimi, & roris similitudinibus expressa, mirificè ludit: caue tamen, qui vides, ne illudat. Væ illud Lusitanæ linguæ ausculta, & talium rerum amore non capieris. *Væ ergo illis, qui per huius vitæ modicam abundantiam, momentaneum delectamenti vmbraculum, æternitatem vitæ perdiderunt*. Hanc assidua meditatione recole, illius aspectu, bonorum operum oleum præueni, nec pœnitentiam in postremam horam differas; quia tunc, pro venia damnationem inuenies: vana est eius fiducia, qui Deum (dum viuit) oblitus, moriens ad ostium misericordiæ accedit, quia tunc pulsanti, non aperitur; *sed nunc, quando tempus est misericordiæ, non autem quando tempus erit iudicij*, cuius seueritatem non timebimus, si accensis oleo charitatis lampadibus, aduenientem sponsum expectemus, qui ad cælestes nuptias introducet cum cælitibus, mensæ suæ participes faciet, & diuinis epulis pastos coronabit.

FINIS LIBRI SECVNDI.





LIBER TERTIVS. DE MIRIS MORTIS EFFECTIBVS.



CAPVT PRIMVM.

Quod, vt anima viuat, necesse est vt oculi moriantur: quamdiu enim ipsi viuunt, Mortis memoria infrugifera est.

DICENDI initium mihi faciat pulcherrimus Seraphici parẽtis mei Francisci cogitatus, ad illa Ieremiæ Verba: Threnorũ 3. vbi de oculorum suorum latrocinio conquæritur, dicens: *Oculus meus deprædatus est animam meam, in cunctis filiabus Vrbis meæ*. Dum enim Ciuitatis incolas pecc atis inuolutos, & carnalibus delitijs occupatos intueretur, oculis, tanquam in peccato ducibus, hanc infęlicitatem attribuit: Et vero cum oculi in capite positi, licet ibi palpebris, & supercilijs occultari videantur: attamen fenestris similes sunt, per quas ad animæ inuasionem aditus patescit, & ideo delicti culpa in ipsos refunditur. *Oculos*, inquit, *in aliquam conieciſtis? mulierem vidiſtis? pœniteat: oculis in posterum cauete, mors latet in visu, oculorum intrat per fenestras*. Ita ille: vnde inferes, tantumdem esse, culpæ locum facere, qua moritur anima, ac ipsos vendere, & deprædari. Vt ergo huic malo remedium afferatur, opus est, vt oculi clausi, quasi iam mortui, habeantur; sic enim ad animæ custodiam proderunt, & gratiam viuentem conseruabunt: aliter dum vagi, atque elati circumquaque flectentur, aditum ad culpam, proindeque ad mortem animæ patefacient. *Mors latet in visu, oculorum intrat per fenestras*: nec instanti vlla fiet resistentia, quia dum oculi viuunt, mortis memoria fructum non profert.

...ren. 3.

Oculi Animæ fenestræ, per quas in [...]editur culpa.

S. Fran. Par. de custod. oc... orts ocul.

Vt autem hoc clarius innotescat: Adami casum expendamus. Ille enim in paradiso constitus, Originali gratia prœditus, plurimis dotibus insignitus, Orbis dominator à Deo institutus, cui diabolus inuidens, Euam aggreditur, decipit, ad comedendum vetitum malum instigat: illa appetitu incitante, & dæmone suadente, pomum colligit,

gir, comedit: Adamo porrigit, ille præcepti immemor, etiam comedit, vterque gratiam originalem amisit. *Comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Miraberis facilitatem, qua mulier diuinum transgressa est mandatum. Cum tamen Deus, vt eam a transgressione retardaret, mortis memoriam, veluti frænum adhibuetit, dicens. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Nec verò mortis memoriam abiecisse credenda est, quæ dæmoni dixerat. *Ne fortè moriamur.* Si ergo mortem mente tenebat, & in hac remedium erat contra inobedientiam destinatum: cur cecidit, quasi mortem fuisset oblita? Respondet Rupertus: hoc ex nimia ociositate, qua oculos huc illucque flectens, vetitæ arboris pomum aspexit. *Vidit igitur*, inquit, *idest considerauit, diligenter intuita est curiositus, & iudex eorum, quæ ipsa viderat, esse voluit.* Cæterum si in mortis recordatione remedium aduersus peccatum consistebat: quid intererat, vt oculi vagarentur, dum illa in mente versabatur? Qui vmbone protegitur, hostis petitionem non timet, quamuis oculos alio diuertit. Nihilominus respondet S. Gregorius, magni fuisse momenti, vt Eua a diabolo vinceretur, quod oculos diuerteret. Quippe cũ illi fenestræ quædã sint, quibus morti ad animam aditus patefit. Tandiu illa per gratiam vixit, quandiu oculi mortui erant. At vero vbi primum vitam præfetendo vagari cæperunt, de fructus gustu, saporeque iudicaturi, culpa in animam obrepsit, & subinde mors intrauit. Quo facto erudimur, mortis memoriam nullos fructus producere, nisi oculi moriantur: ideo infert S. Gregorius. *Ad custodiendam ergo cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina seruanda est.*

Gen. 2.

Curiosæ otiositatis damna.

Rup. l. 3. in Gen. c. 9.

D. Greg. l. 21. mor. c. 2.

Pergo vlterius, & cum D. Isidoro dæmonis sponsionem Euæ factam expendo. Quid ille ad fœminam? *Aperientur*, inquit, *oculi vestri.* Clausos ergo habebant oculos? *At quomodo*, inquit, *videbant, si clausi erant oculi?* Quod si erant aperti: Cur diabolus, vbi primum comederent, aperiendos promisit? Singularis extitit diaboli astutia, respondet Rupertus, vt oculos aperirent. Licet enim interiores oculi custoditi sint; si exteriores appetitui subijciuntur, mors aduenit, anima moritur, & illis viuentibus, ipsa occiditur à peccato. *At illi*, inquit, *qui de hoc iudicare poterant interiores oculi, iam erant oculorum concupiscentia præpediti.* Quare ergo animam occidere cum intendat, in oculos sagittam, telumque dirigit, & ipsos procurat apertos fore, vt anima moriatur? Ratio est, quia diabolus, quando Euam tentare fuit aggressus, illa mortis memoria tentatorem repulit, dicens. *Ne forte moriamur.* Cum igitur agnosceret viuentibus oculis, mortis memoriam fructu carere solitam: videns Euam tali memoria veluti clypeo protectam vinci non posse, omnemque ad mortem aditum clausum omnino esse, ad exteriores oculos se conuertit, certus, quod dum ipsi viuerent, nec mortis memoria frugifera esset, nec anima intraturæ morti resistere posset. *At illi, qui de hoc iudicare poterant interiores oculi, exteriorum iam erant oculorum concupiscentia præpediti.*

Gen. 3.

D. Isidor. in Gen. 3.

Nota.

Anima moritur si oculi voluptatibus viuunt.

Rup. l. 3. in Gen. 3.

Addo pro maiori propositi instituti confirmatione, quod Christus egit, dum cæcum illuminauit; quoniam, vt refert Ioannes. *Expuit in terram, fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.* Nouum remedij genus, siquidem lutum ad cæcandum magis, quam restituendum visum inseruit: *Vnde* si cæcus hoc agnosceret, planè, vt D. Thomas argumentatur. *Potuisset dicere, lutum solet magis excæcare.* Vt quid ergo lutum applicans, sanitatem restituit, cum alias plurima miracula, solo verbo, ediderit? Et congruentius videbatur, vt verbo curaret, quam luto. Respondet D. Chrisostomus, dicens. *Qui autem minores substantias de nihilo adesse produxit, multo magis oculos sine materia fecisset. Voluit docere, se ipsum esse creatorem, qui in principio vsus est luto ad hominis formationem.* At dubium mihi insurgit: cæcus iste Adami figura erat, quem ex luto Deus efformauit, & dum sanus redditur, lutum, quod fractum fuerat, reficitur, sed Adamus ore deliquit, iste in oculis recipit

Ioann. 9.

D. Thom. ibi.

D. Ioan. Chri. hom. 56.

Nota.

cipit medicinam, atque adeo ad illius figuram, qui ore peccatum admisit, aptus minimè videtur, cum integrum habeat os, & solo oculorum visu destituatur. Nihilominus, ex D. Antonij sententia, Adamus, & cæcus, sibi inuicem mirificè respondent: quia oculi, quandiu viuunt, & voluptates appetunt, tanquam latrones animam spoliant, & occidunt. *Latrunculi*, inquit, *sunt oculi, qui furantur animam*. Itaque dum cæci lumina curantur, Adami culpa, quam ore commisit, medicinam accipit, vt potè, qui oculis pomum vidit, deinde concupiuit, & comedit, ex quo oculos delicti authores dixeris; quippe qui animam spoliarunt & mortem ei attulerunt. Perbellè autem sanandus, luto super oculos posito, linitur. Cum enim quispiam tumulatur, terra contegitur. Et quandiu oculi vita priuati extiterunt, anima vixit, & contra dæmonis tentamenta, mortis memoria, tanquam scuto se præmuniuit: Vbi vero oculi vitam receperunt, anima mortua est; quando ergo Christus, luto imposito, sanitati restituit, absque dubio nos edocet, necessarium fore oculos mori, vt anima possit viuere: illis enim viuentibus, infrugifera est mortis recordatio.

D. Anton. Pa. ... (margin note)
Oculi Animæ latrones.
Nota.

Absoluo, nunquam satis laudatis pœnitentiæ officijs, quibus Magdalena Christum in domo Pharisæi continantem prosecuta est, vt D. Lucas commemorat. Igitur domum ingressa Christum quærit, & *stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Plurima in hoc fœminæ pęnitentis obsequio videnda se offerunt: primo enim cur quæ pedes vnctura, & lachrymis pariter lauatura properabat, linteum non detulit, quo abstergeret; neque enim in tanta opulentia deesse poterat. Sedilla, vt censuit Nyssenus, superfluum lintei obsequium credidit, quæ capillis ad hoc vti decreuerat. *Oculis enim*, ait, *terrena cupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens, flebat: capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat*. Itaque, pro linteo capillos adhibuit, vt pedes abstergeret. Quare hoc egit, cum linteum præuenire facil posset? Respondeo, huius peccatricis ruinam in eo stetisse, quod quidquid oculis viderat, concupiuit: & inde eius conuersio auspicata est, ex quo damnum agnouit, deque remedio cogitauit. Primum vero adhibuit mortis memoriam, quam vnguentum referebat, iuxta illud Matthæi. *Ad sepeliendum me fecit.* Deinde, capillorum vsa est ministerio, vt animæ vitam restitueret; sapienter quidem; nam dum oculi vixerunt, anima eius mortua fuit, vt autem mortis memoria fructum producat, necesse est, vt oculi visione carentes, moriantur: quod fletus, & capilli desuper vndantes efficiebant. Atque adeo oculis sic obtectis, oppressa eorum luce, ad Christi pedes anima vitam recipiat. Aliter non ita facile est viuere, quamquam mortis memoria adhibeatur, quam vnguentum significabat; quia hæc, vbi oculi viuunt, est omnino sterilis: & ideo Magdalena, vt animæ vitam recuperet, vltra mortis memoriam, oculos reddidit quasi mortuos, dum lachrymis vbertim manantibus, obnubilauit, & capillis desuper fluentibus obtexit: *Oculis enim terrena cupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat: sed iam capillis lachrymas tergebat.*

Luc. 7.
D. Greg. Nyss. hom. 33. in Euangel.
Primum criminis remedium mortis memoria.
Matt. 26.



CAPVT II.

Quod potens adeo sit mors, vt sola sui memoria feras mansuefaciat, & ipsum Diabolum conterat, ac subijciat.



IPARTITVM est hoc Caput, ideoque partitis probationibus fulciendum. Igitur, pro prima parte, se offert supplicium illud memoran-

randum, quo Deus Prophetæ cuiusdam inobedientiam, immisso Leone, vendicauit; Cum enim iter faceret, Leo irruit, Prophetam occidit, ab occisi cadauere abstinuit, quin etiam asino pepercit, vt 3. Regum enarratur. *Non comedit leo de cadauere, nec læsit Asinum.* Admiranda prorsus feræ abstinentia. Cur voracitatem non satiat? cur mortuum non dilaniat? & quando parcit cadaueri: cur in asinum non irruit, & deuorat? Respondet Clemens Romanus. Non permisisse Deum, vt hoc ageret, quia solum volebat, vt castigatæ foret inobedientiæ exemplum, & non feræ pabulum. *Qui enim*, inquit, *occidendi habuit potestatem, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit.* Apta sanè responsio: adbuc tamen vrgeo: Si prophetæ parcit, quia à Deo non permittitur, quare Asinum non deuorat, si à nemine retardatur? Vel si ob Dei præceptum à propheta abstinet, cur item iumento abstinere non iubetur? Quod nam hic latet mysterium, vt famelicus Leo, & ferox, prophetam occidat, & nec ipsum tangat, nec Asinum, sed vtrique proximus, & familiaris assistat? Fallar nisi rem tango: Iubente Deo prophetam Leo occidit, vbi vero illum vidit occisum, mortis imago sese illi obiecit, qua feritatem ita cohibuit, vt nec in Asinum irruere ausus fuerit. Et ideo opus minimè fuit, vt ab ipso abstinere præciperetur: tanta vis in mortis memoria residet, vt feras reddere possit mansueras. Non comedit Leo de cadauere, nec læsit asinum.

3. Reg. 13.

Inobedientiæ punitio seuera.

D. Clem. Rom. l. 4. const. c. 6.

Mirare hunc mortis effectum; siquidem animalia ratione carentia compescit, & Leonem famelicum ne Asinum læderet, iniecto quasi fræno cohibuit: Quod licet magnum sit, & admirandum, maius adbuc est; quod addam videlicet, mortis memoriam ipsummet diabolum refrænare. Huius propositionis probationem subministrat Iudas Apostolus, prælium illud commemorans, quod Michael Archangelus contra dæmonem susceperat, ibi enim ab omni iniuria in hostem sibi temperauit, & omnia ad diuinum imperium, voluntatemque retulit. *Cum Michael Archangelus, cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit. Imperet tibi Dominus.* Haud dubium, quod huius certaminis occasio, ex Oecumenij sententia, fuit propter quod diabolus Moysis sepulchrum detegere volebat, vt populum ad idololatriam impelleret. Illud mirabile est, & ponderatione dignum, quod, vt referr Iudas, ab omni iniuria Michael abstinuit: quibus ergo armis subiecit? Quod probris affecit, non miror, quia fors naturam Angelicam, secundum substantiam considerabat, & cum sic bona sit, honorare potius voluit. Ita Oecumenius. *Diabolus est in substantia bonus, sed in voluntate malus, & ideo ab Angelo non blasphematur: quia aliquid proferre aduersus bonam naturam, blasphemiam reputat Archangelus.* Vicit ergo Michael aduersarium, quia reuera corpus Moysis vsque adhuc occultum est, vt Deuteronomio dicitur. *Non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem.* Non vicit iniurijs, quia hoc testatur Apostolus non diuino imperio superauit, quia hoc non refert, licet Michael ad illud retulerit. Quo ergo aduersarium ita superbum subegit? quo vsus est telo vt vinceret? plane mortis memoria. Non ne altercatio erat de Moysis corpore? Erat ergo ibi victoria, vbi vigebat mortis recordatio, quam adeo potentem Michael agnouit vt superfluum crediderit, alijs vti armis: atque adeo hac sola fretus, rorum Deo retulit: certus quod quæ Leones cicures reddiderat, Leonem quoque superaret. *Non comedit Leo de cadauere, nec læsit asinum. Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit. Imperet tibi Deus.*

Mortis memoria, & diabolü frænat.

Epist. Cath. B. Iud.

Oecum. in Epist. Iud.

Neque Angelo iniurijs vincendum.

Deut. 34.

D. Chrysologi calamo rem banc illustro: is enim ad illud Matthæi, in quo diabolus omnia orbis regna, per quandam imaginem, Christo ostendens, illa se daturum promisit, si flexis genibus adoraret. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Vidisti factum, & superbiam. Ecce tibi is, qui adorari postulat, obuiam Christo factus, bu-

Matth. 4.

militer, ac reuerenter, fastu posito, adorationem exhibet. *Videns autem Iesum à longe, cucurrit, & adorauit eum.* Vnde nam tam repentina mutatio? nunc ita superbus, vt adorationem exigat, iam ita humilis, vt adoret? cum diabolo sic expostulat D. Petrus Chrysologus: *Quid est diabole, quem trina tentatione prouocabas ad lapsum, quem promissione regni, vt te adoraret subdolus ambiebas: nunc tremens, & miserandus prolaberis, & adoras?* Scire amas, quare tam subito humilis, & mansuetus euasit, qui modo elatus erat, & indomitus; & cum antea adorari superbus ambiret, nunc abiectus, ac in terram prolapsus, adorat, miserandusque reueretur? consule Chrysologum, & disces, diabolum humilitatem hanc, & modestiam e sepulchro hausisse. Quoniam, vt refert Euangelista, in mortuorum sepulchrum se emisit. *Ecce*, inquit, *qui honores omnis regni promittebat, & gloria, habitare fœtidis corruptione cadauerum reperitur in tumulis.* Cæterum inquires, quid in sepulchro latebat, ex quo dæmon humilitatem, mansuetudinemque hauriret? Planè mortis memoria; ideo enim sepulchra dicuntur monumenta, quia viuentes monent esse morituros. Rectè igitur diabolus, vbi primum sepulchri habitationem tetigit, mortis memoria percussus, omnem superbiam, ac feritatem exuit, totusque ad humilitatem, & mansuetudinem compositus, adorare cœpit eum, à quo antea adorationem postulabat: Adeo potens est mortis recordatio, vt non solum feras cicures efficiat, sed ipsum diabolum subigat, & compescat. *Quid est diabole, quem trina tentatione prouocabas ad lapsum, quem promissione regni, vt te adoraret, subdolus ambiebas, nunc tremens & miserandus prolaberis, & adoras? ecce qui honores omnis regni promittebat, & gloria, habitare fœtidis corruptione cadauerum reperitur in tumulis.*

Marc. 5.

D. Pet. Chrys. Sermo.17.

Diabolus mortis memoria humiliator.

CAPVT III.

Quod mors sit peccatorum refugium; quoniam quem magis perditum inuenit, à perditione reuocat.



INTER plura beneficia, quibus Regius Vates à Deo se cumulatum fuisse, gratus, recenset: illud non infimo loco ponit, quod videlicet in ipso mortis ostio iam constitutus, Dei miserantis auxilio fuerit liberatus. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Notandum tamen est, quod non solum in portis mortis liberatum se dicat, sed insuper exaltatum profiteatur: atque adeo ibi, non fauorem tantum, sed exaltationem fuit consecutus. Vndenam hæc felicitas accidit? Portò David, iuxta Arnobij expositionem, de statu culpæ loquitur, propter quam animæ mortem incurrerat, & a qua, auxiliante Deo, fuit reuocatus. *Exaltat me*, inquit, *de portis mortis, tollens cor meum à concupiscentijs carnis, vt exultem in salute tua.* Ergo cum veniam accipit delictorum, exaltari se dicit: quare igitur non ait, condonasti peccatum, sed exaltasti. Quomodo in loco, vbi ceciderat, veniam pariter, & exaltationem inuenit? Quid habet exaltatio cum delicti venia commune? Per multum equidem, vt iam ostendo. David peccata aliquot commiserat, propter quæ mortuam animam præferebat; & quandiu carnalibus illecebris irretitus perseuerabat, status sui ignarus, mortis memoriam abiecerat; Verum Deus peccatorem miseratus, vt à culpæ statu extraheret, mortem oculis obiecit, quo factum, vt se ipsum agnosceret, veniam postularet, & consequeretur. Cum ergo

Psal. 9.

Arnob. in Psal. 9.

Remissio culpæ exaltat.

Da-

Dauid omnem hanc felicitatem ex mortis memoria sibi prouenisse recognosceret, quamquam Dei misericordia ipsum liberasset, in portis mortis liberatum se, ac exaltatum profitetur. Nam, cum antea perditus esset, vbi primum mortis limen tetigit, ad vitam fuit reuocatus, & ex perditionis via ad salutis semitam rediuit. Quapropter meritò dicit: *Exaltat me deportis mortis, tollens cor meum à concupiscentijs carnis, vt exultem in salute tua*.

Salus cuidam cæco à natiuitate mirabiliter à Christo reddita propositam doctrinam mirifice illustrat. Ergo Christus cæcum sanaturus, *Expuit in terram, fecit lutum ex sputo, & liniuit super oculos eius*. Nouum medicandi genus: lutum ad excæcandos oculos potius, quam ad illuminandos, accommodatum videtur: quare igitur illud adhibet ex sputo subactum? Respondet D. Thomas: *Lutum autem facit ex sputo, vt ostendat, se membra homini deficientia posse formare, qui formauerat totum primum hominem: Vnde, sicut primum hominem de luto formauit, ita lutum fecit, vt formaret oculos cæci nati*. Ita ille: at dices; quid cæco est cum Adamo, vt propterea quod Adamus de luto formatus extiterit, cæcus luto visum recipiat? Respondeo: cæcus iste Adamum figurabat, quando ob culpam gratiæ lumine priuatus erat. Cum vero Deus amissum lumen Adamo restituit, puluerem adhibuit, & mortis memoriam iniecit, dicens: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Pari modo, cæcus, primi hominis figura cum sit, iure optimo sanitatem ex luto recipit, & sicut antea Adam perditus, mortis memoria restituitur, sic etiam nunc perditum oculorum lumen, apposito luto, in quo est mortis memoria, cæco restituitur. Iterum D. Thomas: *Vnde sicut primum hominem de luto formauit, ita lutum fecit, vt formaret oculos cæci nati*.

Ioann. 9.

D. Tho. in Ioann. c. 9.

Luti nititio cęcitatem aufert.

Gen. 3.

Ficulneæ parabolam refero, ex cuius narratione res eadem confirmatur. Ergo Christus Dominus, apud Lucam cap. 13. ita loquitur: *Arborem fici plantatam habebat quidam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit dixit autem ad cultorem vineæ. Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: Succide ergo illam*. Audita cultor vineæ huiusmodi sententia Dominum conuenit, dicens: *Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum*. Quo nam vritur remedio, vt frugiferam reddat? Fossam aperit. Deus bone, inquit Theodoretus, Quid virtutis habet fossa, vt ficulneam tot iam annis sterilem renouet, ac frugiferam reddat? Multum equidem, si ficulneæ significatum perpendamus. Nam vt ait. *Quisque nostrum ficus est in vinea Dei, hoc est, in Ecclesia, vel in hoc mundo plantata*. Hic autem mortis obliti viuentes, bonorum operum fructus minime ferimus, sed steriles terram occupamus. Abscindendi ergo statim sumus, & in ignem mittendi? absit, non patitur hoc Dei misericordia, sed pęnitentiam expectat, Quid remedij, vt fructus illius dignos faciamus? aperienda fossa est, sepultura oculis obijcienda, mors in memoriam reuocanda, quia hæc est peccatorum refugium, ad quod, vbi primum quiuis, licet perditus, accedit, statim restituitur, & ex sterili, ac infœcundo, fertilis, & fructibus abundans redonatur. *Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum*.

Luc. 13.

Mortis memoria animę sterilitatem curat.

Theodor. in Luc. 13.

Facit etiam ad hoc institutum illa sponsi ad sponsam adhortatio. *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres: Egredere, & abi post vestigia gregum tuorum*. Miraberis, cur sponsus animæ suadeat, vt gregum terat vestigia, & non potius se ipsum sequatur; siquidem Christus Dominus sequelam suam, ad vitæ perfectionem tendentibus suadebat, dicens: *Sequatur me*. Verum doctus quidam Neotericus tantundem existimat valere quod dixerit: abi post vestigia gregum tuorum, ac si diceret, vt se sequeretur. *Dicendo*, inquit, *abi post vestigia gregum, implicitè, & sua ipsa propofuit vestigia, ac si dixisset: Abi post vestigia mea*. Cæterum: quomodo fieri potest, vt eadem sit gregis, & pastoris sequela, tantumdemque valeat

Cant. 1.

Matth. 16.

Mich. Gisl. in cant. c. 1 ver. 8. ex p. 3.

gre-

gregem, ac Christum sequi; etenim, qui Christum sequitur, ad perfectionem tendit, qui post gregem abit, puluere conspergitur, & fordidatur. Magna ergo est inter vtrumque disparitas; vnde vnum pro altero accipi non potest. Verum expendamus, quid sponsus monet, & rem acu tangere fas erit; quid ille. *Si ignoras te?* hoc est, si tui cognitionem non habes, vt mea teras vestigia, statum hunc, in quo per culpam posita es, desere, post gregem abi: sublatus enim puluis in oculos impinget, mortis memoria afficiet, illuminabitque: vnde fiet, quod cum ad hoc refugium perueneris, ab statu perditionis, ad statum perfectionis transmutaberis, & gregis sequela, pro dispositione deseruiet, vt mea vestigia sequaris; quinimò tantundem erit, vt gregem sequaris, ac si meipsum sequereris; ea namque mortis memoriæ præstantia, vt perditum quemque, à perditione reuocet, atque ad statum perfectionis feliciter reportet. *Dicendo Abi post vestigia gregum, & implicite sua ipsa proposuit vestigia, ac si dixisset. Abi post vestigia mea.*

Mortis memoria à statu perditionis reuocat.

Auream D. Bonauenturæ clauem immitto. Peccanti Adamo mirum est, quanta celeritate Deus occurrerit, & pro folijs ficus, quibus se operuerat, pelles animalium contulerit. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Quid nam sibi vult, quærit S. Bonauentura, hoc indumenti genus? Cur homo rationalis animalium ratione carentium pellibus vestitur, cum Deo materia non deesset, ex qua vestimenta conficere posset. Congruè tamen hoc fecit, vt hoc habitu indutus homo, illum quem in paradiso amiserat lucraretur. *Non scilicet abs re, nudum Deus vestiuit hominem tunicis pelliceis, vt iam cum homo esse desijt, fieret ouis, veniens in vestimentis ouium; quibus instrueretur, qualis postbac esse deberet, qui quod fuerat conditus, præfixos fines transiliens, infelix perdidit.* Hæc ille. In quibus expendenda sunt verba. *Quibus instrueretur, qualis postbac esse deberet.* Vbi dubium mihi insurgit. Nam si iustitia præditus originali, Adam in paradiso non perseuerauit, sed ibi gratiam amisit: quomodo pellitus, & orbi datus, se ipsum conseruabit? An virtus aliqua potentior in pellibus inerat, quæ ipsum sustentaret? Prorsus inerat. Sed quænam illa? Mortis memoria, quam Eua abijciens, oculos in arborem extulit, fructum vidit, concupiuit, comedit, & per mortis obliuionem, inobediens euasit. Rectè igitur Deus videns quod deficiente mortis memoria, hominis casus accidit; vt eum deinceps contra diaboli insidias, ac tentamenta inexpugnabilem efficeret, mortuorum animalium pellibus circumdedit, quæ mortem in memoriam reuocabant, vt peroptimè Seraphicus doctor. *Eam ob rem, ait, indutus est à Deo Adam pellibus, quæ nisi a mortuis animalibus non detrahuntur, ut morte se dispiceret circundatum, atque uestitum, qui stolam exuerat inmortalitatis.* Tam potens namque est huiusmodi memoria, vt quemcumque occupauerit, licet perditum inueniat, illicò lucratur, & restituit. Ideoque: *Non scilicet abs re, nudum Deus uestiuit hominem tunicis pelliceis; viam cum homo esse desijt, fieret ouis, ueniens in uestimentis ouium, quibus instrueretur, qualis post hac esse deberet, qui quod fuerat conditus, præfixos fines transiliens, infelix perdidit.*

Gen. 3.

S. Bonau. Dom. 2. post Pasca. s. 7.

Ex mortis obliuione sum mum malum originale habuit.

D. Bonau. vbi sup. ser. 2.



CAPVT IV.

Quod dum mortis memoria in anima seminantur, gloriæ fructus colliguntur. Tantum namq; gloriæ proximiores reddimur, quantum mortis memoriam retinemus.



LACHRYMAS inter, & suspiria, ante Christi Sepulchrum, Magdalis ipsum spectandi desiderio flagrans, consistebat, vt Ioannes cap. 20. refert. *Maria autem stabat ad monumen-*

Ioann. 20.

mentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos. Quo loco monet D. Antonius de Padua. Nonne vides, quod duos Angelos viderit in sepulchro? Miror locum: quid faciunt in monumento Angeli, quos in cælo creatos esse cognouimus? quid horrorem tumuli quærunt, qui loca omnia, vbi sunt gloria replent? Ideo sanè ibi se tenent, quia mortis memoria viuacior ibidem perseuerat, ibi Magdalenæ oculis sese gloriosus objiciunt; quia illa mærens, ac lugens, mortuum quærebat. Auscultanda est Antonij lingua, disertè eleganterque locuta. *Nota singula verba. Monumentum dictum, eo quod mentem moneat, ad recordationem scilicet defuncti, nostræ mortis memoriam, & Ecclesiasticæ sepulturæ recordationem significat. Maria ergo stabat ad monumentum, quia humilis, ad memoriam mortis suæ stat sollicitus, vt cum venerit Dominus, ipsum inueniat vigilantem.* Hæc ille: miror tamen, quod cum inter mortis recordationem, grauior ob rem amatam dolor, desideriumque existat, Antonius gloriam ibi certiorem esse, ob Angelorum præsentiam asseueret. Cessat tamen admiratio, quippe cum monumentum mortis memorias in anima seminet, inde fructus gloriæ enascuntur. Vt ergo veritatem hanc Christianus agnoscat, vix Magdalis sepulchrum tangit, & monumento propinquat, cum Angelos videt, ac dum mortuum ibi quærit: *Inclinauit se, & prospexit in monumentum,* duos Angelos gloria conspicuos intuetur, *Et vidit duos Angelos.* Tantum namque gloriæ appropinquamus, quantum in mortis memoria detinemur.

D. Anto. Pa. serm. in die Pasch.

Monumentū monet mentem.

Mortis memoria, gloriæ seminarium.

Vt autem ab hoc sepulchro non recedamus, locum vbi erat extructum contemplari lubet. *Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum.* Quis non miretur locorum huiusmodi copulam. In horto ludit ver, solum floribus stellatum luxuriat, lymphæ, crispanti cursu, fugientes obmurmurant, & vitreis compedibus arborum pedes circundant. Areolæ, & puluini virescunt, rubent, candicant, purpurascunt sepulchrum fœtore, verminibus, putredine scaturit, cadaueribus horret, & mortis imaginibus perterret. At quia hortus Terram promissionis significat, in qua cælestis gloria figuratur: vt super Ezechielem 36. *Terra illa inculta, facta est, vt hortus voluptatis:* Ait Hector Pinto. *Hoc est, terra promissionis:* dum ibi monumentum constituitur, perinde fuit, ac si nos admoneret, quod ad percipiendos gloriæ fructus, necesse erat, vt mortis memoriæ, quas monumentum offert, in anima seminentur. *Monumentum dictum, eo quod mentem moneat, ad recordationem scilicet defuncti, nostræ mortis memoriam, & Ecclesiastica sepultura recordationem significat.* Et subinde manifestat, tanto nos gloriæ proximiores effici, quanto in mortis memoria versamur.

Ioann. 19.

Hortus descriptio.

Terra promissionis gloriæ Typus.

D. Ant. Pad. ser. in die Pas.

Nouam adhibeo probationem, ex qua assumptum amplius illustrabitur. Videns olim Moyses, quantum gratia apud Deum valeret, vt suam illi faciem ostenderet instanter obsecrauit. Verum Deus seruo faciem intueri postulanti, posteriora ostensurum pollicitus est, quia faciem videre nulli viuentium concedebatur. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Ergo, si rectè perpendimus, Moysis petitio suo fraudatur effectu; neque enim quod postulauit eo modo conceditur: Ille enim gloriam postulauerat, & Deus per posteriora sua illum conspectutum spondet; quia per diuinam faciem mortalibus hoc non licet. Cæterum vtraque hæc gloria similis est: tamque difficile in vita præsenti vnam, quam alteram intueri; quare ergo Deus, vt Moysis petitioni annuat, difficultatem vicit, vt gloriam pet posteriora ostenderet, quam vincere tenuit, vt gloriam in facie ostenderet? Ratio est, quia posteriora Dei, ipsius humanitatem significat, quam in incarnatione assumpsit, vt pro hominibus moreretur. Ita censuit Glossa Angelica, cuius est illud. *Videbis posteriora mea, idest incarnationem scilicet credes.* At vero hæc posteriora crucem portauerunt, in qua Deus mortem sustinuit. Dum ergo Deus gloriam per posteriora, Moysi conspiciendam offert, perin-

Exo. 33.

Glos. Ang. ibi.

Nota, & speculare.

de

de fuit, acsi diceret, ibi mortis memoriam viuam permanere, quam prius in anima seminare oporter, si gloriæ fructus percipere desideramus. Itaque dum mortis memoriam in cruce, & posterioribus præmisit, quod impossibile erat, facillimum reddidit; videlicet, quod Moyses oculorum visione, gloriæ fructibus potiretur. *Videbis posteriora mea, idest incarnationem scilicet credes.*

Videor mihi in illis spicarum manipulis, quos olim somniauit Ioseph, rem hanc non obscure delineatam intueri: Quid ille? *Putabam*, ait ad fratres, *nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circunstantes adorare manipulum meum*. Theodoretus somnij huius interpretationem ad gloriam retulit, quam Ioseph in Ægypto fuit consecutus, vbi fratres adorationis, & reuerentiæ cultum ipsi exhibuerunt. *Manipulorum*, inquit, *somnium præsignat fratrum, frumenti gratia, in Aegypto descendentiũ adorationẽ*. Ita ille, nec abnuo: sed inquiro, qua de causa huiusmodi gloriam, non in spicis, quando terræ hærent, eiusque humorem participant, expressit, sed in manipulis, quando iam falce fuerunt abscissi: vt in aceruum congregentur? Facilis responsio est, si quid falx significet, advertamus. Porrò in falce, securis illa, qua mors nos demetit, & vitæ filum abscindit, repræsentatur. Perbellè igitur Ioseph, gloriam in somnijs conspectus, non in manipulis terræ hærentibus, sed falce iam abscissis, intuetur, quia ibi mortis imago se offert, illiusque memoria perseuerat, vt hac ratione discat, ad percipiendos gloriæ fructus necesse esse, vt mortis memoriã prius in anima seminetur, quod manipuli falce recisi significabant. Tunc enim propius ad gloriam accedimus, cum mortis memoriam retinemus.

Gen. 37.

Theod. ibi.

Gloria mundi somnus.

Christum Dominum conuenerat olim Iacobi, & Ioannis Mater, & primas regni sui cathedras pro filijs postulauit, verum Dominus Iesus, posthabita consanguinitatis ratione, in qua forsan Mater fidebat, ipsius petitionem acri responsione repulit, dicens: *Nescitis, quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quid ais Domine Iesu? isti gloriam postulant, primas in Regno sedes ambiunt, & tu crucem, passionemque obijcis? Non videtur apta huiusmodi responsio: nihil enim passio, & regni sedes videntur habere commune, vt petentibus illis sedes, calicem offeras passionis. Deinde, in quonam huiusmodi fratrum error stetit? nusquam enim certius in scopum videntur collimasse, quam dum gloriam postulant, ad cuius fruitionem, innato desiderio, impellimur. Quare nescios compellas, qui huiusmodi appetitu impulsi, ad beatitudinem anhelant? Respondet S. Chrisostomus: non petitionem, sed tempus ipsius minime aptum damnari. *Dicit ergo: potestis bibere calicem, ac si dicat: vos mihi de honore, & coronis loquimini, ego autem vobis de agonibus, & sudoribus; non enim hoc est præmiorum tempus*. Peregregia est oris aurei responsio: verum difficultatem non exhaurit: Non ne Christus ille est, ad quem attinet regni cælestis sedes, & mansiones, pro singulorum meritis, dispertiri? vt apud Lucam testatur, dicens. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, Regnum*. Cur ergo ad ipsum accedentibus, & Regni sedilia postulantibus respondet, petitionem non esse oportunam? Est ne tempus quod ad rogandum Deum non sit oportunum? minime quidem. Cur ergo fratrum huiusmodi petitionem, velut intempestiuam repellit? Huic interrogationi alia interrogatione respondeo. Quid isti petunt? gloriam: Quid respondet Christus? calicem, hoc est mortem offert; dum ergo petitionem, vt intempestiuam damnat; perinde fuit, ac si diceret: quod ad percipiendos gloriæ fructus, quos ambiunt, necesse est, vt mortis memoriam in anima prius seminent, & ideo calicem proponit, in quo mortis memoria exprimitur. Qui enim, mortis memoria destitutus gloriam ambit, egregiè fallitur, & extra tempus postulat. Propterea que talis petitio, sicut duorum fratrum, tanquam intempestiua repudiabitur. *Vos mihi de honore, & coronis loquimini, ego autem vobis de agonibus,*

Matth. 20.

D. Ioan. Chr. hom. 66.

Luc. 22.

Petitio gloriæ hic fe... per intempestiua...

nibus, & sudoribus. Quo monito erudiuntur, tanto propius ad gloriam accessuros, quanto firmius mortis memoriam conseruauerint.

Vltimam adhibeo manum, & lumina quædam appingo, quibus tradita doctrina illustrior euadet. Noctu, & inter somniandum apparuit Deus Salomoni, cui post alia, sic est locutus. *Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam*. Summoperè ambigo, quæ nam isthæc sit gloria, quam Salomoni dedisse perhibet? Nam si in rigore loquamur, sola cælestis hoc nomine vocanda est; quod si hæc promittitur: cur in hac vita donandam affirmat, cum in sola futura obtineatur? Abulensis in hunc modum quæstioni respondet: sicut in beatitudine, nulla viget necessitas: sic in vita præsenti, si quisquam sit ita diuitijs affluens, & honoribus cumulatus, vt nullius egeat, quodam beatitudinis statu, in hac vita frui videtur; & ideo Deus Salomoni gloriam daturum dicit, quia ita diuitem, honoratumque efficiet, vt nulla necessitate laboret, & omnes Reges anteactos gloria, splendoreque exuperet. *Dedi tibi diuitias scilicet, & gloriam: idest faciam, quod nullus fuerit æqualis tibi in diuitijs, & honore inter omnes Reges, qui præterierunt*. Ita ille: verum, quoniam huius gloriæ concessio, Salomone non petente, sed ex Dei voluntate processit: quare noctu, & somnianti id fecit? non ne satius esset vigilanti? Quis enim somnijs credet? & gloriam somno concessam, non dixerit gloriam somniatam. Cæterum, Deus prouidit, vt gloriam inter somniandum concederet, quia somnus mortis quædam imago est, vt ergo nos doceret, tantum gloriæ proximiores fieri, quantum mortis memoria afficimur, gloriam in somno concessit, in quo mortis memoria exprimebatur. Licet enim illa gloria præsentis vitæ tantum esset, quia tamen futuræ similitudinem referebat, congruum fuit, vt illam in somno acciperet, quasi fructum ex mortis memoria pullulantem, quem in anima seminauerat. *Apparuit per somnium nocte. Dedi tibi diuitias scilicet, & gloriam, idest faciam, quod nullus fuerit æqualis tibi in diuitijs, & honore, inter omnes Reges qui præterierunt*.

3. Reg. 3.

Sola cælestis gloria dicenda.

Abul. ibidem quæst. 11.

Tantum gloriæ, quisquis habet, quantum mortis memoriæ.



CAPVT V.

Quod nobilis adeo sit mors; vt nulla videatur firma nobilitas, quo vsque ipsius memoria comprobetur.



PEREGRINANTI Abrahamo duo satis molesta acciderunt. Nam serui Pharaonis, Saræ pulchritudine illecti, illam a marito abstulerũt vt ad Pharaonem deferrent. *Sublata est mulier in domum Pharaonis*. Deinde in Ciuitate Arbee in terra Canaham, mortua est Sara, vt Genesis 23. scribitur. *Vixit autem Sara centum viginti septem annis, & mortua est in Ciuitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Canaham*. Longe grauior censenda est huiusmodi calamitas, quam prima, quia apud extraneos dilectæ sibi coniugis societatem amisit. Verum hic honorem ab incolis accepit, qualem ex domo Pharaonis non obtinuit: Etenim, vt mortuam peregrini vxorem sepelirēt, ab operibus abstinuerunt; vt testatur Lyranus. *Omnes enim*, inquit, *de ciuitate ab operibus suis cessauerant, vt sepulturæ Saræ debitum honorem impenderent*. Quod si tumulum respicio, consideratione non caret, quod cùm ager ille melior esset, & pluris æstimaretur, gratis datum inuenio. *Ille ager*, ait Lyra, *erat carior cæteris in extremitatibus positus, & per consequens melior, & securior*. Nihilominus datum pro agro pretium redditur. *Agrum trado tibi, & speluncam, quæ in eo est, idest nolo tibi vendere, sed gratis concedere*. Porrò quid causæ est, vt ignoto homini, & peregrino tantus honor ab incolis ciuitatis impendatur? Quid in eo inspexerunt, vt sic honorificè, liberaliterque exci-

Gen. 12.

Gen. 23.

Lyr. ibi.

perent? Abulensis aliquæ nobilitatis signa in eo vidisse existimat, propter quæ reuerenter habuerunt, & ad sedendum antequam loqueretur inuitarunt. *Et licet*, inquit, *Abraham quia petebat, non sedere, sed stare debebat: tamen populus terræ ex magna reuerentia, fecit sedere Abraham.* Cæterum etiam apud Pharaonem inuenio Abrahamum fuisse honoratum. *Abraham vero bene vti sunt propter illam*; hoc est Saram, quæ viri sororem se dixerat; amplior tamen honor ipsi exhibetur, cum mortua esset vxor, quam dum viueret apud Pharaonem, quid hic minus meruit, aut quid plus alibi in eo inspexerunt, vt magis honorarent. Porrò ex mortis memoria totum prouenisse coniector. Apud Pharaonem, nulla mortis recordatio Abrahami mentem pulsauit, quin potius vitæ studiosus exprem suasit, vt se viri sororem fateretur. *Dic ergo, obsecro, quod soror mea sis, vt bene mihi sit propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui*: Longe aliter apud Canaham accidit, quia Abraham sepulchro intentus de morte agit, de morte cogitat, nec vxori tantum, sed sibi sepulturam emit. Cum autem nobilis adeo sit mors, vt nulla nobilitas probata videatur, quousque ipsius memoria conformetur. Perbellè apud Pharaonem non sic honoratur Abraham, vbi mortis memoria deerat, sicut apud Canaham, vbi in mortis recordatione versabatur. *Et licet Abraham quia petebat, non sedere, sed stare debebat; tamen populus terræ, ex magna reuerentia, fecit sedere Abraham*.

Abul. ibi.

Gen. 12.

Nobilitas mortis memoria probatur.

Ter in Regem vnctus est Dauid, vt notauit Lyra: semel in domo paterna. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius*. Iterum in Hebron. *Venerunt viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda*. Tertio super omnes filios Israel. *Vnxeruntque Dauid in Regem super Israel*. *Ter*, inquit Lyra, *fuit inunctus, primo in domo Patris, secundo in Hebron super tribum Iuda, tertio super totum Israel*. Porrò Theodoretus duas ex prædictis vnctionibus superuacaneas arbitratur. Quia si in prima vnctione, Regiam adeptus fuerat dignitatem. *Quam ob rem fuit Dauid ter vnctus?* Quærit ille, & respondet, vnicam tantum fuisse vnctionem; aliæ vero, quæ vnctiones dicuntur, populi electiones dicendæ sunt. *Per Samuelem Regiam adeptus est vnctionem, populi autem electiones historia appellat vnctiones*. Cæterum, in quanã ex his plures subditos habuit Dauid? plane in tertia, quia ibi totum habuit Israel, vt paulo ante retulimus. Adhuc tamen quæro, si in prima vnctione dominatum Israelis fuit consecutus: quare non statim toto subditorum numero honoratur; Sed honor iste in tertiam vnctionem differtur? Cum in ipso primæ vnctionis puncto, Dauid dignitas eadem fuerit. Facilis responsio est, si harum vnctionum circunstantias expendamus. Porrò quid agebat Dauid cum primò fuit inunctus? Musicæ studio vacabat, & vt psalleret adductus est ad Saul. *Venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo*. Cum verò in Hebron vnctus est; Saulis funus, & Ionathæ non sine lachrymarum profluuio celebrabat. *Planxit autem Dauid planctu huiuscemodi super Saul, & super Ionatham filium eius*: Et quia nulla est firma nobilitas, antequam mortis recordatione confirmetur: iure optimo in Hebron Dauid amplius honoratur, & maior ipsi subditorum numerus accrescit, quam cum primo fuerit inunctus, quia ibi mortis erat oblitus; in Hebron autem Saulis funus curabat, & mortem memoria repetebat. Quod quidem (si Procopio fides adhibenda est) populum excitauit, vt de nouo in Regem eligerent. *Iterum pro suffragijs eum reliquæ etiam tribus eligunt*. Gradatim ergo in his vnctionibus incidunt: primam excedit secunda: quia in hac Dauid de morte cogitans, viris Iabes Galaad grates agit, eo quod Saulem sepulchro honorauerint. *Consequenter*, ait ibi Lira, *ostenditur gratitudo ipsius Dauid, erga viros Iabes Galaad de sepultura Saulis, & filiorum eius*: Et ideo pro paterna domo tota Iudæ Tribus: Cum circunstat, secundam superat, Tertia vnctio, in qua non vna solum Tribus, sed vniuersus Israel in Regis electionem conspirat. Tertiò super totum

1. Reg. 16.
2. Reg. 2.
2. Reg. 5.
Lyr. in hunc locum.

Theod. q. 13.
1. Reg. 16.
2. Reg. 1.

Mortis recordatione firmantur Regna.

Procop. in Glosa.

Lyr. ibi.

po-

populorum Israel, quia hic iam mortis memoria duplicatur: cum autem statuerimus, nullam esse firmam nobilitatem, nisi mortis recordatione firmetur; meritò vbi crescit, & duplicatur hæc recordatio, nobilitatis qualitas augetur, & cum antea Dauid super vnam Tribum vngeretur, mane a toto populo Rex inauguratur. *Iterum pro suffragijs cum reliqua etiam Tribus eligunt.*

En vidimus, qua ratione nobilitas mortis recordatione accreuerit, quomodo Abraham, & Dauid æque nobiles, & honore digni, amplius tamen fuerint honorati, mortis memoria ad honorem suffragante: mox videamus, quo pacto, etiam Iesu filij Abraham, & Dauid nobilitas, ab eadem mortis memoria, maioris qualitatis gradum fuerit mutuata. *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Notanda sunt in hanc rem Iudæ proditoris verba, quibus cum iudæis de venditione paciscebatur dicens: *Quid mihi vultis dare, & ego eum vobis tradam?* Præposterus videtur iste dicendi modus: qui enim emunt a venditoribus quærunt, quanti volunt rem vendere; hic autem, qui vendere destinat, prætium arbitrio ementium committit; ex contemptu Magistri hoc fecit, quasi tam vilis ipsi foret, vt pro re leuissima venderet. *Nec certam*, ait D. Hieronymus, *tamen postulat summam, vt saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi vile tradens mancipium in potestate ementium posuit, quantum vellent dare.* Completa fuit tandem venditio, cuius cum proditorem pœnituerit, sacerdotum principes adijt, & Christi innocentiam confessus, prætium venditionis restituit. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui tradens sanguinem Iustum.* Porrò Iudas scrupli vi compulsus, & Christi professus est innocentiam, & pecuniam restituit, cui sacerdotum Principes responderunt. *Quid ad nos?* Quasi dicant (commentatur, S. Remigius) *Quid ad nos pertinet? si iustus est, tu videris, idest opus tuum, quale sit, manifestabitur.* Ita ille, & postea quasi illudentes

Mortis memoria, & Christo maiorem nobilitatem comparauit.

Matth. 1.

Matth. 26.

D. Hieron. super quod Vult. ca.

Matth. 27.

S. Remig. ibi in cat. aur.

addiderunt. *Cuius æstimationis deputaris apud nos, quia eum, quem tradidisti, iustum confiteris?* Quasi dicant: qualem te vis reputemus, eo quod nunc culpam agnoscere videaris, illius innocentiam professus, quem vendidisti: rectè ne, an iniustè egeris, modo non discutimus: *Opus tuum, quale sit, manifestabitur.*

Nunc expendendum est quod de venditione agens, quasi vilis esset, de prætio parum curare visus est, vt dixit Hieronymus. *Quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent dare.* At vero post venditum, Religione tangitur, venditi innocentiam, & dignitatem agnoscit, & peccatum confitetur, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum. Nonne Christus, & ante venditionem, & post illam eiusdem erat dignitatis? planè erat: quare ergo, dum venderet, vilem post venditum magnæ æstimationis reputat, & ipsius innocentiam profitetur? Dicam; cum de venditione egit, Christum cum discipulis conuiuantem contemplatur: Cum vero pecuniam restituit, & iustitiam prædicat, morte adiudicatum videt. Et verò mortis memoria adeo potens est, vt nulla sit nobilitas æstimanda, quæ per ipsam non comprobetur. Iure optimo anteqnam hæc accederet, Iudas, quasi vilem reputans Præceptorem, de pretio non paciscitur, quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit: quantum vellent dare. Sed cum mors accessit, & proditor vidit, quod damnatus esset, quasi mortis memoria qualitatem nobilitantem addidisset; iam prętiosum æstimat, iam innocentiam profitetur, quam antea non agnouerat; & ideo pecuniam proijcit: quasi dicens, eum, quem vendiderat, adeo magnum esse, vt nullo prætio æstimari possit. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Ita nobilis est mortis memoria, vt nulla videatur firma nobilitas, quousque ipsius approbatione confirmetur.

Nulla nobilitas, quæ mortis memoria non comprobatur.

Pergo vlterius: & Christi honores, ipsi absque mortis recordatione impensos, commemoro. Veniunt ab Oriente Magi, Hierosolymam ingrediuntur, & Regem recens natum inclamant, dicentes: *Vbi est, qui natus*

Matth. 2.

est Rex Iudæorum? Ecce tibi ex vrbe egressi ad præsepe accedunt, infantem adorant, munera tanquam Regi afferunt, non tamen Regem, sed puerum se inuenisse testantur. *Inuenerunt puerum.* Erat ne Rex infans ille, quem in præsepio inuenerunt? Erat, & in illa humilitate, vbi nec maiestas, nec potentia, & magnitudo nati infantis adorationem extorsit, Regem profitentur, vt egregiè expendit S. Augustinus. *Neque enim, ait, ætas erat, cui adulatio humana seruiret, non de membris purpura, non in capite diadema fulgebat; non pompa famulantium, non terror exercitus, non gloriosa fama præliorum, hos ad eum viros, ex remotis terris, cum tanto voto supplicationis attraxerunt. Iacebat in præsepio puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate: sed magnum aliquod latebat, in paruo quod illi homines primitiæ gentium, non terra portante, sed cælo narrante, didicerant.* Hæc ille.

S. Aug. Ser. 2. de Epiph. t. 10

Christi nati descriptio.

At verò instante passionis tempore, cum Pilatus mortis sententiam pronuntiauit, Regis nomen pro causa mortis accepit, & supra caput crucifixi suspendi iubet. *Et imposuerunt supra caput eius causam ipsius scriptam. Hic est Iesus Rex Iudæorum:* Quod cum vidissent iudæi, titulum hunc auferri, Pilatum instanter rogauerunt, quibus ille respondit. *Quod scripsi scripsi.* Rogabis modo: quid causæ est, vt Pilatus Christi innocentiam agnoscens, attamen, vt placeret Iudæis morti adiudicauit, & tamen titulum non deleuit, quem Iudæi delendum postulant, sed constanter eorum postulata reijciens, dicebat: *Quod scripsi scripsi?* Respondet Chrysostomus, aliter fieri non posse, quia titulum illum stabilem fore Prophetarum oracula prædixerant. *Ante in Psalmorum libris Prophetatum est, ne corrumpas tituli inscriptionem. Sed quid loquimini insani Pontifices? Nunquid enim propterea non erit verum, quia Iesus ait, Rex sum Iudæorum? Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest, quod veritas dixit? Ideo enim Pilatus, quod scripsit scripsit, quia Dominus, quod dixit dixit.* Ergo quod Pilatus titulum Regis non mutet, diuina est dispositio: Cur autem eadem non seruatur, dum Magi adoraturi accedunt? Num modo Regem, modo puerum dicunt; cùm tamen ibi Rex esset? Cur Regius titulus non ita firmiter in præsepio, sicut in cruce stabilitur? In promptu causa est: in Præsepio nulla est mortis memoria; sed natiuitatis gaudium, & ideo titulus quasi non ita firmus, & stabilis variatur: Modo dicunt, vbi est qui natus est Rex Iudæorum? modo dicitur: *Et intrantes Domum inuenerunt puerum:* Non Regem; cum vero Pilatus titulum posuit, ad fuit mors ipsa, cuius memoria omnem nobilitatem illustrat, ita vt nulla sit stabilis nobilitas, quam ipsa non confirmat; & ideo, quamquam Iudæi instarent, & titulum a cruce auferendum postularent, a Pilato obtinere non potuerunt. Rabani sententiam produco. *Regis quoque dignitatem titulus prætendit, qui non infra, sed supra crucem ponitur, quia licet in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, super crucem tamen Regis maiestas fulgebat, quam per crucem non perdidit, sed potius confirmauit.* Ita ille: vbi vides, quod in cruce, quæ erat ignominiæ sedes, iuxta illud: *Maledictus a Deo est, qui pendet in ligno:* Regia Christi maiestas amplius radiabat, & ex cruce suam firmitatem mutuabatur. Quia crux est mortis locus, cuius memoria nobilitas stabilitur; & ideo, vbi Regis titulus crucem tetigit, ita stabilis factus est, vt mutare non potuerit. Crux enim illa, vbi mortis vigebat memoria, Regiam Christi maiestatem in titulo fulgurantem non perdidit, sed confirmauit, vt ex Rabano retulimus, cui addo Remigium. *Nec etiam, inquit, occidendo facere potuerunt, vt eum Regem non haberent: per mortis enim patibulum non amisit imperium, sed potius corroborauit.* Tantum ergo abfuit, vt Christo nobilitas, & magnitudo minueretur a morte, quam in cruce sustinuit, vt potius ibi clarius radiauerit, & ob mortis prærogatiuam, firmior euaserit: quia hæc est mortis nobilitas, vt nulla alia videatur stabilis, firmaque nobilitas, & magnitudo, quousque a mortis memoria firmitatem accipiat.

Matth. 27.

Ioann. 19.

S. Ioan. Chrys. hom. 84.

Titulus mortis Regiam gloriam antecellit.

S. Raba. super Iesu. Naz.

Deut. 21.

S. Remig. in cat. aur.

Per mortem corroborantur imperia.

Vi-

Apoc. 19.

Vidit olim Ioannes Christum veste indutum, in qua inscriptio quædam visebatur. *Et habebat in vestimento, in fœmore suo scriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium*: Cæterum vestis hæc Regio titulo distincta, & aureis litteris elaborata, sanguinis erat maculis respersa: *Et vestitus erat veste aspersa sanguine*. Ita quod inter litteras Regium nomen præferentes sanguis aspersus purpuraret. Nouum certè vestimenti genus. Ad quid Regium titulum sanguine miscet? Cur litteras maculis sanguinis interserit. Si Regiam ostentare cupit amplitudinem, à maculis abstineat. Non benè videntur conuenire titulus Regius, & vestis sanguine respersa: vel deleat titulum, vel sanguinem abluat. Pulchra nihilominus est tituli, & sanguinis commixtio. Quid enim vestis illa nisi sanctissimam Christi humanitatem designat? Ita Andreas Cretensis. *Per vestimentum sanctissima, & immaculata Christi caro designatur. Hac enim in morte, sponteque suscepta passione, sanguine illius tincta fuit*. In quo mortis ipsius memoria elucet. Cum ergo nulla sit firma nobilitas, quousque mortis memoria stabiliatur: Iurè optimo Christus, qui id in terra experimento cognouerat, cum nobilitatis suæ ostentationem facere in cælo conatur, & Regium titulum in veste depingit. *Rex Regum, & Dominus dominantium*. Vestem ipsam sanguine respergit, qui mortis suæ, & passionis memoriam repetit. Qua memoria Christi nobilitas stabilitur: atque adeo non in terra solum, sed etiam in cælo mortis memoria profuit, vt vbique appareret; nobilitatem moriendo non amisisse, sed potius confirmasse. *Per mortis enim patibulum non amisit imperium, sed potius corroborauit*.

Regius titulus sanguine miscetur, ad denotandum quam funesta sit regia dignitas.

Andr. Cretens. ibi.

Christi nobilitas mortis signo stabilitur.



CAPVT VI.

Quod cum mors, pœnis suis, gloriæ quam maximè opponatur: nulla videtur gloriæ securitas haberi, vbi certa mors non interuenit.



DICENDI initium a gloriosa Christi transfiguratione faciamus: Cum enim discipulos tres in montem duceret, in quo se transfiguratum ostendit, & gloriæ repræsentationem exhibuit, cuius dulcedine captus Petrus in monte cupiebat immorari, tabernaculaque ibidem mansuris ædificari proponebat, dicens. *Bonum est, nos hic esse: si vis faciamus hic tria Tabernacula*. Inter hæc tamen, tam ipse, quam alij duo somno opprimuntur. *Petrus vero, & qui cum eo erant grauati erant somno*. Quis Apostolos tunc dormientes non admiretur, & cum eis non sic expostulet? Quid agitis in hoc gloriæ theatro: Cur Christi faciem sole splendidiorem non aspicitis? cur aspectum in admiranda ipsius claritate non satiatis, sed somno tunc indulgetis, cum promptos, & magis alacres esse, oporteret? Cœterum S. Ioannes Damascenus, somnum huiusmodi minime damnandum censuit: quia potius ad largiorem gloriæ illius fruitionem conducebat. *Somno*, inquit, *grauantur, vt resurrectionis gloriam post corporis quietem viderent*. Vt quid ergo dormientes, non solum gloria fruuntur, sed insuper æternam efficiunt? An nocturnis vigilijs excusantur? Non equidem; nam teste D. Chrysostomo, dies illuxerat; *Neque enim nocturnum tempus erat*. Quare ergo cum somnus ille nullo modo sit excusabilis, affirmat Damascenus, Discipulos, non solum cum dormirent,

Matth. 17.

Luc. 9.

Damas. l. 3. de fid. c. 34.

D. Ioan. Chrys. hom. 57. in Matth.

glo-

gloria fruitos sed insuper æternam reddidisse. Vt respondeam, Quæro: excitati discipuli quid vident? porrò ait Matthæus, solum Iesum; gloria namque disparuerat, & Moyses, ac Elias abscesserant. *Leuantes autem oculos neminem viderunt, nisi solum Iesum*. Ergo cum dormiunt, gloria fruuntur, æternamque efficiunt, & dum vigilant, nihil vident. Quid meriti habuit somnus, vt viderint? quid culpæ vigilia, vt aspectu fraudarentur? Dicam: Nulla est secura gloria, vbi certa mors non adest; sic enim statuimus: Igitur optimè dispositum fuit, vt dum Petrus, in monte gloria fruitur, & permanentem reddere nititur, dicens: *Bonum est nos hic esse*: Et quia, vt hoc obtineret, mori prius debuerat, non tamen ei tunc mori dabatur: dormiat saltem; quia si somnus mortis imago est, ad minimum mortis repræsentatione gloriam stabilem efficiet, & somnus ille (ex Damasceni sententia) ad gloriæ fruitionem, & stabilitatem proficiet. At verò, cum vigilantes aspiciunt, quia tunc absente somno, mortis memoria non adest, nihil vident: *Neminem viderunt nisi solum Iesum*. Iam enim gloria transierat, quæ stabilis non est, nisi mortis recordatione teneatur.

Dormiendo necesse est, vt gloria fruatur.

Magnum quid adiungo, & valde notandum. Loquebatur olim Moyses cum Deo, non aliter, quam amicus solet cum amico fabulari, & diuinos expertus fauores, non instar priuatorum principū sæcularium, qui nusquam satiantur, nisi cum Regale patrimonium exhauriunt: solum petijt, vt Dominus suam ipsi gloriam ostenderet. *Dixit autem Dominus ad Moysen: & verbum istud, quod locutus es, faciam: inuenisti enim gratiam coram me. Et teipsum noui ex nomine meo: qui ait: ostende mihi gloriam tuam*. Annuit petenti Dominus, & respondit: *Ego ostendam omne bonum tibi*: vt autem polliciti fidem impleret, Moysen in rupis concauitate posuit; vt per petrarum rimulas, gloriam transeuntem aspiceret. *Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ*. Hæc autem gloria, quæ dicta est transijsse, non fuit beata visio, quia hæc citra mortem videri nequit; & ideò dicebat Dominus. *Faciem autem meam videre non poteris*: Quid verò fuerit, docuit in hunc modum Abulensis. *Dicendum est scilicet, quod erat quoddam corpus, tanquam corpus humanum, lucidissimum in parte anteriori, tali luce, quali a mortalibus non cernitur: in parte autem posteriori erat lux tanta, quæ proportionaretur potentiæ visiuæ adhuc mortali, & erat delectabilis, & hanc vidit Moyses, & talis lux fuit ista, in qua fortè nulli mortalium Deus visus est*. Hæc ille: sed iam quæro. Quidnam Moyses a Deo petijt? nonne vt suam gloriam manifestaret? Ita quidem: quodnam responsum accepit? ostendam tibi omne bonum. At cur in implenda promissione, ita parcum se exhibet, vt gloriam non nisi per petræ rimulas ostendit? cum tamen maius esset beneficium, si patenter ostenderet, & fidem largius impleret, si omne bonum promittens, illud redderet integrum, & non partem, vt reuera egisse videtur, dum per scissuras rupis gloriam prodidit. Cæterum nunquam melius promissionem suam potuit adimplere. Quid sibi vult, vt Moysen in petræ cauitate, seu cauerna (vt legit interlinealis) constituerit? *Et ponam te in cauerna petræ*: & tantum valet (iuxta Glossam moralem) ac si in contemplatione plagarum Christi poneret. *Ponam te in foramine petræ, idest adhuc retinebo te in contemplatione Christi passi*, qui petra dicitur. *Petrà autem erat Christus*, & verò, dum per huius petræ rimulas Moysi gloria ostenditur, minus ei beneficium confertur. Porrò Moyses gloriam reddere securam intendebat, ad hoc autem nihil magis conduceret, quam vt illam per petræ scissuras, hoc est Christi plagas, quæ mortem referebant, intueretur; quia nulla est secuta gloria, nisi vbi certa mors interuenit: stat ergo certa mors, & Christi passio, & dum per eam cernitur gloria, firmior redditur, sic enim illud Glossæ interlinealis interpretor. *Et ponam te in cauerna petræ, munimentum firmissimum significat*, & statim addit. *In fide passionis filij solidabo te*. Perbellè ait solidabo te; quoniam, si gloria solummodo firma, stabilisque est, quando certa mors interue-

Nota.

Exod. 33.

Per Petræ rimulas gloria aspicitur, idest per Christi Plagas.

Abul. in exo. quæst. 18.

Glo. int.

Glo. mor.

1. Cor. 10.

uenit, & nunc gloria per mortis speculum, hoc est passionis Christi memoriam, ostenditur: absque dubio firma erit, & Moyses bonorum omnium visione fruetur. *Ego ostendam omne bonum tibi: ponam te in foramine, vel in cauerna petræ, idest adhuc retinebo te in contemplatione Christi passi, munimentum firmissimum significat.*

Notanda sunt in hanc rem illa Christi verba cum Iuda, ad exequendam venditionem e cœnaculo exeunte. Ioann. 13. *Cum ergo exisset, dixit Iesus. Nunc clarificatus est filius hominis,* hoc est, modo mea incipit gloria, qua etiam Deus glorificabitur, & Deus clarificatus est in eo: ita quod Christi gloria, quæ tunc incipiebat, in Deum etiam refundebatur. (Gloria pro Christo patienti, in Deum refunditur.) Non quia Deus eousque gloriam non haberet; quia Christi sermo de immortalis diuinitatis gloria non agit, sed de ea tantum, qua in carne passibili fruiturus erat, vt scripsit Origenes. (Orig. t. 32.) *Non enim immortalis vnigeniti verbi, sed hominis, qui factus est ex semine Dauid, gloria hic enarratur.* Adhuc tamen instoquid superest, vt molestiam alicui afferat, quando pro venditione non tristatur, quam ab eo fieri videt, quem beneficijs obstrinxerat? Proh Domine Iesu? si de hoc non tristaris; quid erit, ex quo mæstitudinem concipias? Fallor, si tuam non percipio sententiā: dum enim dicis: *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo;* perinde est ac si dicas: quia non est firma gloria, vbi certa mors desideratur, nunc quando Iudas e cœnaculo me traditurus abscedit, mortem video certam, & subinde gloriam stabilem, & firmam fore certo scio: (Iusti mortis nuncio lętãtur, qa mors certò habet gloriæ argumentum.) quapropter, tantum abest, vt tristitia afficiar, quod potius summopere lętor, & exulto. Fallar, nisi hæc fuerit Origenis mens, dum ait. (Orig. vbi sup.) *Si enim in morte Christi glorificanti Deum illud verum est, exuens principatus, & potestates, traduxit confidenter, triumphans in ligno, & illud concilians per sanguinem Christi crucis suæ: siue quæ in terra, siue quæ in cælis.*

Huc etiam trahi potest illud, quod Thomæ Apostolo accidit: cum enim incredulitate sua Christum offendisse videbatur: quasi ipsa incredulitas obstructionis causa maioris extiterit, octo dies, postquam alios inuiserat, Thomam inuisurus regreditur. *Pax,* inquit, *vobis.* (Ioann. 20.) *Deinde dicit Thomæ, infert digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quis, inquit hoc loco Lyranus, Christum coegit, vt cum Thoma sic ageret? Porrò incredulitas præterita; tantumdem enim valet, quod ait, ac si incredulitati responderet. (Lyr. ibi.) *Quasi respondens petitioni eius supraposita. In hoc etiam suam deitatem declarat.* At dices: quare Christus, Thomæ incredulitate offensus, ei satisfacere fategit? Quid inde vtilitatis, aut commodi percipit? Non mediocre, nimirum, resurrectionis suæ gloriam, apud Thomam securam reddere, qui vbi primum plagas tetigit, in illa verba erupit, *Dominus meus, & Deus meus,* & ait Lyranus. (Lyr. ibi.) *In hoc manifestè confitetur Deitatem in Christo contra perfidiam Arriani:* Et quamquam mille modis posset Thomæ incredulitatem auferre, voluit tamen eius petitioni annuere, & plagas manibus tractandas exhibere. Dixerat enim: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & manum meam in latus eius non credam.* Vt igitur crederet, & de resurrectionis gloria certus redderetur, plagas tractare permittirur, & Christus *quasi respondens petitioni eius supraposita,* vt digitos mittat in locum clauorum, & manum in latus adhortatur, & sic gloriam resurrectionis in Thoma nutabundam confirmat, ac stabilem reddit: (Mortis insignia Christi diuinitatem confirmant) *Atque in hoc etiam suam deitatem declarat.* Nunc autem sciscitor: Qua de causa Thomas gloriæ securitatem, quæ in resurrectionis articulo continetur, in plagarum visione, potius quam in conspectu Christi rediuiui humanitate constituit, quē mortuū sciuerat. Respondeo, quod cum sicut statuimus, quamquam mors, suis pęnis, gloriæ sit opposita, nullamue gloriam stabilem esse, ac firmam, nisi vbi certa mors adest, peroptimè dispositum fuisse, vt dubitante Thoma, an vera esset, & firma resurrectionis gloria, plagæ, quæ sunt mortis insignia ipsi ostenderentur, quia vbi mors certa interuenerat

rat

rat, non poterat non firma, ac stabilis gloria resurrectionis haberi: & ideo dicit: Infer digitum tuum huc, quasi respondens petitioni eius suprapositæ: atque inde pulchra illa Thomæ confessio dimanauit. *Dominus meus, & Deus meus*, quæ aduersus Arrianos, Christi gloriam stabiliuit. *In hoc manifestè confitetur deitatem contra perfidiam Arriani.*

Ioann. 20. Pergo vlterius, & sequentia Christi verba expendo. *Quia*, inquit, *vidisti me Thoma, credidisti*. Quid ais Domine Iesu? Thomas non quia vidit credidit, sed quia digitos in locum clauorum, & manum misit in latus: dicas igitur, *Quia*

Theoph. ibi. *tetigisti me Thoma credidisti?* Noluit ita loqui, vt notat Theophilactus. *Non ait tetigisti, sed vidisti*. Quare ergo visioni attribuit, quod tangendo fuit consequutus? Deinde, cur dicit credidisse, quod viderat, quia fides opponitur euidentiæ? Hinc quærit D. Gregorius. *Sed cum Apostolus dicat, fides est*

D.Greg. hom. 16. in Euang. *substantia sperandarũ rerum argumentum non apparentium: profectò liquet, quia quæ apparent, fidem non habent, sed agnitionem; dum ergo vidit Thomas, cum palpauit: cur ei dicitur, quia vidisti me Thoma, credidisti?* Hæc ille, & statim respondet: *Sed aliud vidit, aliud credidit hominem vidit, & Deum confessus est* Itaque dum humanitatem videt, & diuinitatem confitetur, fides suum munus exequitur: aspectu, hominem experitur, quem fide Deum agnoscit. Nunc autem ad rem nostram inquiro, qua de causa, quod tangendo fuit operatus, visioni adscribitur? Quia visus

Sensus visus, quo dammodo communis est. principem inter alios sensus locum obtinet, deque eorum actibus, testimonium perhibet, vt docuit S. Augustinus.

D. Aug. tra 121. *Non ait tetigisti me, sed vidisti me. Quoniã generalis quodã modo est sensus visus; nam & per quatuor alios sensus numerari solet, velut cum dicimus, Audi, & vide quam bene sonat: olfac, & vide quam bene oleat: gusta & vide quam bene sapiat: tange, & vide quam bene calcat. Vnde hic Dominus dicit: infer digitum tuum huc, & vide manus meas*. Itaque tactus ille dubium de resurrectionis gloria non tolleret, nisi visus hominem non agnosceret, quem Deum fatebatur. Et verò dicimus, gloriam non esse securam, nisi certa mors adsit: Atque ideo sicut vt vnum reddatur securum, oportet primum, vt de alterius certi tudine constet. Hæc autem certitudo a visione processit, cum per plagas Christi rediuiui gloriam inspexit, & accedente visu, abscessit dubitatio, & ideo Christus visionem prædicat, quæ mortis certitudinem probauit in plagis, & fidem remunerauit, quæ gloriam securam reddidit, sicut ait Gregorius. *Aliud vidit, aliud credidit: hominem vidit, sed Deum confessus est*. Ibi enim gloriam solummodo secura est, vbi certa mors interuenit.

Duo loca se offerunt primo aspectu contraria, ex quorum concordia præsens institutum illustrabitur. Ergo Ioannes cap. 1. Christi natiuitatem enarrans, ita gloriosam describit, vt inibi veram vnigeniti Dei filij maiestatem expressisse testetur. *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre*. Longè aliter Lucas, qua Ioann. 1.
humilem, & abiectam fuisse natiuitatem describit. *Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio*. Vnde hæc disparitas, vt Ioannes gloriam, & Lucas miseriam prædicet? cur Ioannes pœnas eiusmodi glorias dicit, & Lucas e contra glorias vocat pœnas? Ratio est, quia Lucas Christum in præsepio constituit, & ibi fœnum est, per quod mors designatur. *Omnis caro sicut fœnum veterascet*. Isaias etiam. *Omnis caro fœnum*. Iacobus in epistola. *Quoniam sicut flos fœni transiuit*. Et Petrus, *Quia omnis caro vt fœnum*. Ergo quia statuimus non esse securam gloriam, vbi mors certa non adest, perbellè vterque Euangelista, alter pœnas, hoc est mortem in fœno expressam prædicat, ex qua alter gloriæ certitudinem colligit: & ideo quas Lucas dixit miserias, Ioannes glorias, ex morte securitatem nactas, decantat, dum enim mors erat certa, etiam gloria secura reddebatur. Sic D. August. *Ista natiuitas collyrium fuit, vnde tergerentur oculi cordis nostri, vt possimus videre maiestatem eius per eius humanitatem; & ideo dicitur, & vidimus gloriam eius; Gloriam eius nemo potest*

Luc. 2. Eccl. 14. Isai. 40. Iacob. 1. 1. Petr. 1. Miseria, & gloria se inuicem consequuntur. D. Aug. tra 2. in Ioa. c. 9.

videre, nisi humilitate carnis sanaretur. Irruerat tum homini, quasi pulvis in oculum de terra, & oculus iste sauciatus erat, & terra illuc mittitur, vt sanetur, terra te obcæcauerat, terra te lauat.

Isai. 11. Huc etiam trahi potest illud Isaiæ de Christi sepulchro. *Et erit sepulchrum eius gloriosum*. Gloriosum dicit, miror, cum melius ignominiosum dicere potuisset. Quæ enim gloria esset, si precario datus sibi, post mortem ignominiosam depositus? quare ergo, cum tali dedecore Isaias sepulchrū dicit gloriosum? Iure optimo; quia tales ignominiæ sunt mortis indicia, & cum mors præcedit, gloria certò subsequitur. Atque adeo, licet sepulchrum præcario datum sit, aromata non defuerunt, quibus demortui corpus conditetur, & sepulchrum postea pluris fieret apud fideles. Do. Lyranum. *Et erit sepulchrum eius gloriosum: tum, quia licet mors Christi fuerit contemptibilis, sepultura tamen eius fuit honorabilis: quia in sepulchro nouo lapideo, & cum linteaminibus, & aromatibus pretiosis, vt habetur Ioan. 19. tum, quia fideles per orbem existentes, etiam magni & nobiles, vadunt ad eius sepulchrum venerandum*. Ita ille. Addices: cur tantus honor sepulto impenditur, & mors ei adeo ignominiosa infertur? planè, vt glotia securitatem haberet, opus erat, vt mors præcederet ignominijs plena. Quæ postquam transijt, iam timendum non erat, vt gloria perderetur; siquidem ea est mortis natura, vt gloriæ securitatem afferat: ideo sepulchrum dicatur gloriosum, & a fidelibus celebretur, quia parta per mortem gloria, tam magnam habebat securitatem, vt eam sepulchro communicauerit: ideo fideles illud venerabantur. *Tum, quia fideles per orbem existentes, magni, & nobiles, vadunt ad eius sepulchrum venerandum.*

Lyr. ibi.

Mors gloriā extulit Christi sepulchro.

Excursionem hanc Iacobi peregrinatione concludo: Non enim vacat mysterio, quod fugitiuo inter dormiendum aperiatur cælum, pateat beatitudo, dimittatur scala, per quam Angeli sursum, deorsumque discurrebant. Quinimò, ipsemet Deus in summitate scalæ consistens, & ipsam vtroque humero firmans, faustissimas benedictiones impertitur. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, dicentem sibi. Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui, & benedicentur in te, & in semine tuo cuncta tribus terræ*. Gen. 28. Primò hic dubitandum venit, quod cum Deus glorias suas communicare statuerit (gloriarum autem nomine diuitias etiam intelligo, iuxta illud Salomoni dictum: *Diuitias scilicet, & gloriam*, quia post datam sapientiam, diuitias addidit) hæc omnia perfunctoriè videtur contulisse. Nam si integrum diem, iter faciendo, solus transegit: cur noctis aduentum, & itinerantis somnum expectauit? nonne satius esset vigilanti fauores illos contulisse? Ita quidem, quoniam vbi primum feliciras illa intra somni terminos clauditur, & eo excusso disparet, somniata potius dicenda est gloria, vel ita breuis, & fugitiua, vt in ictu oculi auolauerit. Quare ergo non vigilanti datur, sed dormienti? Ratio est, quia vigilanti Iacob, videbatur Deum assequi non posse, quod illius gloriæ donatione intendebat. Porrò, quid volebat, cum sic Iacobum benedicebat? gloriam illam, quam impertiebatur firmam, ac stabilem, & æternitati parem efficere. Ita enim interpretor illam promissionem. *Benedicentur in te, & in semine tuo cuncta tribus terræ: & ero custos tuus, quocunque perrexeris*. At verò gloriæ stabiles, & securæ consistere nequeunt, vbi certè mors non interuenit. Quis dubitet? Viuit ergo Iacob? planè viuit; quid igitur faciendum, vt gloriæ sit securus? inter dormiendum ostendatur: ait egregie S. Isidorus. Etenim somnus, si naturam consideres, mortis imago est, si mysterium, Christi mortem præsignabat. *Dormitio Iacob in itinere, mortem Christi in cruce significat*. Et in ea dormitione certa mors inuenitur. Congruè igitur gloriæ communicatio, diuina dispositione, vsque in noctem protrahitur, & inter dormiendum communicatur, vt in ea mortis repræsentatione, secura, & stabilis appareat. Dormiens vidit, vt sta-

3. Reg. 3.

Gloria in hac vita, non nisi per somnum datur.

S. Isid. ibi.

Nota.

bilem videret, & benedictiones sibi promissas, æternum duraturas, existimaret. *Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ.*

Secundum mihi adnotandum est, quod Deus illud idem, quod agit, retractare videtur. Etenim, quando huiusmodi gloriæ stabilitatem addere intendit, & somno indulgenti Iacob propter durationis firmitatem communicat magnitudinem, quam ipsi daturum spondet, similem pulueri futuram asseuerat. *Eritque semen tuum quasi pului terræ.* Nonne puluis ventorum ludubrio subiacet, & ab eis frequenter raptus euanescit? Experimento constat. Cur ergo in re adeo instabili gloriæ firmitatem constituit, quam Iacob se daturum pollicetur? Et verò si ad polliciti firmitatem sat erat Dei verbum: vt quid verbum istud in puluere firmat? Fors, inquit Abulensis, vt innueret, quia sicut difficillimum, imò impossibile cuique est pulucrem in numerum reducere, sic etiam illæ glotiæ Iacob nequaquam intra numeri cuiusquam terminos coerceri poterāt. *Eritque semen tuum quasi puluis terræ. Quasi dicat; nullus poterit dinumerare illud præ multitudine, sicut nullus dinumerare potest puluerem terræ*: Hæc Abulens. Non tamen dubio satisfacit: si enim Deus glorias Iacob amplificare intendit, dum rebus comparat, quæ numero contineri non possunt: Quare Stellis non comparauit, quæ etiam ad numerum reduci nequeunt? Et prętcrea nobilitate sua, & stabilitate glorias illas ingentes, & perenniter duraturas significabant, sicuti iampridem Abrahamo. *Numera stellas si potes: sic erit semen tuum.* Sed puluerem adhibuit, qui vilitate sua, & mobilitate, qua a vento abripitur, glorias illas, nec nobiles, nec multum duraturas, ostendebat? Planè hoc egit, vt maiorem gloriæ securitatem adderet. Dices tamen: vnde nam e puluere securitas prouenire gloriæ poterat? Hinc certè maxima. Nonne diximus, tunc securam esse gloriam, & stabilem, cum certa mors inuenitur, & hanc in puluere designatam? Ita quidem, iuxta illam Dei ad Adamum sententiam. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Cum ergo gloriæ securitas ex mortis certitudine proueniat. Quando Deus Iacob gloriarum magnitudine nobilitate pollicetur, & glorias, securitate, & stabilitate cum æternitate certaturas manifestat, pulueris, in quo mors significatur, similitudinem adhibet, dicens: *Eritque semen tuum, quasi puluis terræ. Quasi dicat: nullus poterit dinumerare illud præ multitudine, sicut nullus dinumerare potest puluerem terræ.*

Postremò disquirendum est: quænam fuerit terra, in qua Deus tot benedictionibus auxit Iacob, & tot glorijs nobilitauit. Abulensis ex Hæbreorum, & Catholicorum interpretum sententia, quam Lyranus amplectitur, existimat, terram hanc esse Montem Moria, in quo Abraham sacrificare Isaac destinauerat. *Quis autem locus iste fuerit, dicunt Doctores Hebræi, & aliqui Catholici, & in hoc tenet Nicolaus, quod iste fuerit Mons Moria, in quo Abraham immolare voluit Isaac.* At dices: Cur potius in monte hoc, quam in alio Deus gloriam suam Iacob impertitur, & tot benedictionibus auget, fauoribusque amplificat? Quid peculiare in hoc loco inspexit, vt scalam dimitteret, Angelos sursum deorsum comeantes mitteret, & seipsum in summitate scalæ prospiciendum exhiberet? Abulensis, & citati Doctores censent, nihil ex parte Dei interuenisse, quam quod Iacob desiderio indulgere voluerit, qui locum illum elegit, vt diuinos fauores, & glorias in eo sibi communicare mereretur. *Et dicunt, quod declinauit illuc, vt illuc aliquam consolationem reciperet à Deo.* Crescit tamen difficultas. Quid inspexit in illo monte Iacob, vt ibi potius, quam alibi gloriam sibi communicari, & diuinos fauores consequi speraret. Non erat locus alter amænitate gratior, & situ montis illius cacumine securior? Erat equidem, nam fugitiuo homini, ingruente noctis caligine, omnia terrorem inijciunt: Iam vero cum inter gentem nox occupat in loco, vbi aliquando factum est homicidium, crescit pauor, & formido fit maior. Cum igitur in monte illo prope fuerat imolandus Isaac, quis dubitet euentus

Margin notes: Prosperitas tēporalis instar pulueris. — Test. ibi. — Gen. 15. — Gen. 3. — Gloria quæque puluis est — Abul. in Gen. c. 28. — Nota. — Nullam consolatio nem præter quam in mortis loco.

tus illius recordatione, metum fore augendum, atque adeo locum illum transfigendæ nocti non esse accōmodatum, nec homini fugienti idoneum, qui leuamen aliquod expetit, solatium desiderat, & gloriam ambit: lubens annuo. Sed cur peius eligit, qui spe meliora præsumebat? Quia nulla terra Iacob desiderio accōmodatior. Porrò quid intendit, vt Deus eum feliciter, gloriam illi, & fauores communicet? *Et dicunt, quod ideo declinauit illuc, vt ibi aliquam consolationem reciperet à Deo.* Poterat ne in alio loco hoc idem obtinere? Poterat: Nullibi tamen magis securos reddere diuinos fauores. Qua ratione? Dicam. Nonne statuimus, non esse securam gloriam, nisi vbi mors certa est? Ita quidem. Igitur quando Iacob glorias, & fauores ambit, vt stabilitatem, & firmitudinem babeant, in Monte Moria à Deo sibi communicari expostulat. Quoniam, si tunc securæ sunt gloriæ, cum certa mors adest; ibi mortis memoria perenniter viuet, vbi Isaac penè fuerat occidendus, & gloriæ securitatem obtinebit. Hinc est, vt Iacob fauoribus suis stabilitatem desiderans, montem hunc elegerit, & Deus ibi suas impertitus fuerit benedictiones, quia nullus ad securitatem aptior inueniri poterat. *Ideo declinauit illuc, vt ibi aliquam consolationem reciperet à Deo.*

Abul. ibi.

Nullibi diuini fauores magis in tuto, quam vbi mors figuratur.

Vt probem hoc assumptum, & validius corroborem: aduerto: Quod cum Iacob ab hac peregrinatione reuertitur, Angelus ille, qui iter agentem inuasit, ac vt vinceret, & se ab illius fortitudine liberaret, in fœmore percussit, quamquam, vt notauit Abulensis, irritus euasit conatus. *Tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit, vt saltem*, inquit, *Iacob per dolorem dimitteret Angelum, sed nec sic potuit.* Protracto enim in auroram certamine, benedictionem ab eo postulat, ac dum impertitur, nomen immutat, fuitque nominis immutatio benedictionis largitio: *Et tamen*, ait Isidorus, *Iacob ab Angelo, quem vicit, benedictionem impetrauit. Nominis enim impositio, benedictio fuit.* Hoc autem nomen, denouo impositum, in quo benedictio consistebat, fuit: *Israel.* Quod interpretatur, *videns Deum*: Hæc autem gloriosa Dei visio, iustorum est præmium, vt idem Isidorus adnotauit. *Interpretatur autem Israel: videns Deum, quod erit in fine præmium omnium sanctorum.* Nunc autem rogo: Quando nomen immutauit, nonne gloria, & benedictionibus locupletauit? ita quidem. Hæc autem nominis immutatio contigit quando eum in fœmore percussit: itaque, ait Isidorus, cum primum imbecillitatem sentit, & claudicare cœpit, benedictionem obtinuit. *Tetigit neruum fœmoris eius, & claudum fecit, sic erat benedictus, & claudus.* Quasi diceret; eodem tempore iunxit benedictionem, & claudicationem. At cur gloriam cum percussione communicat? Si forsan illum sibi obstringere intendebat, congruentius videbatur hoc agere, antequam vulneraret. Non ita. Quoniam si benedictione, hoc est gloria, Iacob reddere obstrictum procurat, nunquam melius, quam si post percussionem impertiatur. Quod nam ergo mysterium est, vt primo percussionem inferret, & postea benedictionem, seu gloriam largiretur? Dicam. Vulnera, si naturam spectes, sunt Tendentia ad mortem. Cum autem non sit gloria cum securitate, vbi mors certa non inuenitur; Quando Angelus Iacob sibi obstrictum reddere conatur, gloriam largiendo: prudenter, vt gloriam efficiat stabilem, & securam, vulnus, hoc est tendentiam ad mortem præmittit. *Tetigit Neruum, & claudum fecit*, & postea benedictionem fuit impertitus, *& sic erat benedictus, & claudus.* Qua dispositione confirmauit, peculiarem esse mortis excellentiam, quod cum ipsius pœna gloriæ sit contraria, nullam cum stabilitate, & securitate gloriam reperiri, vbi mors certa non interuenit.

Gen. 32. Abul. ibidem quæst. 6.

Isidor. in Gen. 32.

Gloriosa Dei visio iustorum est præmium.

Isidor. vbi supra.

Deus percussione obstringit.

CAPVT VII.

Quod cum mors non excedat humanos terminos; Nihilominus limites ita diuinos attingit; vt ipsius memoria, magis quam Dei præsentia glorificare posse videatur.



RIMAM huius assumpti probationem offert Dauidis in Regem vnctio, si pro gloria magnitudinem huius mundi, opulentiamque accipimus: Et verò Deus Salomoni locutus hæc mundi bona gloriæ titulo honestauit, dicens. *Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam.* (3. Reg. 3.) Hoc posito, vt probatio procedat, inquiro. Quoties Dauid fuit vnctus in Regem? Ter respondet Lyranus: primò per Samuelem: Secundò, & tertio apud Hebron. Vera tamen vnctio fuit illa Samuelis, sicuti dictum est alibi; aliæ vero vnctiones, vt placuit Theodoreto, electiones potius dicendæ sunt, quamquam diuina scriptura illas appellet vnctiones. *Quamobrem fuit Dauid ter vnctus: Per Samuelem Regiam adeptus est vnctionem. Populi autem electiones Historia appellat vnctiones.* (Theodor. quæ. 15.) (Electiones quandoque dicūtur vnctiones.) Quæro vlterius: quando maior opulentia, & subditorum multitudo contigit Dauid? quando vnctus est ex parte Dei, an quando ab hominibus perhibetur electus? Respondet Lyra. *Ter fuit inunctus, primò in domo Patris, secundo in Hebron super tribum Iuda, tertio super totum Populum Israel.* (Lyr. in 2. Reg. 2.) In prima vnctione solam habuit parentis familiam. In secunda, & tertia, vltra tribum Iuda, super vniuersum Israel dominationem fuit consequutus. *Tertiò super totum populum Israel.* Cur igitur gloriam adeptus est ampliorem, cum a populo eligitur, quam cum ex Dei imperio inungitur, & per solam diuinam vnctionem regnum adeptus est? Quid in hac vnctione habuit minus, vt tam arcta esset gloria? Quid maius in alijs, vt ita fuerit dilatata? Dicam planè. Porrò quid agebat Dauid, antequam a Samuele vngeretur in Regem? Pulsabat citharam, & canendi, pulsandique studio vacabat, & se ipsum in ea arte perficere conabatur, & propter canendi peritiam a Saule fuit accersitus. *Venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo;* (1. Reg. 16.) Quando autem a populo eligitur, cui vacabat exercitio? Postquam Saulis interitum deplorauit, vt Regum refert historia. *Planxit autem Dauid planctum huiuscemodi super Saul, & super Ionatham filium eius.* (2. Reg. 1.) Totum se addixit gratulationibus, quibus viris Iabes Galaad gratiam agebat, eo quod de Saulis sepultura curauerant. *Consequenter*, ait Lyra, *ostenditur gratitudo ipsius Dauid, erga viros Iabes Galaad, de sepultura Dauid, & filiorum eius.* (Lyr. ibidem.) Itaque Dauid mortis Saul memoriam retinet, & hoc populum impulit, vt ipsum eligeret. (Mortis memorem imperio dignū iudicant.) Hinc etiam gloriarum cumulus maior fit, quod fortan innuit Procopius, dicens. *Iterum pro suffragijs, cum reliquæ etiam tribus eligunt.* (Procop. ibi.) Cur ergo, in præmium laudabilis studij, quo de sepeliendo mortuo tractauit, maior Dauidi gloria prouenit, quam cum a Deo in Regem inaugurari præuia vnctione præcipitur? Ratio est, quia licet mors terminos humanos non transgrediatur, limites attingit ita diuinos, vt eius memoria, gloriam ampliorem afferre, quam Dei præsentia videatur. Hinc est vt vnctus Dauid in Regem, ex Dei mandato, gloria illa intra paternæ domus limites se continuerit. Cum vero mortem memoria refricat, deque Saulis sepultura agit, & propterea a Populo eligitur: *Tertiò super totum Israel*, & gloriæ amplitudo ita exercuit, vt totum Israelē impleuerit. Quia memoria mortis plus videtur glorificare, quam Dei præsentia. *Iterum pro suffragijs, cum reliquæ etiam tribus eligunt.*

Fortiorem adijcio probationem. Mittitur e cælo Angelus, qui Domini Verbi in mundum aduentum nuntiaret; dum autem nuntium proposuit, non sedit; sed vt censuit Beda, stetit.

Et

Beda hom. 1. int. oct. temp.

Et rectè stans, apparuit Angelus, qui aduentum Domini in mundo prædicebat. Seraphim etiam apud Isaiam, coram Deo stare dicuntur. *Seraphim stabant.* Et verbum *sto* non solum stationem simplicem designat, sed in pedes consistere demonstrat. Cum autem fœminæ diluculo surgentes, & aromata portantes ad Christi sepulchrum properarent, vbi primum accesserunt, Angelum ibi sedentem, teste Diuo Matthæo, inspexerunt. *Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Quo loco, ait Beda. *Præco autem resurrectionis sedisse memoratur.* Cur ergo iste Angelus sedet, & alij dicuntur stare? Quod si stant, quia in Dei præsentia consistunt, sepulcri Angelus etiam stare debuerat: quia vbicunque Angeli stant, semper in Dei præsentia consistunt, iuxta illud: *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: in hoc autem, notat D. Thomas, latet mysterium; quod, non obstante Dei præsentia, Angelus sedet, non stat, *Porrò*, inquit, *Angelus, dum ad sepulchrum sederet, Deum claro intuitu videbat; & tamen sedebat*; Quare ergo Deum videns non assurgit, & stat, sicut cæteri Deum videntes? Rem exemplo demonstro, euenit aliquando, vt in Regis præsentia multi assistant equites, & primates viri, omnes detecto capite, ijs exceptis, quos grandes vocant; hi solum tali gaudent priuilegio, quod, vel ob regis gratiam, vel ob præclarum aliquod facinus obtinuerunt: Pari modo omnes Angeli in Dei præsentia stant: qui autem in sepulchro est, sedendi priuilegio fruitur. Sed qua de causa, speciali prærogatiua sedendi alijs antefertur? Totum ei contulit mortis præstantia, quæ licet humanos terminos non excedat, limites tamen attingit ita diuinos, vt ipsius memoria plus gloriæ afferre, quam Dei presentia, videatur; & ideo Angelus ibi sicut alij, stans, propter mortis prærogatiuam, peculiari sedendi priuilegio fruitur. *Præco autem resurrectionis sedisse memoratur: & rectè stans apparuit Angelus, qui aduentum Domini, in mundo prædicebat.*

Isai. 6.

Matth. 28.

Matth. 18.

S. Thom. ibi.

Et Angeli ex mortis memoria priuilegia habet.

Pergit adhuc Euangelista, & Angelum describens, non solum pulchritudine insignem, sed instar fulguris, radios e vultu iaculari affirmat. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, vestimenta autem eius sicut nix*, D. Marcus vestis candorem commendat. *Coopertum stola candida.* Quæro nunc: Hæc vultus pulchritudo, ac splendor, & vestium candor, quid denotabant? D. Hieronymus censet, hæc omnia gloriam, qua in Resurrectione sua Christus fruebatur adumbrare. *In candido etiam vestitu Angelus significat gloriam triumphantis.* Deinde candor ille lætitiam demonstrabat. *Vestis etiam candida vera letitia est.* Quæro deinde; quo habitu venit Angelus, qui nuncium de Christi in Orbem aduentu deferebat? Vestem gestabat splendentem, & vultum præferebat fulguri similem: Nihil horum meminit Euangelista, at a quo mittebatur? A Deo. *Missus est Angelus a Deo:* Cur ergo a Deo missus non ita gloriosus apparet, sicut is, qui supra sepulturæ lapidem sedebat? Nonne congruentior erat habitus gloriosior nuntio, qui de filij Dei incarnatione acturus veniebat, quam ei, qui in sepulchro sedebat, vbi vmbra mortis, & horror inhabitat? Ita quidem: cur verò, qui in sepulchro est, ita fulgurans, & splendidus apparet, & qui a Deo mittitur, nullo candore nitet, nullo fulgurat splendore? Ratio desumenda est ex actuum diuersitate, quos Angeli exercent. Angelus a Deo missus, agit de verbi incarnatione, vt Dei filius homo factus cum hominibus conuersetur, & eos a peccati captiuitate liberet. Qui autem in sepulchro sedet, de morte Christi agit, & quomodo illam resurgendo vicerit, vt rediuiuus in cælo triumphet: en actionum diuersitas, ex qua prouenit gloriæ disparitas. Quod si mortis memoria plus glorificari, quam Dei præsentia videtur; cum Angelus ille aduenit, tantum abest, vt mortis meminerit, quod potius de hominis Dei incarnatione, & ipsius in orbem aduentum aget, nec splendorem ostentat, nec vestium candorem habet: qui vero assidet sepulchro, inter mortis vmbras, funestasque memorias, fulgoribus irradiat, niuibus in ve-

Matth. 28.

Marc. 16.

Vestis candor gloriam denotat.

D. Hieron. hym. in euan. 1.

Luc. 1.

Mortis vmbre luminosos reddunt Angelos.

ste candicat, lætitiam manifestat. *Vestis etiam candida vera lætitia est*. Et mortis memoria plusquam Dei præsentia glorificare videtur.

Iuuat adhuc in sepulchro demorari, & illud Isaiæ elogium, de eodem prolatum, expendere. Ait ergo: *Erit sepulchrum eius gloriosum.* Vbi expendendum est, quo tempore sepulchrum gloriam obtinebit? Nam verbum illud erit, non solum de futuro agit, sed pro futuro videtur semper supponere. Quod si communem intelligendi modum aduerto, tunc sepulchrum illud extitit gloriosum, cum veluti in Thesauro, Christi corpus continuit. Verum, non hæc fuit Vatis intentio: sic enim eius interpretanda sunt verba. Quando Christi corpus in sepulchro fuerit conditum, tunc erit gloriosum. Quod si post resurrectionem, absente iam Christi corpore, sepulchrum inspexerimus, adhuc Isaias ait, *Erit gloriosum*. Et post annos mille, adhuc dicitur: erit gloriosum: quia verbum, Erit, pro futuro tempore supponit; ita quod semper gloriam in dies ampliorem, forè promittit. Quæso nunc: si gloriæ, quas Isaias promisit sepulchro aduenturas, ex Christi ibi conditi corpore prouenerunt. Quænam istæ sunt gloriæ, quas post resurrectionem sperat, & ad futuras præsagit? Possunt aliæ maiores excogitari, quam quæ ex Christi corpore redundarunt? Minime: quas ergo expectat glorias, quæ illas quoquo modo excedant? Vt quæstioni faciam satis, alia primum proponenda est.

Isai. 11.

Ex morte gloria sepulchro est.

Condito Christi corpore in sepulchro, cuiusnam prædicanda est victoria? Quis triumphator extitit? mors in sepulchro, an in morte sepulchrum? Si naturalis rerum ordo spectetur, ait Seuerianus, mors de omnibus triumphum agit: in Christo autem ordo iste inuertitur. Cum enim e sepulchro, in quod mortuus intrauit, rediuiuus surrexerit: Mors, non solum in sepulchro de Christo non triumphauit; sed ibi victa, & triumphata mors remansit. *Mutatur hic ordo rerum: sepulchrum mortem, non mortuum deuorat; domus mortis mansio, fit vitalis vteri noua forma: mortuum recipit, reddit viuum*. Resurgente igitur Christo, mors in sepulchro victa pariter, & vincta remansit? etiam. *Sepulchrum mortem, non mortuum deuorat*. Iam ergo capio Isaiæ mentem, dum air, *Erit sepulchrum eius gloriosum*. Non solùm hoc dicit futurum, cum Christi corpus continebat, sed etiam quod eo resurgente, nouus ille gloriarum cumulus augebitur: tantundem enim valent illa verba: *Erit gloriosum*. Dicas: ergo aliquid superest, ex quo, præter Christi corpus, maior in sepulchro gloria redundet? Absit. Verum si mortis memoria videtur amplius glorificare, quam Dei præsentia, quando Christus a sepulchro abscedit, & mors ibi detenta relinquitur; *Sepulchrum mortem, non mortuum deuorat*. Si quælibet gloria sepulchro moior erit: *Erit sepulchrum eius gloriosum*: non alia erit, quam, quæ ex morte ibi detenta præueniet. Quod si verbum *erit*, nouas indies glorias, & ampliores prædicit futuras, non miror; quippe cum ibi sit mors, & eius semper viuat memoria, necesse est, vt noua sit gloriarum materia, & absente Christi corpore, restat mors; *quoniam sepulchrum mortem, non mortuum deuorat*: & subinde *erit gloriosum*, quia mortis memoria, magis quam ipsius Dei præsentia quodammodo glorificat.

S. Seuer. Gabalensis. ibi.

Nota.

Ex morte amplius gloriari, quam ex Christi corporis præsentia sepulchrum videtur.

Placet rem adhuc amplius illustrate, ad quod mirabilem præmitto Stigmatum S. Francisci impressionem, quam à Christo Domino factam, indubitanter suppono, S. Bonauenturæ auctoritate suffultus, qui in Vesperarum hymno ita cecinit.

S. Bonau. in Offic.

Ad quem venit Rex e cælo.
Amictu Seraphico,
Sex alarum tectus velo,
Aspectu pacifico:
Affixusque Crucis telo,
Portento mirifico.
Cernit Seruus Redemptorem
Passum, impassibilem:
Sæculorum Imperatorem
Tam pium, tam humilem;
Verborum audit tenorem,
Viro non effabilem.

Deinde in hymno Matutini hæc habet,

Cru-

Crucis arma fulgentia
Vidit Franciscus dormiens;
Christum dicentem audiens:
Tua erunt hæc omnia.

In eadem sententia fuit S. Bernardinus Senensis, serm. in fer. 3. post Resurrectionem, vbi ita ait: *Nec insuper tantum in specie Seraphica illi apparere debuit, sed veluti Crucifixus, vt apertè innueretur, quod non cælestis spiritus illi Stigmata imprimebat, sed ille, qui pro nostra salute Crucifixus est, atque ex Seraphico ardore cordis eius, in Christum, in Crucifixi similitudinem transformabat.* Et Serm. eiusdem festiuitatis idem confirmat, & quandam reuelationem producit discipulo eius factam, quem ita Deus fuit alioquutus: *Dicens Dominus: ne credas, quod quando Sanctus Franciscus recepit Stigmata, quod apparuit sibi Seraphinus; quia fuit Iesus in propria persona, in forma Seraphim.* Et statim (quod maxime ponderandum est) adiungit: *Et qui aliter credit, & quod S. Franciscus non habuerit Stigmata Christi: ipso facto est excommunicatus, hæreticus, & maledictus.* Et paulo post. *Et nota, quod Christus sua propria manu fecit plagas, & clauos in corpore Sancti Francisci.* Hinc apertè colligitur, quod, qui oppositum senserit, affirmando (vt fecit Viegas) S. Michaelem plagas B. Francisco impressisse, notam ignorantiæ, vel fatuæ mordacitatis, incurret. quoniam aliter docuit non solum S. Bernardinus, sed etiam S. Bonauentura, cuius officium ab Ecclesia fuit approbatum. Ait igitur. *In latere montis orans, vidit quasi speciem vnius Seraphim.* Et S. Bernardinus vbi supra; *Apparuit ergo in specie Seraphim, & veluti cruci affixus* Hoc posito inquiro: cur potius in specie Seraphim vidit, quam in specie Cherubim? Vt quæstioni respondeam, scire primum necesse est: qua de causa, in Propitiatorio Deus Cherubinos, potius quam Seraphinos adhibere præceperit. *Duos quoque cherubim aureos, & productiles facies, ex vtraque parte oraculi.* Inquirit hoc loco Abulens. dicens. *Sed quæres, adhuc circa hoc; quare non ponebantur Seraphim super arcam, sicuti ponebantur Cherubim?* Respondet: Cherubini officium esse diuersum ab officio Seraphini, quia Cherubini ministerio assistunt, & Seraphini gloriæ. *Quidam respondere volunt aliter; scilicet, Quod Cherubim sunt ad ministerium Dei, scilicet, vt alis suis velarent sedem Dei; Seraphim autem sunt ad gloriam.* Et statim addit: *In præsenti autem vita, non est nobiscum gloria Dei; Ergo non debebant fabricari Seraphim super propitiatorium, sed Cherubim.* Iuxta hoc, optime colligitur, quod si in Propitiatorio non ponuntur Seraphim, quia Deus, in vita præsenti gloriam suam nemini communicat, quando in Seraphini specie descendit, vt Stigmata S. Francisco imprimat, gloriam illi communicare intendit. Non abnuo: quinimò propterea censeo in Seraphini specie descendisse, vt S. Franciscum gloriç participem efficeret. *In latere montis orans, vidit quasi speciem vnius Seraphim.* Sed iam quæro; vt gloriam inter imprimendum plagas communicaret, non sat erat Christi præsentia? Planè erat. Vt quid ergo formam Seraphini assumit, cuius officium est gloriam elargiri? Præterquamquod hæc erat Seraphini forma, in qua Dei præsentia, idest Christi, continebatur. Nec fas est dicere, Christum Dominum, absque necessitate, transformatum: Quare ergo, dum se in Seraphinum transformat, glorias multiplicat? Iam dicam, cum vulnera sua Francisco impressit, aliquid ne extitit, quod mortis suæ memoriale non esset? nihil prorsus: adeo enim peculiaria extiterunt, vt nemini in hac forma ea contulerit. Quibusdam enim sanctis, dedit plagarum tantummodo sensum, alijs exterius impressit: Verum tamen vulnera cum clauis, soli parenti meo Francisco perhibentur impressa. *Statim namque in manibus, & pedibus eius apparere cœperunt signa clauorum; ipsorum capitibus, in inferiori parte manuum, & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex aduerso. Dextrum quoque latus, quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam, & femoralia respergebat.* Dicimus ergo, quod mortis memoria, plusquam Dei præ-

sen-

Marginal notes:
S. Bernar. in serm. fer. post resurr. num. 2.
Idem Serm. 16. S. Fran. c. 4.
Iesus ipse Franciscum Stigmatizauit.
S. Bonau. in Offic.
S. Bern. Ser. vbi supra.
Exod. 25.
Abul. ibid quæst. 19
Stigmata Francisci, mortis Christi memoriale.

sentia glorificare videatur: benè quidem dispositum est, vt quando Christus plagas suas, ac in eis mortis memoria B. Francisco imprimere statuebat, in Seraphinum, cuius officium est gloriam communicare, se transformauerit; Quoniam in impressione, ipsius assistentia, & in Seraphinum transformatione fruitus, si hæc absentem significet, in forma maneat, quæ glorias communicet; indeque appareat, mortis memoriam, quoad speciem, plus glorificare, quam Dei præsentiam; siquidem, cum in Francisco apparent vulnera, quæ præsentiam Christi manifestant, Christus in forma Seraphini assistit, qui memoriæ mortis gloriam prædicet, *Et ideo in latere montis orans, vidit quasi speciem vnius Seraphim, quia Seraphim sunt ad gloriam.*

Vulnera Frã. ci Christi præsentiam manifestant

Coronidem impono, & ex nouo, veterique testamento aduertendum profero non vulgare. Ascenderat Moyses in montem, Deo locuturus, postea descendens, tantum splendorem e vultu iaculabatur, vt nemo in eum intendere auderet. *Videntes Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.* *Quare*, inquit Abulensis, *ille splendor datus fuerit vultui Moysis?* Et respondet: ideo talem splendorem a Deo collatum, vt peculiarem amoris sui demonstrationem Moysi exhiberet, *Respondetur, quod Deus voluit dare istam lucem in facie, in signum specialis amoris, quia Deus diligebat specialiter Moysen super omnes, qui praecesserant eum; ideo dedit ei quoddam priuilegium, quod nulli vnquam contulerat.* In montem Thabor Christus ascenderat, & ibi gloriam suam Moysi communicat, in præmium delectationis, quam ex ipsius conuersatione capiebat. *Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate*, Verum quænam corporis pars facta est gloriæ particeps? Cum nulla pars designetur, totum corpus gloria videtur perfusum, & ita censuit Origenes. *Hic non refertur, quia glorificatus est vultus eius, sed quia totus apparuit in gloria, colloquens cum Iesu.* Quare ergo Moysi cum Deo in monte commoranti, sola facies gloriosa redditur, & splendore

Exod. 34.

Abul. ibid. q. 25.

Luc. 9.

Orig in Epg. hom. 22.

corruscat, apud Thabor autem, totum corpus gloriosum apparet? *Nihil ergo aliud*, ait Origenes, *in lege gloriosum habet Moyses, nisi solam faciem, in Euangelio autem, totus glorificatur ex integro.* Quæ maior est Thaboris prærogatiua, vt ibi Moyses gloriam accipiat maiorem, & cui in monte sola facies splenduit, in Thabor totum corpus redditum fuerit gloriosum? In promptu responsio est. Quid in Sina tractat Moyses? Populi administrationem: Quid in Thabor, de Christi morte loquitur, *Dicebant excessum eius*, hoc est, ait Lyranus, *Passionem eius futuram, quam sustinuit ex magna charitate, quæ dicitur excessus.* Cum ergo mors terminos humanos non transiliat; Quia tamen limites ita diuinos attingit, vt eius memoria, plusquam Dei præsentia, gloriam videatur ampliorem afferre. Perbellè, cum Moyses in Sina cum Deo conuersatur, nec mortis meminit, sola facies splendet; cum verò apud Thabor est, & de Christi morte cum eo loquitur, totum corpus splendore perfunditur. *Nihil ergo aliud, in lege, gloriosum habet Moyses, nisi solam faciem. In Euangelio autem, totus glorificatur ex integro, quia totus apparuit in gloria, colloquens cum Iesu.* Contestatum, hac ratione relinquens, quod mortis memoria, potentior quodammodo sit Dei præsentia, ad ampliorem gloriam cuilibet largiendam.

Gloria mortis præstat gloriæ potestatir.

Lyr. ibidem Luc. 9.



CAPVT VIII.

Quod mors tantum habeat Deitatis, vt qui eius memoriam retinet, Deo non vltra indigere videatur.



RATVS Deo Regius Vates, beneficia, quæ acceperat, recensens, primo loco posuit, quod vix credibile videtur. *Qui exaltas me de portis mortis*. Nouum dicendi genus. Nonne omnis magnitudo morte terminatur, & extinguitur? Ita quidem: Quomodo ergo Dauid, in ipsis mortis liminibus magnitudinem, & exultationem inuenit? Dicam. Sicut vbi mors aduenit, omnes huius vitæ magnitudines finiuntur, ita etiam quocunque eius memoria pertingit, adeo spiritum promouet, atque ad tantam perducit altitudinem, vt iam Deo sibi, vlterius, opus non esse videatur.

Ps. 9.

Mortis limina magnitudinem olēt.

Ordior probationem à Ruperto: qui expendit magna amoris officia, quæ Deus Abrahamo contulit. Verum quando plus videtur diligere, ipsique in omni euentu adesse, cum magis vrgeret subueniendi necessitas, tunc dereliquisse videtur: nimirum, cum dilectissima coniux Sara, in Ciuitate Arbee e vita discessir: *Vixit autem Sara centum viginti septem annis, & mortua est in Ciuitate Arbee*. In hac tristitię occasione, congruum videbatur, vt Deus Abrahamum suo aspectu solaretur. Verum, nec seruum inuisit, aut de coniugis obitu mærentem recreat: quinimò, vt notat Rupertus, nunquam postea dicitur, quod ei apparuerit. *Notandum est, quod Deus vlterius apparuisse non legitur*. Nonne quotidie, imo singulis penè horis Abrahamum inuisebat? ita quidem? Cur modo se retrahit, & aspectum denegat? Amicorum officia, cum magis vrget necessitas, exigunrur. Viuente Sara, non ita necessarium videbatur, vt Deus se videndum exhiberet; At verò mortua coniuge, tunc diuino solatio indigebat. Abscondit se, nihilominus, nec aspectu, nec alloquio dignatur amicum. Quare igitur Deus: cum ante Saræ mortem, magnam Abrahæ familiaritatem ostendebat; post quam verò illa obijt non amplius ei se videndum præbuit? Ratio est, quia, vt diximus, mors tantum habet Deitatis, vt quicunque eius memoriam retinet, Deo amplius non indigere videatur: viuente igitur Sara, Abraham mortem non recordabatur, & ideo Deus suam illi pręsentiam communicabat: postquam verò Sara e vita descessit, tunc subijt mortis memoria; quia non solum de illius sepultura cœpit esse sollicitus, sed insuper sibi ipsi sepulchrum emit. *Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex*. Quid vero sit duplex spelunca? exponit in hunc modum Abulensis. *Vocatur spelunca duplex, quia erant duæ speluncæ, & in vna sepeliebatur vir, & in alia vxor*. Itaque, non solum mortis memoriam conseruabat, sed insuper, de paranda sibi ipsi sepultura sollicitus erat. Si ergo eius naturæ est mortis memoria, vt qui illam habet, Deo non indigere videatur. Perbellè cum hæc Abrahamo deficit, nec illa tangitur, Deus illum frequenter inuisit. Quando autem mors in Patriarchæ memoria viuit, & de sepulchro sollicitus est, tunc quasi Dei visitatio, & præsentia non sit necessaria, Deus suum subtraxit aspectum, nec vltra Abrahamo se se videndum exhibuit: quia pro Dei præsentia sufficiebat mortis memoria, quam de proprio tumulo sollicitus retinebat, *in vna sepeliebatur vir*, & ideo Deum ipsi postmodum appatuisse non perhibetur. *Quod Deus vlterius apparuisse non legitur*.

Gen. 23.

Rub. ibi.

Mors Dei supplet præsentiam.

Abul. ibi.

Postquam Deus primos parentes in paradiso constituit, multoties, vt D. Chrysostomus adnotauit, illos inuisit. *Sæpe quidem in Paradiso apparuerat Deus Adæ, & Euæ*; vbi vero præceptum transgressi sunt, adfuit delictum exqui-

D. Io. Chrys.

rendo punituius: Cum autem pudorem aſpiceret, quo propter nuditatem aſſiciebarur, compatiens, illos induit. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Deinde e paradiſo expulit, nec vlt a ſuo dignatus fuit aſpectu. Quæro nunc: Quando Adam plus diuinis indigebat viſitationibus, antequam ipſius gratiam amitteret, an poſtquam per peccatum Dei amicitiam perdidit? licet homini ſemper neceſſatiæ ſint Dei viſitationes nihilominus indubitatum eſt, quod tunc temporis magis opus habeat a Deo viſitari, cum in peccatum incidit, & Dei gratiam amiſit: Proindeque non ita indigebat diuinis viſitationibus paradiſi incola, & Dei gratia adornatus, quam cum illa priuatus, exul à paradiſo, & pellitus, ad laborandum condemnatus fuit: quid igitur cauſæ eſt, vt antea ſæpe illum inuiſeret, nunc autem à viſitando abſtinuit?

Gen. 3.

Homini Dei viſitatio ſẽper neceſſaria.

Miror, vt qui nuditati compatiens de veſtibus prouidit, non item, deſolationem miſeratus, ſua recrearet præſentia. Cæterum, veſtem largiendo, viſitationis ſolatium ſuppleuit. Nam, vt calamitatibus, quas propter culpam incurrerant, mederetur, veſtes pelliceas parauit; Cur autem ex alia materia non contexuit? Reſpondet Toſtatus, vt per hoc eos mortalitatis admoneret. *Dedit ergo Deus primis parentibus veſtes iſtas pelliceas, propter tria: primò, vt notaret, eos iam eſſe mortales, quia eos mortuorum pellibus contegebat.* Addit Hugo, propterea veſtes ex pellibus confuiſſe, quia in illis mors ſignificabatur, quæ per culpam in mundum intrauerat. *Tunicas*, ait, *pelliceas induit eos, quibus ſignificatur mors, quæ poſt peccatum debetur naturæ*. Cum autem ſtatuerimus, eum, qui mortis memoriam retinet, videri, Deo non indigere; conuenienter diſpoſitum eſt, vt cum Adam peccauerit, Dei gratiam amiſerit: Deus de remedio prouidens, veſtes dederit pelliceas, in quibus mortalitatis admonebatur: atque adeo, mortem memoria recolens, diuinis viſitationibus non indigere quodammodo videretur: & ideo, quamuis ſæpè quidem alias vices apparuerat Deus Adæ, & Euæ; quia tunc non aderat mortis memoria, poſtquam verò peccatum admiſerunt, animalium mortuorum pellibus induit. *Tunicas pelliceas induit eos, quibus ſignificatur mors, quæ poſt peccatum debetur naturæ*: Et ſuccedente mortis recordatione, iam diuinis viſitationibus opus non habere videbantur.

Abul. in Gen. quæſt. 21.

Veſtes pelliceæ mortalitatem indicant.

Hug. Car. ibi.

Facit in hanc rem celeberrimum Iudith facinus. Cum enim Holophernes Betuliam obſideret, ſola fœmina hoſtem occidit, & vrbem obſidione liberauit, quod vt ageret, videndum eſt, quibus armis ſe præmuniuit. *Poſuit cinerem ſuper caput ſuum, lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrrho optimo*. Cinere itaque ſuper caput effuſo, præmiſſa corporis vnctione, & lotione, totam ſe contulit ad orandum Deum, feruentiſſimæ vacans orationi, ex qua, non expectato diuini oraculi reſponſo, ad hoſtem egreditur, fidens, quod eſſet conſecutura victoriam. *Sed* vndenam hæc fœminæ fiducia naſcebatur? Nouerit, qui cineris myſterium intelligat. Porrò cinis capiti inſperſus, vt ait Gloſſa interlinealis, mortem deſignabat. *Poſuit cinerem ſuper caput ſuum, ideſt memoriam fragilitatis, & mortis*. Quod vltra Myrrhum adhibuit, & teſte Hugo Cardinali. *Eſt myrrhum vnguentum optimum, de myrrha optima factum, & odoriferum*, quo perungi cadauera ſolebant: vt aſſerit D. Gregorius. *Myrrha autem mortuorum corpora condiuntur*. Proindeque inter mortis ſymbola reputatur: Hanc ergo memoriam pro armatura accepit Iudith, quæ, vt tenacius adhæreret, prius lauit corpus, & poſtea vnguento liniuit. *Lauit*, inquit Lyra, *corpus ſuum, vt melius reciperet vnguentum, & vnxit ſe myrrho optimo, ideſt vnguento, ex Myrrha pro magna parte compoſito*. Cum igitur quicunque mortis memoriam retinet, Deo vltra non indigere videatur, perbellè Iudith reſumpta mortis memoria, quam cinis, & vngueutum myrrhinum deſignabat. *Poſuit cinerem ſuper caput ſuum, ideſt memoriam fragilitatis, & mortis, & vnxit ſe myrrho optimo, ideſt vnguento, ex myrrha pro magna parte compoſito, quia myrrha mortuorum corpo-*

Iudith. 9.

Iudith. 10.

Cinis, ideſt mortis recordatio, magnũ gladium cõtra hoſtes.

Gloſ. int.

Hug. car. ibi.

D. Greg. hom. 10. in Euan.

Lyr. ibidem.

Corpus lotũ melius accipit vnguentum, & mũda anima melius gratiam.

ra

ra conduntur. Magna cum fiducia talibus armis præmunita, surrexit ab oratione, quasi iam Deo non indigeret, & ad hostem processit, a quo victoriam obtinere indubitanter sperabat.

Vltimam adhibeo manum, & locum profero ex Regum historia, vbi refertur, quo pacto mulier illa Pythonissa, ad Saulis preces, & imperium, Samuelem ad superos extraxit; subitò namque ad fœminæ incantationes, paludamento coopertus, & aspectu venerandus, apparuit Samuel. *Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio.* Quærit hoc loco Abulensis: quodnam erat eiusmodi pallium? quoniam in loco vbi Samuel tenebatur, nec vllæ vestes erant, nec vestium vsus necessarius. *Quæret aliquis, quomodo Samuel potuerit esse amictus pallio, quia apud Inferos, vbi ipse erat, vestes nullæ sunt.* Respondet Rabbi Salomon, Samuelem præcepisse, vt pallio, quo vtebatur viuens, sepeliretur mortuus, & quod in vita ad ornatum deseruierat, in morte ad funebre inuolucrum adaptaretur; Atque adeo comparens, idem pallium gessit, quo fuerat ad tumulum delatus. *Vnde dicit Rabbi Salomon, quod Samuel vtebatur pallio, dum viueret, & in eo sepultus, & cum eo apparuit.* Ecce tibi suo indutus pallio apparet, & Saulem redarguit, eo quod ad vitam præsentem extraxerit. *Quare*, inquit, *inquietasti me, vt suscitarer? quasi dicat*, ait Abulensis, *Eram in quiete mea, & fecisti me venire huc.* At quæres, quid nam quietis amisit Samuel, cum cælesti beatitudine, in qua vera est quies, non frueretur, & cæli ianua nulli hominum patuit, ante quam a Christo fuisset aperta? Respondet Abulensis. *Dicendum, quod nulla requie priuatus est, quia Samuel non erat tunc in vita æterna sed in Lymbo Sanctorum, cum vsque ad Christi mortem nemo ascenderit ad vitam æternam.* Quare ergo Samuel de quietis iactura conquæritur? quæ mala ipsum in mundum reuertentem inuenerunt, vt propterea dicat. *Quare inquietasti me?* Et si tota inquietudo in eo stetit, vt in mundum redierit. *Eram in quiete mea, & fecisti me venire huc:* cur tanquam Dei auxilium, & fauorem in inquietudinis remedium, & solatium non exposcit, qui ita de pallio fuit sollicitus, vt illud secum detulerit? Quare veniens aliquod à Deo priuilegium non requisiuit? In promptu responsio est. Iam reliquimus statutum, in morte tantum esse Deitatis, vt qui ipsius memoria tangitur, Deo non indigere quodammodo videatur: Cum igitur Samuel in mundum reuertitur, & de inquietudine quæratur, quamuis ad hoc diuino egeat auxilio; illud tamen non postulat: quia deferens pallium, quo fuerat sepultus, mortis memoriam conseruabat, quam retinens, non videbatur alio indigere Dei auxilio; & ideo, & si dicat. *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* Quasi dicat: *Erã in quiete mea, & fecisti me venire huc* non tamen inquietudinis solatium exigit, quia illud in mortis memoria habebat, quam pallium illud referebat. *Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio.* Et reuera qui mortis memoria tangitur, non habet vltra quod Diuinum exposcat auxilium; quia tanta inest morti deitas, vt qui eius recordationem seruat, Deo non indigere quodammodo videatur.

1. Reg. 18.

Abul. in 1. Reg. 18. q. 33.

Ornamenta apud Inferos non in vsum.

Abul. ibid. quæst. 32.

Abul. ibid. quæst. 34.

In mundo, nulla quies.

Nota.



CAPVT IX.

Quod maioris perfectionis culmen, in mortis recordatione suam habeat firmitatem.



MISIT Deus Moysem ad Pharaonem, & magnam adeò legato suo auctoritatem impertiuit, vt illum Pharaonis Deum constitueritt. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Vt autem diuinam potestatem sibi concreditam ostentaret, præcepit ei Deus, vt sumeret virgam, & percuteret puluerem, & statim erumperent Scyniphes, qui Deum in Moyse operari restarentur.

Exod. 7.

Exod. 8.

tur. *Extende virgam tuam, & percute puluerem terræ, & fiant Sciniphes in vniuersa terra Aegypti.* Paruit Deo præcipienti Moyses, puluerē percussit, Sciniphes prodierunt, confessa est Ægyptus Dei potestatem in legato suo operantem. *Digitus Dei est hic.* Cæterum; cum ad productionem Scyniphum, virgæ percussio nihil erat profutura, vt notauit Abulensis, dicens: *Ista percussio, naturaliter nihil operari poterat.* Ad quid ergo talis percussio fieri iubetur, quæ superflua apparet? quod nam fuit in hac parte Dei consilium, qui nouerat virgam percutientem, secundum naturæ ordinem, sciniphes non esse producturam? Respondet Abulensis. *Mandabat tamen percuti puluerem terræ, vt videretur, quod ad mandatum Aaron, ex parte Dei, isti sciniphes gignerentur, et iam non naturaliter ex aliquo casu factum fuit.* Itaque, ad tactum virgæ, sciniphes eruperant, non quia tactus ille gigneret, sed Dei potentia; quare ergo ad illius ostensionem coram Aegyptijs, mandat puluerem percuti? Expende, quid puluis designet, & agnosces. Porrò puluis mortis memoriam significat, iuxta illud *Memento, quia puluis es.* Si ergo maior perfectio suam firmitatem, ex mortis memoria sibi vendicat; Quando Deus coram Aegyptijs potentiæ suæ firmitatem ostentare decernit, iure optimo puluerem percutere præcipit, hoc est mortis memoriam adhibere, quo pacto firmior euadat eius perfectio, & Aegyptij diuinam potentiam fatebuntur, dicentes. *Digitus Dei est hic:* Et ideo: quamquam *ista percussio, naturaliter nihil operari poterat*, adhibetur tamen, vt diuinæ potentiæ firmitatem conciliet. *Mandabat tamen percuti puluerem terræ; vt videretur, quod ad mandatum Aaron, ex parte Dei, isti sciniphes gignerentur:* Et reuera omnis perfectionis culmen, in mortis memoria constitutum, suam habet firmitatem.

Et minimis, seu humilibus Dei dignoscitur potentia.

Tost. in Exo. 8.

Tost. vbi sup.

Gen. 3.

Nota.

Mundana potentia instar pulueris

Inquirendum tamen hic est: quænam fuerit hæc virga, ad cuius percussionem illa Scyniphum numerositas erumpebat. Respondet Abulensis, hanc esse Virgam Aaron, quam Moyses ex Madian attulerat, & in cuius virtute tot ediderat miracula; Quæ quidem nunc Moysis, nunc Aaron, & rursum Dei virga dicebatur. *Vocatur ista virga Aaron scilicet, quam duxit Moyses de Terra Madian, in qua omnia mirabilia facta sunt, quia Aaron ista, quæ scripta sunt, per eam operatus fuerat; Quæ aliquando vocatur virga Dei, aliquando virga Moysis.* Addit insuper D. Greg. Nyssenus. Virgam hanc esse crucis figuram. *Virga quoque, per quam Aegyptus corrigitur; & Pharao superatur, Crux Christi est, per quam mundus vincitur, & diabolus superatur, vel triumphatur.* Siue autem hæc virga fuerit Aaron, Dei quoque nominata, vt censuit Abulensis, siue Christi crux, vt placuit D. Gregorio: Quare, vt vinceretur Aegyptus, vel mundus, & diabolus à Christo superaretur, necesse fuit, vt puluerem terræ percuteret? Si Crucem dixetis; Christus ex ea pendens genus redemit humanum, atque adeo, non videbatur necessarium, vt puluerem terræ percuteret: Deinde Christus est summa perfectio, proindeque, vt mirabilia sua ederet, Cruce puluerem Terræ percutere non indegebat. Cæterum: mysterij causa factum est, vt virtutem in mortis memoria latentem manifestaret; Cum enim diximus, totius perfectionis culmen, omnem firmitatem suam in mortus memoria repositam habere: Christus autem, tanquam sũma præditus perfectione, de inferno triumphum agere nititur, cum ad executionem accedit, puluerem terræ tangat; ibi enim mortis memoria, vel potius morte ipsa, perfectionem suam extollet, mundum, & infernum vincet, ac de diabolo triumphabit. *Virga quoque, per quam Aegyptus corrigitur, & Pharao, Crux Christi est, per quam mundus uincitur, & diabolus superatur, uel triumphatur.* Et subinde notum fiet, tantam in morte virtutum inesse, vt quælibet maior perfectio, in ipsius memoria suam habeat firmitatem.

Tost. in Exo. 8.

Aaron virga Crucis symbolum.

Percussio pulueris, est mundi victoria.

D. Greg. Niss. sup. Ps. 11. de vit. Moy.

Hoc autem vt clarius innotescat, producenda est, & ponderanda illa Leuitici ceremonia: Igitur præcipiebat Deus, vt sacrificium, quod pro culpa sacerdotis offerretur, post quam dispo-

si-

situm esset, extra castra educeretur, in loco sacto, & immaculato sacrificaretur idest, ubi cineres proijci solebant. *Pellem uero, & omnes carnes cum capite, & pedibus & intestinis, & fimo, & reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent*. Variæ sunt huius loci expositiones, quibus interim omissis, iuxta Glossam interlinealem dico: locum accipi posse de cruento Christi sacrificio, qui extra portam passus est, & in cruce seipsum pro peccatis hominum obtulit immaculatum Deo: Igitur Glossa: *Efferet extra castra in locum Golgotha mundum, qui totum mundauit, mundum, quia ibi mundati sumus*. Nunc autem disquirendum est: si locus huic sacrificio destinatus tam sanctus est, & immaculatus; qualem dicebat esse eum, in quo Christus pro hominibus Patri, victima, offerendus erat? Cur de hoc loco dicitur, quod ibi cineres offundi solebant: Hinc enim sequitur, quod si indiget cineribus, integritate, & puritate caret, quæ ad sacrificium postulabatur: Quod si te vera integer, & sanctus est locus; vt quid cineres requiruntur, ac si illis indigeret ad vltimum puritatis complementum? quomodo igitur intelligendum est, locum eam habere puritatem, quæ requirebatur, & deinde ad puritatem perfectè obtinendam, cineribus indiguisse, vt propterea Cineres ibi, ex Dei mandato, effundi præciperentur? *Efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent*. Ante responsionem, adhibenda est, ex Ruperto, Cinerum significatio. *Locus*, inquit, *in quo cineres effundi solent, communis terra finus, & humanæ sepulturæ necessitas est: illic enim cineres, idest omnium mortalium corpora, mox in cineres resoluenda effundi solent*. Quod si; vt sentit D. Chrysostomus, locus, vbi erecta est Crux, erat Adæ Sepulchrum: *Quidam autem dicunt, quod in illo loco, qui Caluaria dicebatur, Adam mortuus est, & sepultus, vt in loco, ubi mors regnauit, illic & Iesus trophæum statuerit*. Chrysostomo assentitur Athanasius, dicens: *Vbi corruptum est genus humanum, ibi Christus proprium corpus exposuit, vt vbi seminata est corruptio, ibidem incorruptio oriatur; propterquod, in loco Caluariæ crucifigitur, quem locum Doctores Iudæorum aiunt, esse sepulchrum Adæ*. Iam ergo mysterium aperitur. Quod si perfectionis culmen, in mortis memoria suam habet firmitatem; cum Christus locum sanctû, & immaculatum est designaturus, in quo se Patri sacrificium offerret, & hominem Deo reconciliaret, ibique summæ perfectionis ostentationem ederet, vt talis perfectio in hominum existimatione firmitatem sortiretur, locum elegit, vbi cineres erant, hoc est, vbi humana corpora ad cineres reducuntur: Quoniam sepulchra mortis memorias excitant, & hæ summæ perfectioni firmitudinem addunt: Christus triumphator euadet, mundum vincet, & genus humanum liberabit, & ideo præcepit Deus, quod vt locus esset mundus, hoc est firmus, cineribus esset aspersus, in quibus mortis memoria significabatur. *Locus, in quo cineres effundi solent communis terræ finus, & humanæ sepulturę necessitas est*. Quia in sua memoria perfectio maiorem habet firmitatem. *Efferet extra castra in locum Golgotha mundum, qui totum mundauit mundum, quia ibi mundati sumus*.

Leuit. 4.

Glos. int.

Caluariæ locus sanctus, ab æuo.

Rup. l. 1. in Leuit. cap. 16.

D. Io. Chrys. in Ioann. 19. hom. 84.

S. Athan. in Luc. 23.

Christi perfectio ex mortis memoria firmata videtur.

Expendit egregiè Diuus Gregorius, quod Abraham, cum maiores à Deo fauores acciperet, & supplicium sodomitarum ei detegeret; tunc se puluerem, & Cinerem appellauit. *Respondensque Abraham ait: Quia semel cæpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis*. Erat ne hæc loquendi forma Abrahamo familiaris? Minimè, sed postquam hos à Deo fauores accepit, illa vsus fuit. *Nusquam legitur, Abraham se cinerem, & puluerem professum esse, nisi cum meruerit Dei locutionem habere*. Cur igitur modo se deprimit, cum altius à Deo extollitur? Cur se dicit cinerem cum ad Dei colloquium admittitur? Fors diuinos fauores contempsit? Nequaquam. Propter hypochrisim hoc egit? minimè. Quare ergo sic se humiliat, cum Deus exaltat? Respondet Gregorius: *Sancti, quanto magis diuinitatis interna prospiciunt, tanto magis se nihil esse conspiciunt*. Vnde nam hoc, vt cum fauoribus magis auctos

Gen. 18.

D. Greg. l. 18 mor. c. 33.

Sancti De fauoribus nō extolluntur.

vbi sup.

ctos à Deo se intuenrur, tunc ad cineris abiectionem vilitatemque depriruntur? Dicam. Nonne statuimus perfectionis culmen, ex mortis memoria suam firmitatem mutuari? ita quidem; cum autem cineris meminerunt; quid aliud agunt, quam mortis meminisse? Verum est. Si ergo, cum mortis adest memoria, perfectio firmitatem habet: cum ad culmen extollun- tur, ex Dei fauore, vt ibi firmitatem habeant, ad mortis memoriam, tanquam ad asylum, confugiunt. Nunc autem: cum Abraham Diuinos fauores sensit, cum se ad perfectionis culmen elatum conspexit, absque mora ad mortis memoriam recurrit; quia in perfectione firmitatem ambit: Quoniam verò nunquam ante hac ad tantę virtus apicem conscenderat: ideo nunc se puluerem fatetur,& cinerem; quia ad perfectionis, qua potitur, firmitatem, mortis memoria indigebat. *Nusquam legitur Abraham se cinerem, & puluerem professum esse, nisi cum meruerit Dei locutionem habere.* Ibi enim perfectionis apex suam habet firmitatem.

Mortis memoria Dei fauores firmat.

Pulcherrimo Ioannis cogitatu rem hanc illustro, Igitur dilectus Christi discipulus feruores recenset, quos in vltima cœna omnium Magister, & Dominus, discipulis contulit, præsertim, cum ad potentiæ, amorisque ostentationem, sub panis, & vini speciebus se epulandum apposuit, in quo vt Sanctus Thomas scripsit, omnium mirabilium epilogus continetur. *Vnde* inquit, *vt arctius huius charitatis immensitas fidelium cordibus insigeretur, in vltima cœna, quando Pascha cum discipulis celebrato, transiturus erat de hoc mundo ad patrem, hoc sacramentum instituit, tanquam passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletiuum, miraculorum ab ipso factorum maximum, & de sua contristatis absentia solatium singulare.* In hac igitur cœna, vbi primum Ioannes Christi corpore se refecit, statim supra Christi pectus recumbens, obdormiuit. *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Miror hunc Ioannis somnum; opportunius enim videbatur, vt

S.Thom. opus. 57.

Eucharistia animæ solatium.

Ioann. 13.

post eius beneficij magnitudinem, totum se in gratiarum actionem effunderet, & nouas in pectore suo amoris flammas excitaret, quo amorem sibi à diuino præceptore, & amante impensum, rependeret; dormit tamen Ioannes: Nec vacat mysterio somnus iste, præsertim, quia tunc Christus traditionem, ab vno ex cœnantibus faciendam, aperuit, & cùm alij turbarentur, solus Ioannes dulcem in Christi pectore somnum captabat, vt egregiè D.Chrysostomus aduertit, dicens: *Omnibus autem trementibus, & ipso vertice, scilicet Petro, formidante: Ioannes, velut dilectus, recubuit in sinu Iesu.* Quod si somni causam scire, & mysterium cupis agnoscere, Chrysostomum ausculta. *Si autem huiusmodi familiaritatis causam, queris discere: amoris res erat; propterea dicit: quem diligebat Iesus. Quamuis enim, & alij amarentur, tamen iste plus alijs.* Itaque amor Christi in Ioannem, & erga ipsum familiaritas, in causa sunt, vt propter somnum, & quasi incuriam non sit arguendus; eo quod diem alij audita traditione turbantur, ipse securus, & dormiens in Christi pectore requiescat. Quid ais auream os? vbi Ioannis culpam extenuas, hic ego illam augeri deprehendi, si enim plus diligebatur, si altius virtutum culmen attingebat? si tanta perfectione erat præditus, vt præ cæteris amari dignus habetur: plus omnibus inuigilare, & attentus esse debuerat. At si dicis: *Omnibus autem trementibus, & ipso etiam vertice, scilicet Petro, formidante, Ioannes, velut dilectus recubuit in sinu Iesu.* Dormit cum alij præ sollicitudine, & pauore, de Magistri venditione turbantur. Quomodo amicitiæ leges, & officia custodit? optimè quidem. Dicimus enim perfectionis apicem, in mortis memoria sitam habere omnem firmitatem. Ioannes verò ad perfectionis culmen euectus, & speciali amoris prærogatiua titulatus, vt se diuino Præceptori gratum exhibeat; firmus, & stabilis in amore, & perfectione consistere tenetur: hoc autem vt assequatur, ad somnum confugit, & in pectore Iesu dormit, *recubuit in sinu Iesu.* Quid autem est somnus, nisi

Tuta conscientia, secura dormit, æteris pauentibus.

S. Io. Chris. hom. 71.

Vbi sup.

Qui plus amat plus vigilat.

mortis imago. Hæc autem mortem in memoriam reducit, cum ergo mortis memoria perfectionem quamcumque firmam reddat, ac stabilem: opportunè Ioannes, cælesti pane refectus, præcipuo Christi amore dignus, inter cæteros familiaritatis gratia præcellens, ad virtutis apicem euectus, vt in his omnibus sit stabilis, & firmus, ad mortis memoriam, dormiendo, recurrit. Auream iterum Chrysostomi clauem immitto. *Si autem homini familiaritatis causam quæris discere: amori referat: propterea dicit, quem diligebat Iesus: quamuis enim & alij amarentur, tamen iste plus alijs.*

Præcipiebat Deus, vt ad sacrificiorum munditiem, vasa, & Altare, cineris aspersione mundarentur. *Sed & Altare mundabunt cinere.* At quænam cineri mundities, quæ potius inficeret? & reuera vt notat Lorinus, textus ipse significat, cineres potius inficere quam mundare. Audi sic eum fantem. *Cinefacient, potuit hoc loco, interpres reddere, quo vtitur verbo Lucilius.* Carminibusque, his patet.

At nos horrifico cinefactũ te prope busto;
Insatiabiliter deflebimus.

Quomodo ergo mundatur, quod cinere aspergitur, & inficitur? Quod enim mundatur, abstergitur, quod cineribus aspergitur, maculatur. Pugnat apertè cinis, & mundities, purificatio, & cinerefactio, nisi mysterium hic inueneris; quod vt intelligas, videndum quale erat huiusmodi Altare. Lyranus, & Hugo Cardinalis censent hoc altare esse illud, in quo sacrificia, & holocausta offerebantur. *Sed Altare, scilicet holocaustorum, mundabunt cinere.* At verò Altare holocaustorum est, in quo summa perfectio requiritur, & cinis, quo mundari præcipitur, mortis memoriam designat. Congruè igitur cum Deus in eo altari omnem munditiam, & perfectionem requirit, ac in perfectione firmitatem, illud cineribus mundari iubet: quippe cum omnis perfectio suam firmitatem ex mortis recordatione mutuetur, consequens erat, vt Altare sanctum, & immaculatum permaneret, & cineris aspersione mundatum, in perfectione, & puritate firmitudinem obtineret: quam cinis, hoc est mortis memoria, cinere significata, illi conferebat, *sed Altare holocaustorum mundabunt cinere.*

Num. 4.

[Lo]rĩ. in c. 4. [Nu]mer. 15.

[L]yr. ibidem. Hug. car. ibi.

Altaria mortis recordatione mundantur.

Claudo primi parentis somno illo prorsus mystico, quo sopitus dormiuit in paradiso. *Immisit ergo Dominus Deus soporem, in Adam:* & verò, ait Abulensis; *Non fuit iste somnus ex causa naturali, quia solet accidere somnus ex labore, uel ex repletione cibi, & potus; nihil autem horum adhuc erat in Adam, vt patet intuenti; quia nondum comederat. Cum esset hoc parum post suam formationem non laborauerat, non erat in tenebris. Immisit soporem, scilicet supernaturaliter.* Eodem respicere videntur illa Tertulliani verba, ex lib. de anima, cap. 43. vbi sic. *Ante dormit, quam laborauit, imò quam edit, imò quam præfatus est.* Itaque, infert Lyranus, somnus ille, non naturaliter accidit, sed ex supranaturali causa prouenit. *Ex quo patet, quod iste sopor, non fuit naturaliter causatus, sed à Deo immissus.* At inquires: quidnam mysterij extet in hoc sõmno, vel quid Dei intererat, vt dormiret Adamus, & quando naturaliter dormire adhuc non poterat, soporem immittere supernaturaliter? Tertullianus somnum retulit ad mortis imaginem, cuius ille est simulacrum. *Vnde deducimur, mortis imaginem etiam iam tunc eum recensere.* Verum, cum adhuc mors non esset; siquidem Adam in innocentia persistebat, & post mandati transgressionem, & culpam, mors intrauit in mundum: quo fine tanto antea mortis repræsentatio immittitur. Opportunè tunc mortis memoria inijcitur; quia, cum Adam in Dei gratia tunc esset, & summum perfectionis apicem teneret, vt in ea firmitatem haberet, mortis memoria dormiens tangitur: quia omne perfectionis culmen, suam firmitatem ex memoria mortis desumit. Et quia somnus naturaliter accidere non poterat, supernaturaliter prouocatur. *Ex quo patet: quod iste sopor, non fuit naturaliter causatus, sed à Deo immissus.* Et quidem fugiente somno, & mortis memoria euanescente, defuit Adamo firmitas, & cecidit; quia per-

Gen. 2.

Abul. ibidem quæst. 23.

Tertul. lib. de ani. c. 43.

Lyr. ibi.

Sõnus Adæ fuit supernaturalis.

Tert. vbi sup.

Mortis memoria etiam in statu innocentiæ opportuna.

perfectionis apex in mortis recordatione solidatur.

CAPUT X.

Quod mortis memoria, malum conuertit in bonum, imbecillitatem in fortitudinem; & de maiori potestate triumphat.



LOCVTVS olim Deus cum Abraham, oculos in altum præcepit extollere, ac in omnes mundi plagas conuertere, spondens, vt quidquid desideraret, libenter ei daturum, *Leua oculos tuos, & uide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem: Omnem terram, quam conspicis tibi dabo, & semini tuo in sempiternum.* Certa omninò est pollicitì fides, vt docuit S. Augustinus. *Non hoc solum*, inquit, *promissum est; non enim dictum est, tantum terræ tibi dabo, quantum uides*, Sed tibi dabo terram, quam vides, illud expendendum est, quod adiunxit. *Faciamque semen tuum sicut puluerem terræ*. Cæterum, qui ingentes diuitias, & numerosam prolem, cum æternitate certantem promiserat; Cur hanc pulueri comparat, qui ventorum ludibrio expositus, facilè rapitur, & dispergitur? Ex quo sequi videtur, progeniem non excelsam, & æternam fore, sed humilem, & ocijssime volaturam, pulueris instat, cui assimilatur. Hugo Cardinalis, ad multitudinem hoc retulit, & hyperbolicè dictum existimat. *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ, idest multum, & est hyperbole.* Nec mirum, vt promittens diuitiarum multitudinem, & prolis numerositatem, pulueris vtatur similitudine, quia magna in hoc congruentia repetitur. Quid intendit diabolus cum Adam ad culpam impulit? Porrò ipsius destructionem, & naturam humanam Deo caram, ac tot Dotibus adornatam, mortis interuentu, in puluerem reducere, assecutusque est, quod intenderat: peccante enim Adamo, dixit ei Deus. *Memento quia puluis es.* In puluere, itaque, mortis memoria inuenitur: vt ergo dæmon, qui per culpam, hominis destructionem, & in mundum mortem introducere moliebatur, videat, mortis memoriam malum immutare in bonum, fragilitatem in fortitudinem conuertere, ac de maiori potentia triumphare; cum Abrahamum ditare, & prolis numerositate, ad dæmonis inuidiam, Deus intendit, magnitudinem illam pulueri assimilat; dum enim mali recordatione tangitur, mortis memoria, in bonum commutari sentiat, & dum debilem videt, cum progenies illi æterna promittitur, adeo fortis euadit, vt de diaboli astutia triumphet, & clarissimam de ipsius potestate victoriam adipiscitur. Hinc iam meritò dixit Hugo, multum à Deo datum, & in pulueris similitudine, magnam hyperbolem contineri. *Faciamque semen tuum sicut puluerem terræ, idest multum, & est hyperbole*. Siquidem, mortis memoria, malum conuertit in bonum, debilitatem in fortitudinem mutat, deque maiori potentia triumphum agit.

Non longè diuersus abit ab hoc cogitato lepræ morbus, quo Deus Ægyptios olim percussit; nam vt homines, & animalia contagione inficerentur: Moysi, & Aaron præcepit, vt accipientes cinerem, in aerem proijcerent, & cinis ita proiectus, in puluerem conuerteretur, ac super homines decidens, lepra inficeret. *Et dixit Dominus ad Moysen, & Aaron: tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum, coram Pharaone, sitque puluis super omnem terram Aegypti: erunt enim in hominibus, & iumentis vlcera, & vesica turgentes in vniuersa terra Aegypti*. Hic iam inquirendum est: cur ad infligendam hanc vlcerationem, & turgentium vesicarum plagam, cineris ministerio vtitur, & hunc in aerem proijci iubet, vt inde cadens om-

Gen. 13.

Aug. l. 16. de ciuit. c. 21.

Hug. Cardin.

Gen. 3.

Dæmon puluere castigatur, qui hominem puluerem fecit.

Exod. 9.

nes

nes inficiat, cum facilè posset alia via Pharaonem punire? Adde, quod cinis in aerem proiectus, ita euanesceret, vt facilè in puniendo impio, Dei intentum illudere posset: Quæres deinde: hic cinis, vnde nam erat extrahendus? equidem de fornace respondet S. Augustinus. *Alia litera dicit: sumite plenas manus vobis fauillæ de fornace.* Opportuniores quidem essent ex fornace ardentes prunæ, ad vindictam inferendam, quam cineres. Cur ergo has accipere non iubet? siquidem ex fornace instrumentum accipit vltionis, & elementum ignis adhibet ad vindictam, vt Lyranus adnotauit. *Ex quo patet, quod ista plaga facta est ex elemento ignis, quia cineres illi, accepti sunt de camino ardenti; vt magis sonat in Hebræo.* Relicto tamen igne, adhibet cineres, quia quanto debiliores sunt, tanto ad potentiæ ostensionem aptiores; & verò hac plaga voluit Deus, vt censuit Lyra, punire Ægyptios, quia decoquendis lateribus, filios Israel affligebant. *Et correspondet plaga ista culpæ Aegyptiorum, quia afflixerant Hebræos in decoctione laterum in igne fornacis.* In eadem sententia fuit Abulensis, dicens. *Assumptus cinis de camino, ad significandam causam, ex qua illa plaga infligebatur: erat enim huiusmodi plaga in elemento ignis, cum ipsi cineres de igne sumpti essent, ad correspondentiam afflictionis Hebræorum in decoctione laterum.* Videamus nunc: quid in hac Hebræorum afflictione illos amplius cruciabat: Planè lateres subigere, puluerem humiditate coniugere, inter coquendum cinis ardens, qui se attollens adhærebat ipsis, eosque adurebat. Et quidem puluis, & cinis in hoc exercitio fragiliores erant, & in vtroque malum pœnæ sentiebant: Iam verò puluis, & cinis mortis figuræ sunt. Cum ergo mortis memoria malum conuertatur in bonum, imbecillitas in fortitudinem, deque maiori potentia triumphet: quando Deus intendit, vt populus suus de Pharaone triumphet, iubet cinerem accipere, qui in aerem dispersus, vertatur in puluerem, vt ita memoriã mortis habentes, quam cinis adsignificat, malum, quo fatigabantur, in bonum suæ libertatis immutetur, Et imbecillitas, quam cinis vento dispersus repræsentat, in fortitudinem transit: atque adeo plenis vlcerum hostibus, de illorum tyrannide triumphus agitur. Et propterea de fornace, non ignis, sed cinis accipi iubetur. *Erat enim huiusmodi plaga in elemento ignis, cum ipsi cineres de igne sumpti essent, ad correspondentiam afflictionis Hebræorum in decoctione laterum.*

Aug. in Exo. quæst. 31.

Lyra. ibid.

Lyra.

Plaga respódet culpæ.

Tost. ibi.

Communem locum expendamus, vt inde illustrior euadat noster cogitatus. Gratiæ dotibus adornatus degebat in Paradiso Adam, quem, vt dæmon spoliaret, ac de gradu honoris deturbaret, per culpæ suasionem, morti obnoxium redderet, ad comedendum ex pomo vetito, promissa diuinitate, suasit. *Eritis sicut Dij.* Vicit astutus impr709uidum, & diuinitatis male amantem, cecidit namque Adam, & cum præ verecundia, ex nuditate profecta, diuino conspectui se dare non auderet, Dominus miseratione commotus, pellibus vestiuit animalium. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas. Hic ponitur,* ait Abulensis. *misericordia Dei cum Adam, & Eua: quia licet puniat, semper tamen miseretur; tunicas pelliceas, idest de pelle factas.* Induto igitur pellibus Adamo, ait Deus: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Mira dicendi ratio, quid nunc Adam gratia spoliatum, & ex amico factum inimicum, Deitati similem dicat. Verum Theodoretus ironicæ dictum existimat. *Hoc per ironiam a Domino dictum est, vt ostendat, fuisse diaboli promissionem, eritis sicut Dij.* At quid inerat Adam sub illo pellium tegumento, vt diuinitatis speciem referret, cum potius pelles illæ fragilitatis, & culpæ testimonium exhiberent? ideo enim ex Hugonis sententia, animalium mortuorum pellibus indutus est, vt mortis, quam propter peccatum incurrerat, admoneretur. *Fecit quoque Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, quibus significatur mors, quæ post peccatum debetur naturæ.* Si ergo mortis testimonium erant vestes illæ, cur illis Indutus Deo similis dicitur? Congruentius forsan hoc dixisset, quando

Gen. 3.

Abul. in Gen. c. 3. quæst. 40.

Mortis memoria Deo assimilat.

Theod. in Gé. 3. quæst. 40.

Hug. Car. ibi.

ex folijs ficus sibi vestes consuerant. Noluit tamen, nisi post pellium operimentum, quia ibi latebat dicti mysterium. Solet nonnunquam in scena quispiam Regis personam agere, & quandiu scena durat, Regium nomen, & applausus perseuerat, & quamquam Rex non sit, vestium ornatus Regem demonstrat. Non aliter Adam, *Deo* similis non erat, ad illusionem tamen dæmonis, similis Deo dicitur. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis:* Et hoc quando pellibus erat indutus, quæ sunt mortis symbolum, & verò mortis memoria tantum habet Deitatis, vt cum Deus vellet Adamum deitatis speciem referre, illum pellibus animalium mortuorum, hoc est mortis memoria induerit, & hinc iustè dicere potuit. *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis.* Non-

Indumenta ipsa, mortales admonēt

ne in hac mortis memoria continetur quidquid in Adam infirmius est, & magis imbecille? Ita planè, siquidem mortis admonet. Quare ergo, inter has memorias, ex Dei ore ad dæmonis irrisionem audit. Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis? Porrò vt agnoscat, mortis memoriam, malum conuertere in bonum, imbecillitatem in fortitudinem commutare, & de maiori potestate triumphum agere: idoque primum pellibus induit, & postea dicit. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, quibus significatur mors, quæ post peccatum debetur naturæ.*

Pro vberiori propositi instituti illustratione se offert celebre Mardochei factum, quod in libro Esther enarratur: Cum enim, suadante Aman Rex Assuerus contra Mardocheum mortis sententiam pronuntiasset, Miscellus homuntio, audito mortis nuntio, sacco se induit, cinereque aspersit.

Esther. 4.

Quæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti. Mirandus certè damnandi statim hominis habitus, cinis, & saccus. Quid hinc solatij, in tali constitutus angustia capiebat? plurimum equidem, si finem expectes. Etenim Mardochæus, triumphator euasit, & Aman suspendio vitam amisit.

Multum solatij in mortis imagine.

Vnde nam hæc fortis mutatio, vt damnatus viueret, & qui damnationis auctor extiterat, damnationis sententia feriretur? Memoria repete quid egerit Mardochæus, audito mortis nuntio, vestes scidit, sacco se induit, & cinere aspersit, quæ omnia mortem in memoriam reuocabant: vt Cardinalis Hugo, & Glossa interlinealis sustinent.

Glos. inter. Hug. Car. ibi.

Indutus est sacco spargens cinerem, idest recordationem humanæ fragilitatis; vnde cinis es, & in cinerem reuerteris. Capiti, idest menti. At vero starum reliquimus, mortis memoriam malum conuertere in bonum, fragilitatem immutare in fortitudinem, deque maiori potestate triumphum agere. Hinc est, quod Mardocheus, ingruente malo, & instante mortis sententia, vt malum conuerteret in bonum, imbecillitatem mutaret in fortitudinem, & de aduersarij potestate triumpharet, ad mortis memoriam se contulit; cinerem capiti adhibuit, hoc est mortis recordatione mentem affecit: & sic, ex afflicto hilaris, ex imbecillo fortis euasit, de aduersario suo feliciter triumphauit. *Indutus est sacco, spargens cinerem, idest recordationem humanæ fragilitatis, vnde cinis es, & in cinerem reuerteris: Capiti, idest menti.* Adeo potens est, ad huiusmodi mutationes, ac triumphos mortis recordatio.

Ingruente aduersitate, mortis memoria adhibenda.

Quod tandem clarius demonstro, & in primis expendo verba illa. *De maiori potestate triumphans.* Quænam maior est potestas? Planè diuina. Sed de hac mortis memoria triumphat, vt iam ostendo. Venienti ex Mesopotamia Iacob, noctu Angelus ei occurrit, cum quo vsque ad auroram luctatus est: verum antequam Angelus discederet, Iacob in fæmore percussit, vnde secuta est claudicatio. *Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit neruum famoris eius, & statim emarcuit.* In promptu erat existimare, quod Iacob videns percussionem a lucta desisteret, & se victum fateretur. Verum tunc maiorem exprompsit fortitudinem, vt ipse Angelus fatetur. *Contra Deum fortis fuisti.* Et verò, cum primum percussit, rogat dimitti. *Dixitque ad eum dimitte me.* At qui demitti preca-

Gen. 32.

tur,

tur, superioritatem in aduersario recognoscit, & se victum pronunciat. Hugo Cardinalis: *Quasi victus esset Dominus, dicit: Dimitte me*. Nec se victum fateri verecundatur, quia veniente aurora, victoriæ testimonium referebat. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*. Miraris, quod cum Deus summæ sit, & insuperabilis fortitudinis, homo imbecillus, & fragilis, & insuper in femore percussus, nihilominus contra Deum præualeat, & fortiorem se demonstret; vnde nam dices, tantæ homini vires, ac fortitudo prouenit, vt Deum superet? colligi videtur ex Hebraico contextu, vbi enim vulgatus interpres ait. *Ecce vir luctabatur cum eo, vsque mane*, habet: *Et ecce puluerizabatur vir secum vsque ascenderet aurora*. Quo verbo frequens feruentis luctæ motus exprimitur, crebra namque pedum mutatione agitabatur puluis, & luctantes inficiebat, & præ claudicatione Iacob frequentius mouebatur, pulueremque magis excitabat. Iste vero puluis, quid aliud, quam mortis memoriam designat, cuius virtute Iacob contra Deum fortis extitit, vt innuere mihi visus est Theodoretus, dicens. *Omnia bona, quæ fecit Israel, fecit merito illius pulueris pedum Patris nostri Iacob*. Et quidem tantum virtutis inerat pulueri, propter memoriam mortis, quam referebat, vt propter illum Iacob de Deo triumpharit: siquidem, vt diximus, tam potens est mortis memoria, vt malum mutet in bonum, fragilitatem conuertat in fortitudinem, & vlterius, de maiori potestate, qualis est diuina, triumphet. *Et ideo, quasi victus esset Dominus dicit, dimitte me*. Iacob verò tanquam victor, non nisi obtenta benedictione, se dimissurum, protestatur. Cum autem benedictionem obtinuit, expertus est malum claudicationis virtute pulueris, idest mortis memoria in bonum sibi immutarum fuisse, fortior factus: cum imbecillus videbatur, & percussus, & claudus, de Deo triumphum egit, ac ipsius potentiam visus est superasse. Theodoretum repeto. *Omnia bona, quæ fecit Israel, fecit merito illius pulueris pedum Patris nostri Iacob*.

Hug.Car.ibi.

Mortis memoria fortē coram Deo facit.

…t. Hebræ.

Theodor.

FINIS LIBRI TERTII.



ex folijs ficus sibi vestes consuerant. Noluit tamen, nisi post pellium operimentum, quia ibi latebat dicti mysterium. Solet nonnunquam in scena quispiam Regis personam agere, & quandiu scena durat, Regium nomen, & applausus perseuerat, & quamquam Rex non sit, vestium ornatus Regem demonstrat. Non aliter Adam, Deo similis non erat, ad illusionem tamen dæmonis, similis Deo dicitur. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis:* Et hoc quando pellibus erat indutus, quæ sunt mortis symbolum, & verò mortis memoria tantum habet Deitatis, vt cum Deus vellet Adamum deitatis speciem referre, illum pellibus animalium mortuorum, hoc est mortis memoria induerit, & hinc iustè dicere potuit. *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis.* Nonne in hac mortis memoria continetur quidquid in Adam infirmius est, & magis imbecille? Ita planè, siquidem mortis admonet. Quare ergo, inter has memorias, ex Dei ore ad dæmonis irrisionem audit, Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis? Porrò vt agnoscat, mortis memoriam, malum conuertere in bonum, imbecillitatem in fortitudinem commutare, & de maiori potestate triumphum agere: idoque primum pellibus induit, & postea dicit. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, quibus significatur mors, quæ post peccatum debetur naturæ.*

Indumenta ipsa mortales admonet

Pro vberiori propositi instituti illustratione se offert celebre Mardochei factum, quod in libro Esther enarratur: Cum enim, suadante Aman Rex Assuerus contra Mardocheum mortis sententiam pronuntiasset, Misellus homuntio, audito mortis nuntio, sacco se induit, cinereque aspersit. *Quæ cum audisset Mardocheus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti.* Mirandus certe damnandi statim hominis habitus, cinis, & saccus. Quid hinc solatij, in tali constitutus angustia capiebat? plurimum equidem, si finem expectes. Etenim Mardocheus, triumphator euasit, & Aman suspendio vitam amisit. Vnde nam hæc fortis mutatio, vt damnatus viueret, & qui damnationis auctor extiterat, damnationis sententia feriretur? Memoria repete quid egerit Mardocheus, audito mortis nuntio, vestes scidit, sacco se induit, & cinere aspersit, quæ omnia mortem in memoriam reuocabant: vt Cardinalis Hugo, & Glossa interlinealis sustinent. *Indutus est sacco spargens cinerem, idest recordationem humanæ fragilitatis; vnde cinis est, & in cinerem reuerteris. Capiti, idest menti.* At vero statuium reliquimus, mortis memoriam malum conuertere in bonum, fragilitatem immutare in fortitudinem, deque maiori, potestate triumphum agere. Hinc est, quod Mardocheus, ingruente malo, & instante mortis sententia, vt malum conuerteret in bonum, imbecillitatem mutaret in fortitudinem, & de aduersarij potestate triumpharet, ad mortis memoriam se contulit; cinerem capiti adhibuit, hoc est mortis recordatione mentem affecit: & sic, ex afflicto hilaris, ex imbecillo fortis euasit, de aduersario suo feliciter triumphauit. *Indutus est sacco, spargens cinerem, idest recordationem humanæ fragilitatis, vnde cinis es, & in cinerem reuerteris: Capiti, idest menti.* Adeo potens est, ad huiusmodi mutationes, ac triumphos mortis recordatio.

Esth. 4.

Multum solatij in mortis imagine.

Glos. inter. Hugo Car. ibi.

Ingruente aduersitate, mortis memoria adhibenda.

Quod tandem clarius demonstro, & in primis expendo verba illa. *De maiori potestate triumphans.* Quænam maior est potestas? Planè diuina. Sed de hac mortis memoria triumphat, vt iam ostendo. Venienti ex Mesopotamia Iacob, noctu Angelus ei occurrit, cum quo vsque ad auroram luctatus est: verum antequam Angelus discederet, Iacob in fæmore percussit, vnde secuta est claudicatio. *Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit neruum fæmoris eius, & statim emarcuit.* In promptu erat existimare, quod Iacob videns percussionem a lucta desisteret, & se victum fateretur. Verum tunc maiorem exprompsit fortitudinem, vt ipse Angelus fatetur. *Contra Deum fortis fuisti.* Et verò, cum primum percussit, rogat dimitti. *Dixitque ad eum dimitte me.* At qui demitti precatur,

Gen. 32.

Hug. Car. ibi. tur, superioritatem in aduersario recognoscit, & se victum pronunciat. Hugo Cardinalis: *Quasi victus esset Dominus, dicit: Dimitte me*. Nec se victum fateri verecundatur, quia veniente aurora, victoriæ testimonium referebat. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*. Miraris, quod cum Deus summæ sit, & insuperabilis fortitudinis, homo imbecillus, & fragilis, & insuper in fæmore percussus, nihilominus contra Deum præualeat, & fortiorem se demonstret; vnde nam dices, tantæ homini vires, ac fortitudo prouenit, vt Deum superet? colligi videtur ex Hebraico contextu, vbi enim vulgatus interpres air. *Ecce vir luctabatur cum eo, vsque mane*, haber: *Et ecce puluerizabatur vir secum vsque ascenderet aurora*. Quo verbo frequens feruentis luctæ motus exprimitur, crebra namque pedum mutatione agitabatur puluis, & luctantes inficiebat, & præ claudicatione Iacob frequentius mouebatur, pulueremque magis excitabat. Iste vero puluis, quid aliud, quam mortis memoriam designat, cuius virtute Iacob contra Deum fortis extitit, vt innuere mihi visus est Theodoretus, dicens. *Omnia bona, quæ fecit Israel, fecit merito illius pulueris pedum Patris nostri Iacob*. Et quidem tantum virtutis inerat pulueri, propter memorim mortis, quam referebat, vt propter illum Iacob de Deo triumpharit: siquidem, vt diximus, tam potens est mortis memoria, vt malum mutet in bonum, fragilitatem conuertat in fortitudinem, & vlterius, de maiori potestate, qualis est diuina, triumphet. *Et ideo, quasi victus esset Dominus dicit, dimitte me*. Iacob verò tanquam victor, non nisi obtenta benedictione, se dimissurum, protestatur. Cum autem benedictionem obtinuit, expertus est malum claudicationis virtute pulueris, idest mortis memoria in bonum sibi immutatum fuisse, fortior factus: cum imbecillus videbatur, & percussus, & claudus, de Deo triumphum egit, ac ipsius potentiam visus est superasse. Theodoretum repeto. *Omnia bona, quæ fecit Israel, fecit merito illius pulueris pedum Patris nostri Iacob*.

Mortis memoria fortē coram Deo facit.

Lit. Hebrea.

Theodor.

FINIS LIBRI TERTII.





LIBER QVARTVS.
DE MIRIS MORTIS EFFECTIBVS.



CAPVT PRIMVM.

Quod tam potens sit mors; vt sola ipsius memoria improbriorem hominem faciat magis probum: & quando humanior est, diuiniorem reddat?

FILIVS ille Prodigus, fame reuocatus, in domum paternam regrediebatur, vnde eum saturitas expulerat. Ecce tibi Pater à longe venientem inspexit, e domo egreditur, venienti occurrit, amplectitur, vestit, domi exceptum opipero recreat conuiuio, & tota domus tybiarum, & Simphoniæ concentibus resonabat, quasi tota hæc festiuitas propter filium, quem pater à mortuis reuocatum existimabat. *Adducite*, inquit, *vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit.* Prodigus iste communi sensu intelligitur Peccator per culpam mortuus, & per pœnitentiam suscitatus. Vnde monet Angelus

Luc. 15.

Qui in delicto est, mortuus censetur.

à Pace: *Expedit quidem vniuersos lætari, quia diu multum nimis hic adolescentior filius meus, adolescentijs suis mortuus erat penitus, & modo per eum, qui vita est, reuixit ad meliorem statum.* Hæc ille: breuius tamen, & elegantius D. Ambrosius. *Qui verò lapsus fuerat, per pœnitentiam reuiuiscit.* Notanda tamen sunt scripturæ verba: etenim si peccator est, mortuum dicere conuenit: si pœnitentiam egit, suscitatus dicatur, & quando ad gratiam redijt e culpæ statu exijsse dicatur, & non suscitatum fuisse, quia ille dicendi modus videtur accommodatior. *Cur ergo dicit: qui verò lapsus fuerat, per pœnitentiam reuiuiscit?* Non parua est terminorum differentia; qui enim dicit: conuersus est: nullo modo ad mortem respicit; qui autem ait: surrexit ad mortem attendit. Benè igitur cum de conuersis loquitur, verba adhibet, quæ relationem dicunt ad mortem. Quia, vt dicimus tam

Fra. Ang. à Pace ibi ... 24. li. 16.

Ambr. l. 9. ... de duob. fil.

Pœnitentia viuificat.

Nullus peccatore infelicior aut poenitente fælicior.

potens est mors, vt sola ipsius memoria sceleratiorem hominem efficiat magis probum, & qui humanior est redditur diuinior. At verò nullus ad infęliciorem, quam ad culpæ statum deueniri potest. Nec fæliciorem esse, quam cum ad statum gratiæ reuertitur. Et quidem in statu culpæ extremum humanæ miseriæ attingit: In statu verò gratiæ diuinus quodammodo redditur. Cum igitur ex statu culpæ ad statum gratiæ reddit, benè suscitatus dicitur, qui antea mortuus dicebatur. Quia autem surrexisse dicitur, mortis memoriam reficiat, vt inde constet, ipsius memoriam, ex malo bonum reddidisse, & quando apparebat humanior, magis diuinum fuisse redditum. *Qui verò lapsus fuerat, per poenitentiam reuiuiscit.* Omnia in filio expertus est Prodigi pater, vnde cum gratia rediuiuum intuetur, ad mortis memoriam hoc retulit; & ideo, ait eum fuisse suscitatum. *Hic filius meus mortuus erat, & reuixit.*

Pergo vlterius, & ex primi parentis, post culpam successu rem illustro. Igitur, post culpam in paradiso commissam, in toto vitæ decursu, nunquam legitur Adamum peccasse. Quare ergo, cum iustitia originali esset præmunitus, in paradiso diabolus eum adoritur, & ad culpam impulit, ac tandem vicit? Quid defuit Adæ in paradiso, vt vinceretur, quid amplius extra paradisum habuit, vt immunis a culpa perseueraret? Antequam respondeam, inquiro: Quidnam adhibuit Dominus, vt Adam post peccatum, aduersus diaboli tentamenta, fortior euaderet? Planè puluerem; sic enim habet textus: *Pul-* Gen. 3. *uis es, & in puluerem reuerteris.* Et insuper mortuorum animalium pellibus circundedit: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Et hoc, vt sentit Abulensis, egit, *vt notaret, eos iam esse mortales, quia eos mortuorum pellibus contegebat.* Postremò e paradiso expellens, Terræ labori addixit. *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram.* Quare igitur, e paradiso eiectus, ad excolendam terram damnatur? Nonne poterat sine labore vitam transigere? Poterat quidem. Nam

Pulueris recordatio remediū culpę

Abul. qu. 23.

pro alimentis arborum fructus, pro domo montes, ad potum flumina, & fontes suppererant, quæ omnia nullo constabant labore. Nihilominus, ad laborem damnat, & in labore victum ipsi constituit. Ad quid hoc? Respondet Abulensis. *Quia expulit eum de paradiso necesse fuit ei colere terram; non poterat alias viuere. Finis ergo eiectionis Adæ fuit, vt in terram lueret pœnas debitas sceleri suo.* Ita ille, vbi duo notanda sunt, primum quod Deus Adam e paradiso eijciens constrinxit ad terræ laborem, & in eo voluit, vt vitam redimeret. *Non poterat alias viuere:* Secundum, quod in terra culpæ suæ remedium, & satisfactionem esset inuenturus. *Vt in terram lueret pœnas debitas sceleri suo.* Porrò quid huic terræ inerat, vt in eius cultura, & subactione Adami vita, & culpæ ipsius remedium; constitutum esset? Multum equidem nam dum terra ligonibus scinditur, & dissoluitur, puluerem ex se emittit, & puluis in paradiso, velut antidotum, datus est. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Nouerat enim Deus, mortis memoriam potentissimam esse, vt ex homine magis scelerato probiorem redderet: Et qui humanior esset, per illam diuinior euaderet. Cum ergo Deus, propellente ipsius misericordia, Adamo mederi instituerer, cum e paradiso expellit, telluris culturæ addicit, *vt operaretur terram.* Vt ibi, ex mortis recordatione, non solum præteritæ culpæ satisfactionem, sed aduersus futuras tentationes munimen desumat. *Quia expulit eum de paradiso, necesse fuit ei colere terram, non potens alias viuere. Finis ergo eiectionis Adæ fuit, vt in terra lueret pœnas debitas sceleri suo.* Et quidem tantum hoc remedio profecit; vt cum antea, per culpam, malus esset, in bonum immutatus est, & quando humanior terram colit, ac subigit, ita diuinus ibi efficitur; vt qui antea gratia munitus, in paradiso culpam admisit, in mundo nunquam deliqui se memoratur, quod mortis memoriæ debet, quam ex terræ cultu accipiebat. Et propterea, vt dixit Abulensis, aliter viuere non poterat *non potens alias viuere.* Quin etiam inde errati sui re-

Abul in Gen 3. quæst. 24

E terra vitæ simul, & culpæ leuamen

Nota.

Pulueris recordatio Clypeus contra tentationes.

me-

medium, & compensationem capiebat. *Finis ergo electionis Adæ fuit, vt in terra lueret pœnas debitas sceleri suo.*

Confirmari potest hæc Veritas ex Theodoreto, qui expendit, quod cum Christus miracula ederet, quæ omnes in stuporem dabant, quorum Conscius Herodes, vt credidit Theophylatus, Ioannem Baptistam esse existimauit. *Igitur*, ait, *cum audiret miracula Domini, sciens, quod immeritò iustum Ioannem occidisset, suspicatus est, quod surrexit à mortuis:* Et quod mente conceperat, voce prodidit, dicens: *Quem ego decollaui Ioannes: hic à mortuis surrexit.* Dicas, obsecro, Rex. Quid refert ad edenda miracula, vt qui mortuus fuerat ad vitam redeat? Quod animatum sit corpus, & viuat, naturale est. Quod verò corpus iam mortuum reuiuiscat, diuinum est, ac supra naturam. Igitur miraculorum laus ad illum referri debet, qui mortuum vitæ reddidit, non verò mortuo, qui vitæ beneficium accepit: Quare igitur, Christo miracula perpetrante, Herodes illa Ioanni attribuit? Causam accipe: *Et audiuit Rex Herodes; manifestum enim factum est nomen eius, & dicebat: quia Ioannes Baptista surrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo.* Quid ais Herodes? Propterea quod Ioannes à mortuis surrexerit miraculorum authorem existimas? falleris. Etenim plurimi suscitati sunt, qui miracula non ediderunt, & verò nec Ioannes surrexit, nec miracula edit, sed omnium author est Christus. Quid ergo te mouet, vt credas miraculorum operatorem, quod diuinitatis terminos attingit, quem mortuum fateris, & ad mortalem vitam restitutum, quod ad humanos limites spectat? Respondet Theodoretus: *Credebat eum à mortuis resurrexisse, & quod ex resurrectione suscepisset miraculorum operationem.* Cum primum enim morti tributum exoluerat, ita potentem existimauit, vt miraculorum author euaderet. Perbellè dictum. Siquidem mortis memoria hominem improbum efficit bonum, & cum humanior est, diuiniorem reddit. Qui autem, vltra memoriam mortis, habet experientiam, & antequam mereretur, non erat improbitate insignis, sed virtute clarus, mirum non est, vt ad edenda miracula, & prodigia potens iudicetur. Et ideo potuit dicere Tyrannus; *Quia Ioannes Baptista surrexit à mortuis, & propterea operantur virtutes in illo.* Quod non immeritò mortis memoriæ adiudicari poterit, aqua virtus illa prouenisse existimari par est: *Credebat eum à mortuis resurrexisse, & quod ex resurrectione suscepisset miraculorum operationem.* Et verò mortis memoria hanc habet prærogatiuam, vt miraculorum edendorum potentiam conferat, sed insuper, malum hominem conuertit in bonum, & quem humaniorem inuenit, magis diuinum efficit.

Theophil. in Marc. c. 6

Marc. c. 6.

Mortis memoria miraculorum operatrix.

Theod. in Marc. 3. c. 43

Claudo cum Apostolo gentium doctore, & expendo medium, quod Deus adhibuit, vt ex malo bonum, ac, vt ita loquar, ex humano, diuinum redderet. Nam ex equo deiecit, & subinde visum abstulit: *Apertisque oculis nihil videbat?* Cur ita in itinere, properantem, detinet, & excœcat? Porrò, ait Sanctus Augustinus. Deiecit, vt excæcaret, excœcauit, vt e malo bonum efficeret. *Paulus prostratus est, vt excœcaretur, & excæcatus est, vt mutaretur, & mutatus est, vt mitteretur.* At quæro. Ad Pauli conuersionem opus ne erat ad terram prosterni, & deinde visu priuari, ac vt incederet iuberi: Planè respondet S. Augustinus opus erat. Et ideo in terram prosternitur, excœcatur, & incedere iubetur. Quando enim cœcus incedere incipit, primum quod agit, est, manibus tentando, supplere quod visui deest, & sub inde pedes mouet. En igitur casus, & cæcitatis Sacramentum. Nonne dicimus mortis memoriam hominem improbum reddere magis probum, & inhumaniorem diuiniorem efficere? Certè dicimus. Cum igitur Deus intenderet D. Paulum e malo reddere bonum, vt ex humano ita diuinus euadat, vt sit vas electionis, quod nomen eius portet in Orbem: congruum fuit, vt in terram prosterneret, visu priuaret, deinde iuberet incedere, vt tanquam cœcus terram palparet, amplecteretur, & puluerem contrectando, se mortalem

Act. 9.

D. Aug. t. 2. epist. c. 204.

Mortis memoria debemus Pauli conuersionẽ

agno.

agnosceret, & hac cogitatione, de malo bonus, de humano Diuinus quodammodo redderetur; ita vt in paradisum raptus arcana viderit, quæ humana lingua proferri non poterant. *Raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui:* Quod ex mortis memoria prouenit, quæ ad hos effectus potentissima est. *Vnde Paulus prostratus est, vt excæcaretur, & excæcatus est, vt mutaretur, & mutatus est, vt mitteretur,* de malo in bonum, de humano in diuinum quodammodo, mortis memoria permutatus.



CAPVT II.

Quod mortis memoria vnicum contra omnia vitia remedium habeatur.

NVNQVAM melius hoc assumptū auspicabimur, quam à Diuini spiritus adhortatione, qui apud Salomonem, vt quemquem nostrum aduersus peccata omnia impenetrabilem efficiat, mortis memoriam semper retinere persuadet. *In omnibus operibus tuis, memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Quomodo ergo mortis memoria potens adeo est ad dirigendum humanas actiones, vt euadant ita perfectæ, quod nulla inibi culpa nec timeri possit, inueniatur? Elegans est Lyrani responsio. Vidistine aliquando Nauclerum, qui gubernaculo assidens, Nauem corrigit, & quandiu regimini attendit nullus in nauigatione error euenit? Non aliter se res habet, cum quis in vitæ cursu mortis memoriam retinet. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, idest mortem; sicut nauta sedet in vltima parte nauis, vt dirigat eam, ideo subditur, & in æternum, idest nunquam peccabis.* Itaque præcipuum studium in cunctis operibus adhibendum est, vt mors ante oculos obuersetur, quia eius memoria præstantissimum est contra peccata omnia remedium, & quandiu hæc duret, omnia rentamenta viriliter superabimus, & de vitijs, ac peccatis victoriam insignem consequemur, de vitæ innocentia gloriantes, *Et in æternum, idest nunquam peccabis.*

Eccl. 7.

Mortis recordatio hominis acta dirigit.

Lyr. ibi.

Singulare in hanc rem est illud, quod de Dauide memoratur, cum Abisai associatus, in speluncam accessit, in qua Saul dormiebat, & facilè iuxta Abisai suasionem, poterat illum occidere, & seipsum ab assiduo mortis periculo liberare: *Dixitque Abisai ad Dauid: conclusit Dominus inimicum tuum hodie in manus tuas. Nunc ergo perfodiam cum lancea in terra semel, & secundo opus non erit.* In promptu erat existimare, quod Dauid responderet: Eia, age, percute, & occide, forte nostra feliciter vtamur. Longè tamen aliter euenit. Nam Abisai ad percutiendum properantem, hac voce compescuit. *Et dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eum.* Miraberis, quod cum hostem quærerer ad occidendum, cum inueniret, non solum non occidit, sed occidere volentem retardauit. An hoc ex timiditate prouenit? minimè, qua igitur consideratione detentus, hosti pepercit? Egregia est hoc loco D. Chrysostomi responsio. *Conspiciebat, inquit, illum dormientem, ac de morte omnibus communi philosophabatur, somnus nihil aliud est, quam mors temporaria, & vnius diei interitus: sic hostem in potestatem suam accipit, & Deum erga se beneuolentiorem reddidit.* Ergo, vt vides, mortis memoria, quæ inspecto Saule dormiente mentem Dauid tetigit, in causa fuit, vt ab eius cæde abstinere quam facilè posset, & hoc partim suadebat vindicta, partim Regni possessio, quæ, mortuo inimico, adeunda esset. Potentior tamen extitit Regni ambitione, & inimici vindicta, mortis recordatio, & ideo illa tactus Dauid, dum dormientem inspexit inimicum, ab illius occisione abstinuit, quo & à culpa se seruauit immunem, & Deum sibi reddidit obstrictum. Nec miror, quod ita patiens, & minimè ambitiosus extiterit. *Conspiciebat illum dormientem, ac de morte omnibus communi Philosophabatur,*

1. Reg. 26.

Mortis vmbra iram compescit.

D. Io. Chrys. hom. de Dauid, & Saule.

Facile inimico parcit, qui cogitat se moriturum.

som-

somnus nihil aliud est, quam mors temporaria, & vnus diei interitus, fit hostem in potestatem suam accepit, & Deum erga se beneuolentiorem reddidit.

Proh quantum hæc mortis memoria homini vtilis esset, si ante ipsius mentem assiduo obuersaretur, totum se ad Dei amorem conuerteret, ac ab huius mundi idolis se retraheret, in quibus sua consistit conuersio, & vnicum aduersus peccata remedium in mortis memoria constitutum amplecteretur, vt iam ostendo.

Mortuus est ad Dei imperium Moyses, & quamquam vt scriptura testatur, sepulchrum eius vsque adhuc sit incognitum, nihilominus, iubente Deo, sepultus est in valle Moab, contra Phogor. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, et non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* At verò si omnibus occultum esse voluit Moysis sepulchrum; cur illud contra Phogor posuit, vt ibi esset agnitum, vel manifestans, quid alijs occultabat? Respondet Abulensis Phogor esse idolum Moabitarum in eo monte collocatum. *Dicitur contra Phogor: quia Phogor nomen Idoli est, quod colebatur in altissima parte montis Moabitarum.* Erat autem hoc idolum, vt scripsit D. Hieronymus, cui propter luxuriam sacrificia offerebantur. *Sepulchrum eius*, inquit, *positum in valle describitur, contra domum Idoli, quod propriæ libidini consecratur.* Congruè autem, vt Idoli illius impostura corrigeret, vel frænaret, sepulchrum, hoc est mortis memoriam opposuit, hac enim libido sanari poterat. Nam, vt dicebat S. Petrus Damianus. *Non est libidini diuersorium, in qua versatur mente sepulchrum.* Cum autem statuerimus, mortis memoriam optimum esse contra omnia vitia remedium, miro modo factum est, vt contra Phogor collocaretur sepulchrum; sic enim libido, & idololatria exterminabatur. *Sepulchrum eius positum in valle describitur, contra domum idoli, quod propria libidini consecratur. Quia non est libidini diuersorium, in qua versatur mente sepulchrum.* Quod si homines mortis memoriam assiduò retinerent omnes vitæ actiones ita componerent, vt à culpa essent immunes: Nec vnam tantum, sed omnes peccandi occasiones euitarent, quia aduersus omnia peccata potens est mortis recordatio. Quod vlterius ex D. Pauli actione, antequam ab Hierosolymis descenderet, ostendo.

Deut. 34.

Post. in Deut. quæst. 2.

Mortis recordatio frænat libidinem.

D. Hier. l. 1. in Iouinian.

Prædicante D. Paulo, & Barnaba, apud Ierosolymam; concitata est à Iudæis aduersus vtrumque ingens persecutio. Ita quod Paulus, ac Barnabas compulsi fuerint, Vrbem deserere: verum, antequam exirent, puluerem pedum excusserunt, eos, qui aderant, puluere conspergentes, ex quo facto, Christiani incredibilem acceperunt iucunditatem, & sancto spiritu repleti sunt. *Iudæi autem concitauerant mulieres religiosas, & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis. At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium, discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto.* Hæc ibi textus in actibus Apostolorum. Vbi videnda est pulueris pedum excussio in persecutores, quodque ex ea gaudium perceperint discipuli, & sancto Spiritu fuerint repleti. Nam Christi præceptum videtur excedere, quia apud Matthæum solummodo dicit. *Excutite puluerem de pedibus vestris.* Et apud Marcum. *Excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis:* Quod ex Bedæ sententia fiebat ad testificationem, quod ex parte sua quidquid debebat, ac ad Euangelij complementum spectabat, executi fuerant. *Puluis excutitur in testimonium laboris sui, qui ingressi sunt ciuitatem illorum, & prædicauerunt eis.* Eiusdem sententiæ fuit Diuus Hieronymus in Matthæum. *Puluis etiam excutitur de pedibus, in testimonium laboris sui, quod ingressi sunt ciuitatem, & prædicatio ad illos vsque peruenerit.* Igitur sola pulueris excussio præcipiebatur, & tamen Paulus vltra illam, puluerem proijcit in persecutores. In quo videtur præcepti limites transgressus, plus exequens, quam ipsi fuerat mandatum. Deinde notandum est; quod adijcitur, videlicet, fideles, qui talia viderant, gauisos & sancto spiritu

Aduersus omnia peccata potens est mortis recordatio.

Actor. 13.

Mortis recordatio fidelibus gaudiũ, hostibus cõfusionem affert.

Matt. 10. Marc. 6.

Beda in hunc locum.

D. Hier. ibi. in Gal. aut.

ctu fuisse impleros. *Discipuli quoque repleba tur gaudio, & Spiritu sancto.* Et quidem, vt notat D. Chrysostomus, hæc actio profuit discipulis, & perseuerantiam in prædicatione eis contulit. Vnde gaudium ex fructu prædicationis, & præmium ex labore perceperunt. *Verumtamen, inquit, neque hoc discipulis nocuit: sed multo magis perseuerarunt in verbo. Id quod manifestat, addens: discipuli quoque replebantur Spiritu sancto.* Atque adeo ex Pauli actione fructus, ex fructu præmium prouenit. Fructus verò ex ipsa pulueris excussione processit, quem ideo in persecutores excusserunt. *At illi excusso puluere pedum in eos.* Quia vt diximus, puluis est mortis figura, in puluere mortis memoria commendatur, quæ aduersus omnia vitia remedium est præsentissimum. Cum autem D. Paulus nihil aliud prædicando intendat, quam vitijs mederi; postquam prædicauit, videns, quia nihil profecerat, sed pro emendatione secuta fuerat persecutio; vt ostenderet, quantum potuit, satis elaborasse, vt peccata deleret, puluerem, hoc est morris memoriam, veluti postremum remedium in eos excussit. *At illi excusso puluere pedum in eos.* Et ideo quasi lætabundi, quod suum perfectè munus obierant, discesserunt: interim vero discipuli gaudio, & Spiritu sancto replebantur. *Puluis excutitur in præmium laboris sui, qui ingressi sunt Ciuitatem illorum, & prædicauerunt eis.* Tantum verò abfuit, vt hoc discipulis noceret, quod potius hinc magnam iucunditatem, & sancti Spiritus plenitudinem acceperunt. *Verumtamen neque hoc discipulis nocuit, sed multo magis perseuerarunt in verbo, id quod manifestat, addens, discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto.* Et interim puluis ille mutus, voce quadam, omni tuba clariore prædicabat, mortis memoriam contra omnia peccata anthidotum esse potentissimum.

Fructus prædicationis gaudium parit.

D. Io. Chrys. in Matt. 10.

Mortis memoria extremum remedium contra peccatores.

Proh quam acerbum est ijs, qui, laxis habenis ad vitæ voluptates, & mundi lænocinia procurrunt, mortem memoria recolere. Dicas quæso o homo: cur mortalis cum sis, quare te moriturum non assiduò recordaris? siquidem semel tãtum calcanda est via lheti. Hinc est illud Iob. *Semitam, per quam non reuertar, ambulo.* Vnde qui semel errauit a semita, nunquam amplius inueniet illam. At quænam errandi causa? Breuis voluptas, quæ æternis cruciatibus terminabitur: Sicuti breuiret a D. Francisco dictum. *Voluptas breuis: pœna perpetua.* Et iam antea dixerat S. Augustinus. *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.* Quænam dementia est, propter delectationem breuissime transeuntem, tormentis subijci nunquam finiendis: Imbecillitas forsan est, propter quam tentationibus resistere non possumus? mortem meditemur, nunquam e mente nobis excidat illius memoria, quæ adeo potens est, vt non solum ad illicita, verum etiam licita appetitum cohibeat. Nec in hominibus tantum, sed etiam in brutis ratione carentibus appetitui moderatur.

Iob. 16.

Breuis voluptas, æternis cruciatibus terminabitur.

D. Franc.

S. Aug. Ser. de omn. sanc.

Decreuerat Deus, mundum vniuersum diluuio extinguere, ita quod nullus viuens superesset, præter eos, qui, ex ipsius mandato, in arcam ingredientes, liberandi erant. Igitur Noe locutus, sic ait: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam. Te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis, tolle septena, & septena, masculum, & fœminam: de animantibus vero immundis, duo, & duo, masculum, & fœminam.* Iuxta Dei mandatum instante iam cataclysmo, ingressi sunt homines, & bruta, & omnes simul ibi morabantur: Nec quamuis ex animantibus multa essent inter se contraria, sæuitiam, & crudelitatem in alia exercebant, sed tranquillitatem maximam inter se conseruabant. Præterea Noe, & filij durante diluuio a congressu cum vxoribus abstinuerunt, & eadem ab animantibus, vt refert ex Hebræis Tostatus, abstinentia seruata est. *Dicunt enim, inquit, omnes Hebræi, quod in arca, nec homines, nec bruta coierunt, propter vniuersalem mundi tribulationem.* Vides, vt non solum homines, sed etiam bruta se continuerint, cum tamen nulla in hoc fieret Deo offensa. *Et hoc propter vniuersalem mundi tribulationem.* Quoniam sicut diximus mortis memoria, non solum contra vitia po-

Gen. 7.

Mortis aspectus libidinis extinguit faces.

Abul. qu. 4.

rens est, sed appetitui etiam in rebus licitis frœnum adhibet. Cum igitur Deus mundum puniret, & vbi mortis imago cerneretur: animalia ferocitatem reprimunt, homines a licitis obstinent, & idem in animantibus cernitur: Quasi mors, ab vtrisque conspecta, omnes appetitus etiam licitos extinxerit, & ideo non immerito censuerunt Hebræi, durante diluuio, tam in hominibus, quam etiam iumentis abstinentiam a coitu viguisse. *Dicunt enim Doctores Hebræi, quod in arca, nec homines, nec bruta coier unt; propter vniuersalem mundi vlulationem.*

Pergo vlterius, & Niniuitarum exemplorem illustro. Niniuem accessit Ionas, & per orbem discurrendo, prædicauit, dicens: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*: Peruenit hoc ad Regem, & continuò ita præcepit. *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant.* Miratur hoc loco Theodoretus, quod Rex non solum hominibus abstinentiam a voluptatibus, & ieiunium indixerit, sed etiam animalia præcepit a cibo, potuque abstinere. *Rex*, inquit, *non viros solum, & mulieres ieiunio vacare; sed etiam ratione carentia iussit abstinere.* Quid cõmune habet Niniuitarũ punitio cum animalium abstinentia? peccarunt homines, ieiunio se castigent. At verò bestiæ ratione carentes, & culpæ incapaces, cur cibo, & potu carere iubentur? Dicam: pro certò statuimus, mortis memoriam præsentissimum esse contra omnia vitia remedium, nec solos homines, sed etiam animantia illius recordatione licitis pariter, & honestis parcere. Cum autem Ionas mortem fuerit minitatus, & extremam subuersionem, dicens: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Vbi primum mortis memoria Regem tetigit, statim hominibus, & animantibus, non tantum ab illicitis, sed etiam a licitis abstinere præcepit. *Non viros solum, & mulieres ieiunio vacare, sed etiam ratione carentia, iussit ab omni cibo abstinere.* Quo probatum reliquit, quam potens sit ad vitiorum abstinentiam mortis recordatio, siquidem non solum homines, verum etiam animalia a licitis pariter, & illicitis remouet.

Iona 3.

Mortis sa dies, & bruta cohibet.

Theo. ibidem.

Hinc planè sequitur, eos, qui mortem obliuiscuntur, in perditionem abire; si enim memoria mortem retinerent, inde contra omnia vitia remedium inuenirent, omnesque vitæ actiones ad Dei legem ita componerent, vt ipsi placerent, ac æternam beatitudinem mererentur.

Claudo similitudine, qua Salomon in canticis sponsæ pulchritudinem prædicauit. *Equitatui meo*, inquit, *in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Porrò huiusmodi comparatio, plus sponsæ pulchritudinem imminuere, ac extenuare videtur, quam extollere. Quid commune habet fœminæ collum monilibus adornatum? *Collum tuum sicut monilia.* Quid capitis cincinni gemmis, & vnionibus impexi? quid illa teneritudo, ad amoris illicebram composita, cum Phalerata equi ceruice, crispantibus iubis erecta? Nihil certè: vt quid ergo Salomon hac vtitur similitudine, vt sponsæ pulchritudinem exprimat? Auscultandus est D. Gregorius, qui censuit hic non tantum sponsæ elegantiam describi, quantum tali comparatione edoceri, qualis esse oportet, vt sponso sit grata, & amabilis. *Si vis*, inquit, *intelligere, quomodo te scire debeas, intellige, cui te comparauerim, & tunc cognosces te talem per beneficia mea tibi collata, qua turbari non debeas.* Cæterum quid habet equus, vt sponsæ illum æmulando placeat sponso? Plurimum equidem, præsertim in ceruice, quam erigit, arcuatim extollit, ac in omnes partes circumflectit, & sic vel parat incessum, vel adcursum incitatur, vel gyrat, aut saltus molitur. *Nomine monilis*, inquit Nyssenus, *Orbis notatur, cuius figura, in equi generosi, ceruicem pulchrè incuruantis, collo commonstrata, speciosiorem reddit.* Ita ille, & paulo post. *Et dum equus ceruicem sic molitur, flectit pedem, incessum aspicit, qua ratione consequitur, vt sine offensione, & tutò figat vestigia, currat, saltet.* Quasi dicat: O anima, hæc enim est sponsa, sicut equus, curuata in terram ceruice, incedit, & tunc se-

Cant. 1.

Mortis memoria verus sponsæ ornatum.

D. Greg. in Cant. 1.

Nisen. hom. 3

cu-

cura figit vestigia, cum terram aspicit: Ita & tu, cum terram intueberis, hoc est mortem meditaberis, eiusque memoriam retinueris, omnes actiones tuas ita compones, vt mihi summopere placeant. In hoc sensu exposuit locum Ghislerius, à Nysseno mutuatus. *Hanc verò commendationem*, inquit, *ita Nyssenus applicat animæ; quod sicut equus collum in orbem flectens, ad omnes suos gressus aspicit, quo fit, vt inoffensus, & tutus sit gressus; ita anima sancta ad se ipsam aspiciat, & tutissimè ad cursum diuinum festinet, vniuersa deuitans impedimenta, quod non mediocrem illi affert laudem*. Quicunque ergo tutò cupit incedere, semper, vbi pedem figit, intueatur, terram subtus videat, & mortis recordetur: hac enim consideratione, cuncta vitia superabit; nec ab illicitis tantum, sed etiam a licitis abstinebit, similis sponsæ, de qua dixit Salomon: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea, quia collum tuum sicut monilia*. Quod perinde fuit, ac si laudando, vel comparando adhortaretur, vt equi similitudinem referret, & terram incedendo inspiceret, hoc est in assiduæ mortis memoria versaretur, qua ita rectè viueret, vt sponso foret gratissima. *Sicut equus, collum in orbem flectens, ad omnes suos gressus aspicit, quo fit, vt inoffensus, & tutus sit gressus, ita anima sancta ad se ipsam aspiciat, & tutissimè ad cursum diuinum festinet, vniuersa deuitans impedimenta, quod non mediocrem illi affert laudem*.

Ghisl. ibidem vers. 10.

Terra aspiciendo, necabamus.



CAPVT III.

Quod si vniuscuiusque mors vitæ suæ correspondet, in eius potestate situm est, vt benè moriatur; siquidem vt bona cuique mors eueniat, facilè est benè viuere.



MVNDI huius fallaciam ponderauit. S. Antonius, quę mira quadam voluptate homines decipit, ac eo cæcitatis deducit, vt periculum suum non agnoscant, quousque in damnationis statum deueniāt, nusquam securi: quoniam vnde securitatem expectabant, inde periculum enascitur, non aliter quam ijs accidit, qui baculo arundineo innituntur; dum enim fortius incumbunt, frangitur, & innitentes vulnerat. Hinc est illa Isaiæ exprobratio, qua nonnullos inaniter fidentes arguebat. *Ecce*, inquit, *confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam*. Quisnam est iste baculus, qui confractus initentem vulnerat? quęnam isthæc est arundo, quæ rupta manum eius, qui tenet, acerbissime præforat? Haud dubium, ait Antonius: *Abundantia mundi, & sanitas corporis, sunt quasi arundo, quæ radicem habet in luto, interius vacua, & exterius pulchra*. Diuitiæ, bona valetudo, & alia mundi huius bona, sunt arundini similia; quæ in palustri, & cænoso loco radices habet, exterius quidem speciosa, interius tamen inanis, & vacua. Cum ergo Isaias mundialia bona baculo arundineo assimilat, qui confractus manum innitentis vulnerat: perinde fuit, ac si hominem admoneret, ne huiusmodi bonis fideret, quia cum radicem habeant in mortalitatis cœno, repentè euanescunt, & ingruen-

Isai. 36.

Mundi bona in star arundinis.

D. Ant. P. Ser. 1. de ...

ex folijs ficus sibi vestes consuerant. Noluit tamen, nisi post pellium operimentum, quia ibi latebat dicti mysterium. Solet nonnunquam in scena quispiam Regis personam agere, & quandiu scena durat, Regium nomen, & applausus perseuerat, & quamquam Rex non sit, vestium ornatus Regem demonstrat. Non aliter Adam, *Deo* similis non erat, ad illusionem tamen dæmonis, similis Deo dicitur. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis:* Et hoc quando pellibus erat indutus, quæ sunt mortis symbolum, & verò mortis memoria tantum habet Deitatis, vt cum Deus vellet Adamum deitatis speciem referre, illum pellibus animalium mortuorum, hoc est mortis memoria induerit, & hinc iustè dicere potuit. *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis.* Nonne in hac mortis memoria continetur quidquid in Adam infirmius est, & magis imbecille? Ita planè, siquidem mortis admonet. Quare ergo, inter has memorias, ex Dei ore ad dæmonis irrisionem audit. Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis? Porrò vt agnoscat, mortis memoriam, malum conuertere in bonum, imbecillitatem in fortitudinem commutare, & de maiori potestate triumphum agere: idoque primum pellibus induit, & postea dicit. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, quibus significatur mors, quæ post peccatum debetur naturæ.*

Indumenta pia mortales admonet

Pro vberiori propositi instituti illustratione se offert celebre Mardochei factum, quod in libro Esther enarratur: Cum enim, suadante Aman Rex Assuerus contra Mardocheum mortis sententiam pronuntiasset, Misellus homuntio, audito mortis nuntio, sacco se induit, cinereque aspersit. *Quæ cum audisset Mardocheus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti.* Mirandus certè damnandi statim hominis habitus, cinis, & saccus. Quid hinc solatij, in tali constitutus angustia capiebat? plurimum equidem, si finem expectes. Etenim Mardocheus, triumphator euasit, & Aman suspendio vitam amisit. Vnde nam hæc sortis mutatio, vt damnatus viueret, & qui damnationis auctor extiterat, damnationis sententia feriretur? Memoria repete quid egerit Mardocheus, audito mortis nuntio, vestes scidit, sacco se induit, & cinere aspersit, quæ omnia mortem in memoriam reuocabant: vt Cardinalis Hugo, & Glossa interlinealis sustinent. *Indutus est sacco spargens cinerem, idest recordationem humanæ fragilitatis; vnde cinis est, & in cinerem reuerteris. Capiti, idest menti.* At vero statutum reliquimus, mortis memoriam malum conuertere in bonum, fragilitatem immutare in fortitudinem, deque maiori potestate triumphum agere. Hinc est, quod Mardocheus, ingruente malo, & instante mortis sententia, vt malum conuerteret in bonum, imbecillitatem mutaret in fortitudinem, & de aduersarij potestate triumpharet, ad mortis memoriam se contulit; cinerem capiti adhibuit, hoc est mortis recordatione mentem affecit: & sic, ex afflicto hilaris, ex imbecillo fortis euasit, de aduersario suo feliciter triumphauit. *Indutus est sacco, spargens cinerem, idest recordationem humanæ fragilitatis, vnde cinis es, & in cinerem reuerteris: Capiti, idest menti.* Adeo potens est, ad huiusmodi mutationes, ac triumphos mortis recordatio.

Esther. 4.

Multum solatij in mortis imagine.

Glos. inter. Hugo Car. ibi.

Ingruente aduersitate, mortis memoria adhibenda.

Quod tandem clarius demonstro, & in primis expendo verba illa. *De maiori potestate triumphans.* Quænam maior est potestas? Planè diuina. Sed de hac mortis memoria triumphat, vt iam ostendo. Venienti ex Mesopotamia Iacob, noctu Angelus ei occurrit, cum quo vsque ad auroram luctatus est: verum antequam Angelus discederet, Iacob in fæmore percussit, vnde secuta est claudicatio. *Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit neruum fæmoris eius, & statim emarcuit.* In promptu erat existimare, quod Iacob videns percussionem a lucta desisteret, & se victum fateretur. Verum tunc maiorem exprompsit fortitudinem, vt ipse Angelus fatetur. *Contra Deum fortis fuisti.* Et verò, cum primum percussit, rogat dimitti. *Dixitque ad eum dimitte me.* At qui demitti precatur,

Gen. 32.

tur,

tur, superioritatem in aduersario recognoscit, & se victum pronunciat. Hugo Cardinalis: *Quasi victus esset Dominus, dicit: Dimitte me.* Nec se victum fateri verecundatur, quia veniente aurora, victoriæ testimonium referebat. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Miraris, quod cum Deus summæ sit, & insuperabilis fortitudinis, homo imbecillus, & fragilis, & insuper in fæmore percussus, nihilominus contra Deum præualeat, & fortiorem se demonstret; vnde nam dices, tantæ homini vires, ac fortitudo prouenit, vt Deum supetet? colligi videtur ex Hebraico contextu, vbi enim vulgatus interpres ait. *Ecce vir luctabatur cum eo, usque mane*, habet: *Et ecce puluerizabatur vir secum vsque ascenderet aurora.* Quo verbo frequens feruentis luctæ motus exprimitur, crebra namque pedum mutatione agitabatur puluis, & luctantes inficiebat, & præclaudicatione Iacob frequentius mouebatur, pulueremque magis excitabat. Iste vero puluis, quid aliud, quam mortis memoriam designat, cuius virtute Iacob contra Deum fortis extitit, vt innuere mihi visus est Theodoretus, dicens. *Omnia bona, quæ fecit Israel, fecit merito illius pulueris pedum Patris nostri Iacob.* Et quidem tantum virtutis inerat pulueri, propter memorim mortis, quam referebat, vt propter illum Iacob de Deo triumpharit: siquidem, vt diximus, tam potens est mortis memoria, vt malum mutet in bonum, fragilitatem conuertat in fortitudinem, & vlterius, de maiori potestate, qualis est diuina, triumphet. *Et ideo, quasi victus esset Dominus dicit, dimitte me.* Iacob verò tanquam victor, non nisi obtenta benedictione, se dimissurum, protestatur. Cum autem benedictionem obtinuit, expertus est malum claudicationis virtute pulueris, idest mortis memoria in bonum sibi immutatum fuisse, fortior factus: cum imbecillus videbatur, & percussus, & claudus, de Deo triumphum egit, ac ipsius potentiam visus est superasse. Theodoretum repeto. *Omnia bona, quæ fecit Israel, fecit merito illius pulueris pedum Patris nostri Iacob.*

Hug. Car. ibi.

Mortis memoria fortè coram Deo acit.

Lit. Hebræa.

Theodor.

FINIS LIBRI TERTII.





LIBER QVARTVS.

DE MIRIS MORTIS EFFECTIBVS.



CAPVT PRIMVM.

Quod tam potens sit mors; vt sola ipsius memoria improbriorem hominem faciat magis probum: & quando humanior est, diuiniorem reddat?

FILIVS ille Prodigus, fame reuocatus, in domum paternam regrediebatur, vnde eum saturitas expulerat. Ecce tibi Pater à longe venientem inspexit, e domo egreditur, venienti occurrit, amplectitur, vestit, domi exceptum opipero recreat conuiuio, & tota domus tybiarum, & Simphoniæ concentibus resonabat, quasi tota hæc festiuitas propter filium, quem pater à mortuis reuocatum existimabat. *Adducite*, inquit, *vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit*. Prodigus iste communi sensu intelligitur Peccator per culpam mortuus, & per pœnitentiam suscitatus. Vnde monet Angelus à Pace: *Expedit quidem vniuersos lætari, quia diu multum nimis hic adolescentior filius meus, adolescentijs suis mortuus erat penitus, & modo per eum, qui vita est, reuixit ad meliorem statum*. Hæc ille: breuius tamen, & elegantius D. Ambrosius. *Qui verò lapsus fuerat, per pœnitentiam reuiuiscit*. Notanda tamen sunt scripturæ verba: etenim si peccator est, mortuum dicere conuenit: si pœnitentiam egit, suscitatus dicatur, & quando ad gratiam redijt e culpæ statu exijsse dicatur, & non suscitatum fuisse, quia ille dicendi modus videtur accommodatior. *Cur ergo dicit: qui verò lapsus fuerat, per pœnitentiam reuiuiscit?* Non parua est terminorum differentia; qui enim dicit: conuersus est: nullo modo ad mortem respicit; qui autem ait: surrexit ad mortem attendit. Benè igitur cum de conuersis loquitur, verba adhibet, quæ relationem dicunt ad mortem. Quia, vt dicimus tam po-

…uc. 15.

…ui in deli- …o est, mor- …us cense- …r.

Fra. Ang. à Paceibi cap. 24. li. 16.

Ambr. l. 7. c. de duob. fil.

Poenitentia viuificat.

potens est mors, vt sola ipsius memoria sceleratiorem hominem efficiat magis probum, & qui humanior est redditur diuinior. At verò nullus ad inferiorem, quam ad culpæ statum deuenire potest. Nec fæliciorem esse, quam cum ad statum gratiæ reuertitur. Et quidem in statu culpæ extremum humanæ miseriæ attingit: In statu verò gratiæ diuinus quodammodo redditur, Cum igitur ex statu culpæ ad statum gratiæ reddit, benè suscitatus dicitur, qui antea mortuus dicebatur. Quia autem surrexisse dicitur, mortis memoriam reficiat, vt inde constet, ipsius memoriam, ex malo bonum reddidisse, & quando apparebat humanior, magis diuinum fuisse redditum. *Qui verò lapsus fuerat, per pœnitentiam reuiuiscit.* Omnia in filio expertus est Prodigi pater, vnde cum gratia rediuiuum intuetur; ad mortis memoriam hoc retulit; & ideo, ait eum fuisse suscitatum. *Hic filius meus mortuus erat, & reuixit.*

Nullus peccatore inferior aut pœnitente fælicior.

Pergo vlterius, & ex primi parentis, post culpam successu rem illustro. Igitur, post culpam in paradiso commissam, in toto vitæ decursu, nunquam legitur Adamum peccasse. Quare ergo, cum iustitia originali esset præmunitus, in paradiso diabolus eum adoritur, & ad culpam impulit, ac tandem vicit? Quid defuit Adæ in paradiso, vt vinceretur, quid amplius extra paradisum habuit, vt immunis a culpa perseueraret? Antequam respondeam, inquiro: Quidnam adhibuit Dominus, vt Adam post peccatum, aduersus diaboli tentamenta, fortior euaderet? Planè puluerem; sic enim habet textus: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et insuper mortuorum animalium pellibus circundedit: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Et hoc, vt sentit Abulensis, egit, *vt notaret, eos iam esse mortales, quia eos mortuorum pellibus contegebat.* Postremò e paradiso expellens, Terræ labori addixit. *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram.* Quare igitur, e paradiso eiectus, ad excolendam terram damnatur? Nonne poterat sine labore vitam transigere? Poterat quidem. Nam

Gen. 3.

Pulueris recordatio remedium culpæ

Abul. qu. 23.

pro alimentis arborum fructus, pro domo montes, ad potum flumina, & fontes supererant, quæ omnia nullo constabant labore. Nihilominus, ad laborem damnat, & in labore victum ipsi constituit. Ad quid hoc? Respondet Abulensis. *Quia expulit eum de paradiso necesse fuit ei colere terram; non poterat alias viuere. Finis ergo eiectionis Adæ fuit, vt in terram lueret pœnas debitas sceleri suo.* Ita ille, vbi duo noranda sunt, primum quod Deus Adam e paradiso eijciens constrinxit ad terræ laborem, & in eo voluit, vt vitam redimeret. *Non poterat alias viuere:* Secundum, quod in terra culpæ suæ remedium, & satisfactionem esset inuenturus. *Vt in terram lueret pœnas debitas sceleri suo.* Porrò quid huic terræ inerat, vt in eius cultura, & subactione Adami vita, & culpæ ipsius remedium; constitutum esset? Multum equidem, nam dum terra ligonibus scinditur, & dissoluitur, puluerem ex se emittit, & puluis in paradiso, velut antidotum, datus est. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Nouerat enim Deus, mortis memoriam potentissimam esse, vt ex homine magis scelerato probiorem redderet: Et qui humanior esset, per illam diuinior euaderet. Cum ergo Deus, propellente ipsius misericordia, Adamo mederi institueret, cum e paradiso expellit, telluris culturæ addicit, *vt operaretur terram.* Vt ibi, ex mortis recordatione, non solum præteritæ culpæ satisfactionem, sed aduersus futuras tentationes munimen desumat. *Quia expulit eum de paradiso, necesse fuit ei colere terram, non potens alias viuere. Finis ergo eiectionis Adæ fuit, vt in terra lueret pœnas debitas sceleri suo.* Et quidem tantum hoc remedio profecit; vt cum antea, per culpam, malus esset, in bonum immutatus est, & quando humanior terram colit, ac subigit, ita diuinus ibi efficitur; vt qui antea gratia munitus, in paradiso culpam admisit, in mundo nunquam deliquisse memoratur, quod mortis memoriæ debet, quam ex terræ cultu accipiebat. Et propterea, vt dixit Abulensis, aliter viuere non poterat *non potens alias viuere.* Quin etiam inde errati sui re-

Abul. in Gen. 3. quæst. 24.

E terra vita simul, & culpæ leuamen

Nota.

Pulueris recordatio Clypeus contra tentationes.

medium, & compensationem capiebat. *Finis ergo electionis Adæ fuit, vt in terra lueret pœnas debitas sceleri suo.*

Confirmari potest hæc Veritas ex Theodoreto, qui expendit, quod cum Christus miracula ederet, quæ omnes in stuporem dabant, quorum Conscius Herodes, vt credidit Theophylatus, Ioannem Baptistam esse existi-
Theophi. in Marc. c. 6 mauit. *Igitur*, ait, *cum audiret miracula Domini, sciens, quod immeritò iustum Ioannem occidisset, suspicatus est, quod surrexit à mortuis:* Et quod mente conceperat, voce prodidit, dicens:
Marc. c. 6. *Quem ego decollaui Ioannes: hic à mortuis surrexit.* Dicas, obsecro, Rex. Quid refert ad edenda miracula, vt qui mortuus fuerat ad vitam redeat? Quod animatum sit corpus, & viuat, naturale est. Quod verò corpus iam mortuum reuiuiscar, diuinum est, ac supra naturam. Igitur miraculorum laus ad illum referri debet, qui mortuum vitæ reddidit, non verò mortuo, qui vitæ beneficium accepit: Quare igitur, Christo miracula perperrante, Herodes illa Ioanni attribuit? Causam accipe: *Et audiuit Rex Herodes; manifestum enim factum est nomen eius, & dicebat: quia Ioannes Baptista surrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo.* Quid ais Herodes? Propterea quod Ioannes à mortuis surrexerit miraculorum authorem existimas? falleris. Etenim plurimi suscitati sunt, qui miracula non ediderunt, & verò nec Ioannes surrexit, nec miracula edit, sed omnium author est Christus. Quid ergo te mouet, vt credas miraculorum
Mortis memoria miraculorum operatrix. operatorem, quod diuinitatis terminos attingit, quem mortuum fateris, & ad mortalem vitam restitutum, quod ad humanos limites spectat? Re-
Theod. in Mar. 24.43 spondet Theodoretus: *Credebat eum à mortuis resurrexisse, & quod ex resurrectione suscepisset miraculorum operationem.* Cum primum enim morti tributum exoluerat, ita potentem existimauit, vt miraculorum author euaderet. Perbellè dictum. Siquidem mortis memoria hominem improbum efficit bonum, & cum humanior est, diuiniorem reddit. Qui autem, vltra memoriam mortis, habet experientiam, & antequam mereretur, non erat improbitate insignis, sed virtute clarus, mirum non est, vt ad edenda miracula, & prodigia potens iudicetur. Et adeo potuit dicere Tyrannus; *Quia Ioannes Baptista surrexit à mortuis, & propterea operantur virtutes in illo.* Quod non immeritò mortis memoriæ adiudicari poterit, a qua virtus illa prouenisse existimari par est: *Credebat eum à mortuis resurrexisse, & quod ex resurrectione suscepisset miraculorum operationem.* Et verò mortis memoria hanc habet prærogatiuam, vt miraculorum edendorum potentiam conferat, sed insuper, malum hominem conuertit in bonum, & quem humaniorem inuenit, magis diuinum efficit.

Claudo cum Apostolo gentium doctore, & expendo medium, quod Deus adhibuit, vt ex malo bonum, ac, vt ita loquar, ex humano, diuinum redderet. Nam ex equo deiecit, & subinde visum abstulit: *Apertisque oculis nihil videbat?* Cur ita in itinere, properantem, Act. 9.
detinet, & excœcat? Porrò, ait Sanctus Augustinus. *Deiecit, vt excæcaret, excœcauit, vt e malo bonum efficeret. Paulus prostratus est, vt excœcaretur, & excœcatus est, vt mutaretur, & mutatus est, vt mitteretur.* At quæro. D. Aug. t.2 epist. c. 204
Ad Pauli conuersionem opus ne erat ad terram prosterni, & deinde visu priuari, ac vt incederet iuberi: Planè respondet S. Augustinus opus erat. Et ideo in terram prosternitur, excœcatur, & incedere iubetur. Quando enim cœcus incedere incipit, primum quod agit, est, manibus tentando, supplere quod visui deest, & sub inde pedes mouet. En igitur casus, & cęcitatis Sacramentum. Nonne dicimus mortis memoriam hominem improbum reddere magis probum, & inhumaniorem diuiniorem efficere? Certè dicimus. Cum igitur Deus intenderet D. Paulum e malo reddere bonum, vt ex humano ita diuinus euadat, vt sit vas electionis, quod nomen eius portet in Orbem: congruum fuit, vt in terram prosterneret, visu priuaret, deinde iuberet incedere, vt tanquam cœcus terram palparet, amplecteretur, & puluerem contrectando, se mortalem
Mortis memoriæ debemus Pauli conuersioné

agno-

agnosceret, & hac cogitatione, de malo bonus, de humano Diuinus quodammodo redderetur; ita vt in paradisum raptus arcana viderit, quæ humana lingua proferri non poterant. *Raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui:* Quod ex mortis memoria prouenit, quæ ad hos effectus potentissima est. *Vnde Paulus prostratus est, vt excæcaretur, & excæcatus est, vt mutaretur, & mutatus est, vt mitteretur,* de malo in bonum, de humano in diuinum quodammodo, mortis memoria permutatus.



CAPVT II.

Quod mortis memoria vnicum contra omnia vitia remedium habeatur.

NVNQVAM melius hoc assumptũ auspicabimur, quam à Diuini spiritus adhortatione, qui apud Salomonem, vt quemquem nostrum aduersus peccata omnia impenetrabilem efficiat, mortis memoriam semper retinere persuadet. *In omnibus operibus tuis, memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Quomodo ergo mortis memoria potens adeo est ad dirigendum humanas actiones, vt euadant ita perfectæ, quod nulla inibi culpa nec timeri possit, inueniatur? Elegans est Lyrani responsio. Vidistine aliquando Nauclerum, qui gubernaculo assidens, Nauem corrigit, & quandiu regimini attendit nullus in nauigatione error euenit? Non aliter se res habet, cum quis, in vitæ cursu mortis memoriam retinet. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, idest mortem; sicut nauta sedet in vltima parte nauis, vt dirigat eam, ideo subditur, & in æternum, idest nunquam peccabis.* Itaque præcipuum studium in cunctis operibus adhibendum est, vt mors ante oculos obuersetur, quia eius memoria præstantissimum est contra peccata omnia remedium, & quandiu hæc duret, omnia tentamenta viriliter superabimus, & de vitijs, ac peccatis victoriam insignem consequemur, de vitæ innocentia gloriantes, *Et in æternum, idest nunquam peccabis.*

Eccl. 7.

Mortis recordatio hominis acta dirigit.

Lyr. ibi.

Singulare in hanc rem est illud, quod de Dauide memoratur, cum Abisai associatus, in speluncam accessit, in qua Saul dormiebat, & facilè iuxta Abisai suasionem, poterat illum occidere, & seipsum ab assiduo mortis periculo liberare: *Dixitque Abisai ad Dauid: conclusit Dominus inimicum tuum hodie in manus tuas. Nunc ergo perfodiam cum lancea in terra semel, & secundo opus non erit.* In promptu erat existimare, quod Dauid responderet: Eia, age, percute, & occide, forte nostra feliciter vtamur. Longè tamen aliter euenit. Nam Abisai ad percutiendum propetantem, hac voce compescuit. *Et dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eum.* Miraberis, quod cum hostem quæreret ad occidendum, cum inueniret, non solum non occidit, sed occidere volentem retardauit. An hoc ex timiditate prouenit? minimè, qua igitur consideratione detentus, hosti pepercit? Egregia est hoc loco D. Chrysostomi responsio. *Conspiciebat, inquit, illum dormientem, ac de morte omnibus communi philosophabatur, somnus nihil aliud est, quam mors temporaria, & vnius diei interitus sic hostem in potestatem suam accipit, & Deum erga se beneuolentiorem reddidit.* Ergo, vt vides, mortis memoria, quæ inspecto Saule dormiente mentem Dauid tetigit, in causa fuit, vt ab eius cæde abstinere quam facilè posset, & hoc partim suadebat vindicta, partim Regni possessio, quæ, mortuo inimico, adeunda esset. Potentior tamen extitit Regni ambitione, & inimici vindicta, mortis recordatio, & ideo illa tactus Dauid, dum dormientem inspexit inimicum, ab illius occisione abstinuit, quo & à culpa se seruauit immunem, & Deum sibi reddidit obstrictum. Nec miror, quod ita patiens, & minimè ambitiosus extiterit. *Conspiciebat illum dormientem, ac de morte omnibus communi Philosophabatur,*

1. Reg. 26.

Mortis vmbra iram côpescit.

D. Io. Chris. hom. de Dauid, & Saule.

Facile inimico parcit, qui cogitat se moriturum.

somnus nihil aliud est, quam mors temporaria; & vnus diei interitus, sit hostem in potestatem suam accepit, & Deum erga se beneuolentiorem reddidit.

Proh quantum hæc mortis memoria homini vtilis esset, si ante ipsius mentem assiduo obuersaretur, totum se ad Dei amorem converteret, ac ab huius mundi idolis se retraheret, in quibus sua consistit conuersio, & vnicum aduersus peccata remedium in mortis memoria constitutum amplecteretur, vt iam ostendo.

Mortuus est ad Dei imperium Moyses, & quamquam, vt scriptura testatur, sepulchrum eius vsque adhuc sit incognitum, nihilominus, iubente Deo, sepultus est in valle Moab, contra Phogor. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, et non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem*. At verò si omnibus occultum esse voluit Moysis sepulchrum; cur illud contra Phogor posuit, vt ibi esset agnitum, vni manifestans, quid alijs occultabat? Respondet Abulensis Phogor esse idolum Moabitarum in eo monte collocatum. *Dicitur contra Phogor: quia Phogor nomen Idoli est, quod colebatur in altissima parte montis Moabitarum*. Erat autem hoc idolum, vt scripsit D. Hieronymus, cui propter luxuriam sacrificia offerebantur. *Sepulchrum eius*, inquit, *positum in valle describitur, contra domum Idoli, quod propriè libidini consecratur*. Congruè autem, vt Idoli illius impostutam corrigeret, vel frænaret, sepulchrum, hoc est mortis memoriam opposuit, hac enim libido sanari poterat. Nam, vt dicebat S. Petrus Damianus. *Non est libidini diuersorium, in qua versatur mente sepulchrum*. Cum autem statuerimus, mortis memoriam optimum esse contra omnia vitia remedium, miro modo factum est, vt contra Phogor collocaretur sepulchrum; sic enim libido, & idololatria eaterminabatur. *Sepulchrum eius positum in valle describitur, contra domum idoli, quod propria libidini consecratur. Quia non est libidini diuersorium, in qua versatur mente sepulchrum*. Quod si homines mortis memoriam assiduò retinerent omnes vitæ actiones ita componerent, vt a culpa essent immunes: Nec vnam tantum, sed omnes peccandi occasiones euitarent, quia aduersus omnia peccata potens est mortis recordatio. Quod vlterius ex D. Pauli actione, antequam ab Hierosolymis descenderet, ostendo.

Deut. 34.

Tost. in Deut. quæst. 2.

Mortis recordatio frænat libidinem.

D. Hier. l. 1. in Iouinian.

Aduersus omnia peccata potens est mortis recordatio.

Prædicante D. Paulo, & Barnaba apud Ierosolymam; concitata est a Iudæis aduersus vtrumque ingens persecutio. Ita quod Paulus, ac Barnabas compulsi fuerint, Vrbem desetere: verum, antequam exirent, puluerem pedum excusserunt, eos, qui aderant, puluere conspergentes, ex quo facto, Christiani incredibilem acceperunt iucunditatem, & sancto spiritu repleti sunt. *Iudæi autem concitauerant mulieres religiosas, & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis. At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium, discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto*. Hæc ibi textus in actibus Apostolorum. Vbi videnda est pulueris pedum excussio in persecutores, quodque ex ea gaudium perceperint discipuli, & sancto Spiritu fuerint repleti. Nam Christi præceptum videtur excedere, quia apud Matthæum solummodo dicit. *Excutite puluerem de pedibus vestris*. Et apud Marcum. *Excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis*: Quod ex Bedæ sententia fiebat ad testificationem, quod ex parte sua quidquid debebat, ac ad Euangelij complementum spectabat, executi fuerant. *Puluis excutitur in testimonium laboris sui, qui ingressi sunt ciuitatem illorum, & prædicauerunt eis*. Eiusdem sententiæ fuit Diuus Hieronymus in Matthæum. *Puluis etiam excutitur de pedibus, in testimonium laboris sui, quod ingressi sunt ciuitatem, & prædicatio ad illos vsque peruenerit*. Igitur sola pulueris excussio præcipiebatur, & tamen Paulus vltra illam, puluerem proijcit in persecutores. In quo videtur præcepti limites transgressus, plus exequens, quam ipsi fuerat mandarum. Deinde notandum est, quod adijcitur, videlicet, fideles, qui talia viderant, gauisos & sancto spiritu

Actor. 13.

Mortis recordatio fidelibus gaudiu, hostibus confusionem affert.

Matt. 10. Marc. 6.

Beda in hunc locum.

D. Hiero. lib. in Gal. aw.

titu

ctu fuisse impletos. *Discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto.* Et quidem, vt notat D. Chrysostomus, hæc actio profuit discipulis, & perseuerantiam in prædicatione eis contulit. Vnde gaudium ex fructu prædicationis, & præmium ex labore perceperunt. *Verumtamen, inquit, neque hoc discipulis nocuit: sed multo magis perseuerarunt in verbo. Id quod manifestat, addens: discipuli quoque replebantur Spiritu sancto.* Atque adeo ex Pauli actione fructus, ex fructu præmium prouenit. Fructus verò ex ipsa pulueris excussione processit, quem ideo in persecutores excusserunt. *At illi excusso puluere pedum in eos.* Quia vt diximus, puluis est mortis figura, in puluere mortis memoria commendatur, quæ aduersus omnia vitia remedium est præsentissimum. Cum autem D. Paulus nihil aliud prædicando intendat, quam vitijs mederi; postquam prædicauit, videns, quia nihil profecerat, sed pro emendatione secuta fuerat persecutio; vt ostenderet, quantum potuit, satis elaborasse, vt peccata deleret, puluerem, hoc est mortis memoriam, veluti postremum remedium in eos excussit. *At illi excusso puluere pedum in eos.* Et ideo quasi lætabundi, quod suum perfectè munus obierant, discesserunt: interim vero discipuli gaudio, & Spiritu sancto replebantur. *Puluis excutitur in præmium laboris sui, qui ingressi sunt Ciuitatem illorum, & prædicauerunt eis.* Tantum verò abfuit, vt hoc discipulis noceret, quod potius hinc magnam iucunditatem, & sancti Spiritus plenitudinem acceperunt. *Verumtamen neque hoc discipulis nocuit, sed multo magis perseuerarunt in verbo, id quod manifestat, addens, discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto.* Et interim puluis ille mutus, voce quadam, omni tuba clatiore prædicabat, mortis memoriam contra omnia peccata anthidotum esse potentissimum.

Fructus prædicationis gaudium parit.

D. Io. Chrys. in Matt. 10.

Mortis memoria extremum remedium contra peccatores.

Proh quam acerbum est ijs, qui, laxis habenis ad vitæ voluptates, & mundi lænocinia procurrunt, mortem memoria recolere. Dicas quæso o homo: cur mortalis cum sis, quare te moriturum non assiduò recordaris? siquidem semel tãtum calcanda est via lheti. Hinc est illud Iob. *Semitam, per quam non reuertar, ambulo* Vnde qui semel errauit a semita, nunquam amplius inueniet illam. At quænam errandi causa? Breuis voluptas, quæ æternis cruciatibus terminabitur: Sicuti breuiter a D. Francisco dictum. *Voluptas breuis: pœna perpetua.* Et iam antea dixerat S. Augustinus. *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.* Quænam dementia est, propter delectationem breuissime transeuntem, tormentis subijci nunquam finiendis: Imbecillitas forsan est, propter quam tentationibus resistere non possumus? mortem meditemur, nunquam e mente nobis excidat illius memoria, quæ adeo potens est, vt non solum ad illicita, verum etiam licita appetitum cohibeat. Nec in hominibus tantum, sed etiam in brutis ratione carentibus appetitus moderatur.

Iob. 16.

Breuis voluptas æternis cruciatibus terminabitur.

D. Franc.

S. Aug. Ser de omn. sanc

Decreuerat Deus, mundum vniuersum diluuio extinguere, ita quod nullus viuens superesset, præter eos, qui, ex ipsius mandato, in arcam ingredientes, liberandi erant. Igitur Noe locutus, sic ait: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam. Te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis, tolle septena, & septena, masculum, & fœminam: de animantibus vero immundis, duo, & duo, masculum, & fœminam.* Iuxta Dei mandatum instante iam cataclysmo, ingressi sunt homines, & bruta, & omnes simul ibi morabantur: Nec quamuis ex animantibus multa essent inter se contraria, sæuitiam, & crudelitatem in alia exercebant, sed tranquillitatem maximam inter se conseruabant. Præterea Noe, & filij durante diluuio a congressu cum vxoribus abstinuerunt, & eadem ab animantibus, vt refert ex Hebræis Tostatus, abstinentia seruata est. *Dicunt enim, inquit, omnes Hebræi, quod in arca, nec homines, nec bruta coierunt, propter vniuersalem mundi tribulationem.* Vides, vt non solum homines, sed etiam bruta se continuerint, cum tamen nulla in hoc fieret Deo offensa. *Et hoc propter vniuersalem mundi tribulationem.* Quoniam sicut diximus mortis memoria, non solum contra vitia po-

Gen. 7.

Mortis aspectus libidinis extinguit faces.

Abul. qu.

tens eſt, ſed appetitui etiam in rebus licitis frœnum adhibet. Cum igitur Deus mundum puniret, & vbi mortis imago cerneretur: animalia ferocitatem reprimunt, homines a licitis obſtinent, & idem in animantibus cernitur: Quaſi mors, ab vtriſque conſpecta, omnes appetitus etiam licitos extinxerit, & ideo non immerito cenſuerunt Hebræi, durante diluuio, tam in hominibus, quam etiam iumentis abſtinentiam a coitu viguiſſe. *Dicunt enim Doctores Hebræi, quod in arca, nec homines, nec bruta coierunt; propter vniuerſalem mundi tribulationem*.

Pergo vlterius, & Niniuitarum exemplorem illuſtro. Niniuem acceſſit Ionas, & per orbem diſcurrendo, prædicauit, dicens: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*: Peruenit hoc ad Regem, & continuò ita præcepit. *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam: nec paſcantur, & aquam non bibant*. Miratur hoc loco Theodoretus, quod Rex non ſolum hominibus abſtinentiam a voluptatibus, & ieiunium indixerit, ſed etiam animalia præcepit a cibo, potuque abſtinere. *Rex*, inquit, *non viros ſolum, & mulieres ieiunio vacare; ſed etiam ratione carentia iuſſit abſtinere*. Quid cõmune habet Niniuitarũ punitio cum animalium abſtinentia? peccarunt homines, ieiunio ſe caſtigent. At verò beſtiæ ratione carentes, & culpæ incapaces, cur cibo, & potu carere iubentur? Dicam: pro certò ſtatuimus, mortis memoriam præſentiſſimum eſſe contra omnia vitia remedium, nec ſolos homines, ſed etiam animantia illius recordatione licitis pariter, & honeſtis parcere. Cum autem Ionas mortem fuerit miniratus, & extremam ſubuerſionem, dicens: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*. Vbi primum mortis memoria Regem tetigit, ſtatim hominibus, & animantibus, non tantum ab illicitis, ſed etiam a licitis abſtinere præcepit. *Non viros ſolum, & mulieres ieiunio vacare, ſed etiam ratione carentia, iuſſit ab omni cibo abſtinere*. Quo probatum reliquit, quam potens ſit ad vitiorum abſtinentiam mortis recordatio, ſiquidem non ſolum homines, verum etiam animalia a licitis pariter, & illicitis remouet.

Iona 3.

Mortis facies, & bruta ohibet.

Theo. ibidem.

Hinc planè ſequitur, eos, qui mortem obliuiſcuntur, in perditionem abire; ſi enim memoria mortem retinerent, inde contra omnia vitia remedium inuenirent, omneſque vitæ actiones ad Dei legem ita componerent, vt ipſi placerent, ac æternam beatitudinem mererentur.

Claudo ſimilitudine, qua Salomon in canticis ſponſæ pulchritudinem prædicauit. *Equitatui meo*, inquit, *in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea*. Porrò huiuſmodi comparatio, plus ſponſæ pulchritudinem imminuere, ac eſtenuare videtur, quam extollere. Quid commune habet fœminæ collum monilibus adornatum? *Collum tuum ſicut monilia*. Quid capitis eincinni gemmis, & vnionibus impexi? quid illa teneritudo, ad amoris illicebram compoſita, cum Phalerata equi ceruice, criſpantibus iubis erecta? Nihil certè: vt quid ergo Salomon hac vtitur ſimilitudine, vt ſponſæ pulchritudinem exprimat? Auſcultandus eſt D. Gregorius, qui cenſuit hic non tantum ſponſæ eleganriam deſcribi, quantum tali comparatione edoceri, qualis eſſe oportet, vt ſponſo ſit grata, & amabilis. *Si vis*, inquit, *intelligere, quomodo te ſcire debeas, intellige, cui te comparauerim, & tunc cognoſces te talem per beneficia mea tibi collata, qua turbari non debeas*. Cæterum quid habet equus, vt ſponſæ illum æmulando placeat ſponſo? Plurimum equidem, præſertim in ceruice, quam erigit, arcuatim extollit, ac in omnes partes circumflectit, & ſic vel parat inceſſum, vel ad curſum incitatur, vel gyrat, aut ſaltus molitur. *Nomine monilis*, inquit Nyſſenus, *Orbis notatur, cuius figura, in equi generoſi, ceruicem pulchrè incuruantis, collo commonſtrata, ſpecioſiorem reddit*. Ita ille, & paulo poſt. *Et dum equus ceruicem ſic molitur, flectit pedem, inceſſum aſpicit, qua ratione conſequitur, vt ſine offenſione, & tutò figat veſtigia, currat, ſaltet*. Quaſi dicat: O anima, hæc enim eſt ſponſa, ſicut equus, curuata in terram ceruice, incedit, & tunc ſecu-

Cant. 1.

Mortis memoria vetus ſponſæ ornatum.

D. Greg. in Cant. 1.

Niſſen. hom. 3

cura figit vestigia, cum terram aspicit: Ita & tu, cum terram intueberis, hoc est mortem meditaberis, eiusque memoriam retinueris, omnes actiones tuas ita compones, vt mihi summopere placeant. In hoc sensu exposuit locum Ghislerius, à Nysseno mutuatus. *Hanc verò commendationem*, inquit, *ita Nyssenus applicat animæ; quod sicut equus collum in orbem flectens, ad omnes suos gressus aspicit, quo fit, vt inoffensus, & tutus sit gressus; ita anima sancta ad se ipsam aspiciat, & tutissimè ad cursum diuinum festinet, vniuersa deuitans impedimenta, quod non mediocrem illi affert laudem*. Quicunque ergo tutò cupit incedere, semper, vbi pedem figit, intueatur, terram subtus videat, & mortis recordetur: hac enim consideratione, cuncta vitia superabit; nec ab illicitis tantum, sed etiam a licitis abstinebit, similis sponsæ, de qua dixit Salomon: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea, quia collum tuum sicut monilia*. Quod perinde fuit, ac si laudando, vel comparando adhortaretur, vt equi similitudinem referret, & terram incedendo inspiceret, hoc est in assiduæ mortis memoria versaretur, qua ita rectè viueret, vt sponso foret gratissima. *Sicut equus, collum in orbem flectens, ad omnes suos gressus aspicit, quo fit, vt inoffensus, & tutus sit gressus, ita anima sancta ad se ipsam aspiciat, & tutissimè ad cursum diuinum festinet, vniuersa deuitans impedimenta, quod non mediocrem illi affert laudem*.

Gisl. ibidem vers. 10.

Terra aspicienda, ne labamus.

CAPVT III.

Quod si vniuscuiusque mors vitæ suæ correspondet, in eius potestate situm est, vt benè moriatur, siquidem vt bona cuique mors eueniat, facilè est benè viuere.

MVNDI huius fallaciam ponderauit. S. Antonius, quę mira quadam voluptate homines decipit, ac eo cæcitatis deducit, vt periculum suum non agnoscant, quousque in damnationis statum deueniāt, nusquam securi: quoniam vnde securitatem expectabant, inde periculum enascitur, non aliter quam ijs accidit, qui baculo arundineo innituntur; dum enim fortius incumbunt, frangitur, & innitentes vulnerat. Hinc est illa Isaiæ exprobratio, qua nonnullos inaniter fidentes arguebat. *Ecce*, inquit, *confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam*. Quisnam est iste baculus, qui confractus initentem vulnerat? quęnam isthæc est arundo, quæ ruptar manum eius, qui tenet, acerbissime præforat? Haud dubium, ait Antonius: *Abundantia mundi, & sanitas corporis, sunt quasi arundo, quæ radicem habet in luto, interius vacua, & exterius pulchra*. Diuitiæ, bona valetudo, & alia mundi huius bona, sunt arundini similia; quæ in palustri, & cænoso loco radices habet, exterius quidem speciosa, interius tamen inanis, & vacua. Cum ergo Isaias mundialia bona baculo arundineo assimilat, qui confractus manum innitentis vulnerat: perinde fuit, ac si hominem admoneret, ne huiusmodi bonis fideret, quia cum radicem habeant in mortalitatis cœno, repentè euanescunt, & ingruente

Isai. 36.

Mundi bona in star arundinis.

D. Ant. Pa Ser. 1. de sp.

te morte, externa illa pulchritudo euanescit, & anima bonis operibus vacua, & inanis reperitur, & cum saluari cupit, tempus abscedit: quia si mors vniuscuiusque vitæ respondet; cum vita fuit mala, consentaneum est, vt baculo confracto, manus percutiatur, hoc est anima in infernum præcipitetur. Egregiè S. Antonius: *Hæc arundo, si super illam homo innititur, in morte confringitur, confracta vulnerat animam; quæ vulnerata cadit in Gehennam*. Sed quæro: cur dixit baculum arundineum? Quia sicut in manu cuiuslibet situm est baculum sumere, vel dimittere. Et si in hoc mundo mors bona consistit, vt quis hunc baculum dimittat, noueris, in tua potestate situm esse, vt bona tibi mors contingat: atque adeò, si illam optas, vt bona sit vita enitere; quia mors illi correspondet. Quod si baculum retines, eoque inniteris, frangetur, & vulnerabit te, vulneratus damnaberis. *Hæc arundo, si super illam homo innitatur, in morte confringitur, confracta, vulnerat animam, quæ vulnerata cadit in Gehennam*.

D. Ant. vbi sup.

In nostra potestate est mors bona.

Secundam probationem addo ex D. Bernardino, ad illa verba ecclesiastici: *Vir in multis expertus, cogitabit multa*: Idest, vnusquisque ea, quæ tractat, cogitatione versat. Vnde sequitur; quod si bona fuerint opera, cogitationes quoque bonæ erunt, & viceuersa; & subinde qui rectè viuit, rectè cogitabit, ac benè morietur, & contrario, qui malè vixit, peius cogitauit, quomodo fieri potest, vt benè moriatur. *Vir*, inquit, *in multis expertus, scilicet, siue malis, siue bonis, cogitabit multa: videlicet, secundum ea, quæ expertus est, sed tales, male viuendo, non experiuntur nisi opera mala, sic etiam malè moriendo cogitant*. At quæro: Nonne in hominis potestate situm est bene operari? Maximè. Igitur si bonam vitam mors bona consequitur; in manu cuiusque est benè mori, quandoquidem facile est benè operari, vnde fiet, quod malè cogitans non morietur.

Eccles. 34.

D. Ber. ser. 5. post 1. Dom. quadr. ser. 14.

Bonam vitã bona, malã mors mala subsequitur.

Prosequor cum D. Antonio, qui verba illa Isaiæ disertè expendens. *Et erit fortitudo vestra, vt fauilla stuppa, & opus vestrum quasi scintilla*. In quibus breuitatem, qua mundi potentiæ, diuitiæ, & reliqua elabuntur mirificè depinxit. Proh boni superi, vbi primum stuppa ab igne corripitur, quid speremus, nisi repentinam combustionem? quin flamma possit extingui? *Et succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat*. In hoc autem adustionis periculum peccator incurrit, propter mala opera ambitione, & timiditate plena. Et quidem, si vitam corrigeret, tale incendium euadere poterat, quia mors vitæ respondet, & benè viuendo, poterat bene mori: noluit tamen; ideoque flamma stuppam corripiens exuritur, & in æternum damnatur. *Et tunc*, ait, *erit fortitudo, idest superbia eorum, quasi fauilla, idest nullius momenti, & succendetur a Damonibus vtrumque, idest fortitudo superbia, & opus auaritiæ, & non erit qui extinguet*.

Isaia 1.

Mundana fortitudo stuppea.

D. Ant. Pad. Ser. 2. de tip.

Quid ad hæc aget homo, Christianis moribus institutus? cur præ dolore non contabescet, & omnibus vitæ gaudijs non renuntiabit? siquidem cuncta vertuntur postmodum in tormenta, nec sit qui mortem possit euadere. Audiendus est Isaias, dicens: *Erubescitis super hortis, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus absque aqua*. Hoc est, Rubore, & verecundia suffundemini, cum voluptates vestras, folijs arborum similes, euanuisse conspexeritis, nec ex illis quidquam superesse, præter dolorem, & confusionem: non aliter, quam ingruente hyeme, quercus foliorum, ambitione, apparatuque viduata, ventorum ludibrijs exponitur. Perbellè D. Antonius. *In fine vitæ suæ, erubescunt carnales super hortis gulæ, & luxuriæ, quos sibi elegerunt dum viuerent, & erunt nudi, & aridi, defluentibus folijs, idest diuitijs, & delicijs, & velut hortis absque aqua, quia omnis delectatio cessabit*. Ita planè est, breuissimo namque spatio gaudia, diuitiæ, magnitudo, potentia, maiestas, & cuncta vitæ bona prætereunt, & repentino abscessu euanescunt, nec quidquam ea diligentibus, præter confusionem, & verecundiam relinquitur. Et solummodo videbunt pœ-

Isai. 1.

Bona mundi, folia arborum defluentia.

D. Ant. Pad. Ser. 2. temp.

narum initium, quæ suis criminibus correspondent. *Amplius enim, per ea nales sensus non decurret aqua mundanæ voluptatis, ad inebriandum concupiscentiam carnis.* Si ergo huiusmodi confusio vitam consequitur sceleratam, & in cuiuslibet potestate situm est, vt benè viuat; bona quisque opera faciat, vt benè moriatur; talem namque mortem quilibet nactus erit, qualia opera ediderit. Certum enim est, quod si culpa adsit, mors pœnæ fiet obnoxia: nec sola ad hoc propria culpa requiritur, sed satis est aliena, quando quispiam, licet innocens sit, culpas super se alienas suscipit.

Christi in horto ad patrem orantis in ipsa nocte passionis, exemplo rem illustro. Ait enim Matthæus, quod assumptis Petro, Iacobo, & Ioanne ad orandum secessit, & statim magna cœpit tristitia affici. *Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* — Matt. 26.

S. Lucas de hac agens, asserit ingentem adeò fuisse Christi mœstitudinem, vt præ angustia sanguineo sudore perfunderetur. Et factus in agonia prolixius orabat. *Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* — Luc. 22.

Sanguineus Christi sudor, culpæ est rubor est.

Quæ nam tantæ mæstitiæ causa, vt sanguinem elicuerit? minimè, quia iam se nouerat moriturum, nec imparatus inuenitur. D. Hyeronymus sanguinem præ sudore fluentem intuitus, culpis hæc attribuit. Quoniam, sicut dum crimen aliquod cuiuis opponitur, statim rubore perfunditur, quia sanguis in faciem recurrit, & verò rubeus ille vultus color culpæ argumentum reputatur; ita Christo euenit, dum ipsi in horto oranti hominum peccata objicerentur: & subinde occurrente in faciem sanguine sudauit ad culparum testimonium, pro quibus moriebatur. *Rubor*, inquit, *vultus pudoris indicium est, & conscientia peccatorum lucet in facie.* — D. Hier. in c. 6. Esaæ l. 3.

Conscientia lucet in facie.

Adhuc instabis: summa erat Christi innocentia, nec nisi pro alienis patiebatur delictis, cur ita mœrore conficitur? audi Origenem ad illa verba: *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Quasi dicat*, inquit, *tristitia cœpta est in me, non semper, sed vsque ad tempus mortis; vt cum mortuus fuero, peccato moriar, & vniuersa tristitia, cuius principium tamen fuit in me.* — Orig. trac. 35.

Ita ille, ac si diceret: *Tristitia in me incœpit:* non tamen mortis limites transibit, illic sistet; quia cum pro hominum culpa mortem quam super me tuli, necesse est, vt mœrore afficiar, quo vsque, moriens, culpam delebo. Et verò sic annexum morti est pœnam pati, quando quis culpa infectus moritur, vt tristari etiam & illum necesse sit, qui innocens moritur, quando alienas culpas supra se suscipit.

Tēpus mortis culparū tristitia sequitur.

Et ideo, *Tristitia cœpta est in me; non semper, sed vsque ad tempus mortis, & cum mortuus fuero, peccato moriar, & vniuersa tristitia, cuius principium tamen fuit in me.* Si ergo hoc euenit, quando quis innocens moritur, propterea qui propellente charitate alienas culpas supra se tulit, quid fiet de his, qui delictis onerati, diem rationis expectant? Quam formidanda, & terribilis huiusmodi peccatoribus mors accidet? Etenim, qualem quisque vitam deguit, talem experietur interitum. Qui male vixit, cum posset benè viuere; quid ni malè moriatur, malæ mortis ipse sibi auctor effectus.

Interitus vitæ non dissimilis.

Quærit D. Bernardinus: an spectata mortis natura, aliquod sit moriendi discrimen? Et respondet nullum esse. Quare igitur peccatoris mors mala, & iusti bona apud Psalmographum appellatur? *Mors peccatorum pessima.* & *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Similitudine quadam pulcherrima se explicat Bernardinus. — Ps. 33. — Ps. 115.

Solent aliquando in vinculis duo homines detineri, quidam innocens diem expectat, in quo exibit e carcere, libertatem adeptus: alter capite propter delicta damnatus, diem timet, in qua ad supplicium educendus est. Diuersi in vtroque effectus ex carceris exitu oriuntur. Innocens enim de egressu hilarescit, delinquens contristatur. Non aliter in iusto accidit, & peccatore: Iustus de exitu e carcere, hoc est mortali corpore, iucundatur, vt cernere est in Apostolo Paulo, qui dicebat. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Peccator verò, quia damnationem timet æternam, — Nota. — Ad Philip. 1.

te morte, externa illa pulchritudo euanescit, & anima bonis operibus vacua, & inanis reperitur, & cum saluari cupit, tempus abscedit: quia si mors vniuscuiusque vitæ respondet; cum vita fuit mala, consentaneum est, vt baculo confracto, manus percutiatur, hoc est anima in infernum præcipitetur. Egregiè S. Antonius: *Hæc arundo, si super illam homo innititur, in morte confrigitur, confracta vulnerat animam; quæ vulnerata cadit in Gehennam.* Sed quæro: cur dixit baculum arundineum? Quia sicut in manu cuiuslibet situm est baculum sumere, vel dimittere. Et si in hoc mundo mors bona consistit, vt quis hunc baculum dimittat, noueris, in tua potestate situm esse, vt bona tibi mors contingat: atque adeò, si illam optas, vt bona sit vita enitere; quia mors illi correspondet. Quod si baculum retines, eoque inniteris, frangetur, & vulnerabit te, vulneratus damnaberis. *Hæc arundo, si super illam homo innitatur, in morte confringitur, confracta vulnerat animam, quæ vulnerata cadit in Gehennam.*

D. Anto. vbi sup. a.

In nostra potestate est mors bona.

Secundam probationem addo ex D. Bernardino, ad illa verba ecclesiastici: *Vir in multis expertus, cogitabit multa*: Idest, vnusquisque ea, quæ tractat, cogitatione versat. Vnde fit quitur: quod si bona fuerint opera, cogitationes quoque bonæ erunt, & viceuersa; & subinde qui rectè viuit, rectè cogitabit, ac benè morietur, & contrario, qui malè vixit, peius cogitauit, quomodo fieri potest, vt benè moriatur, *Vir*, inquit, *in multis expertus, scilicet, siue malis, siue bonis, cogitabit multa: videlicet, secundum ea, quæ expertus est, sed tales, male viuendo, non experiuntur nisi opera mala, sic etiam malè moriendo cogitant.* At quæro: Nonne in hominis potestate situm est bene operari? Maximè. Igitur si bonam vitam mors bona consequitur; in manu cuiusque est benè mori, quandoquidem facile est benè operari, vnde fiet, quod malè cogitans non morietur.

Eccles. 34.

D. Ber. ser. 5. post 1 Dom. quadr. ar. 14.

Bonam vitã bona, malã mors mala subsequitur.

Prosequor cum D. Antonio, qui verba illa Isaiæ disertè expendens. *Et erit fortitudo vestra, vt fauilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla.* In quibus breuitatem, qua mundi potentiæ, diuitiæ, & reliqua elabuntur mirificè depinxit. Proh boni superi, vbi primum stuppa ab igne corripitur, quid speremus, nisi repentinam combustionem? quis flammam possit extinguere? *Et succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat.* In hoc autem adustionis periculum peccator incurrit, propter mala opera ambitione, & timiditate plena. Et quidem, si vitam corrigeret, tale incendium euadere poterat, quia mors vitæ respondet, & benè viuendo, poterat bene mori: noluit tamen; ideoque flamma stuppam corripiens extinitur, & in æternum damnatur. *Et tunc*, ait, *erit fortitudo, idest superbia eorum, quasi fauilla, idest nullius momenti, & succendetur a Damonibus vtrumque, idest fortitudo superbiæ, & opus auaritiæ, & non erit qui extinguet.*

Isaia 1.

Mundana fortitudo stuppea.

D. Ant. Pad. Ser. 2. de tëp.

Quid ad hæc aget homo, Christianis moribus institutus? cur præ dolore non contabescet, & omnibus vitæ gaudijs non renuntiabit? siquidem cuncta vertuntur postmodum in tormenta, nec sit qui mortem possit euadere. Audiendus est Isaias, dicens: *Erubescitis super hortis, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus absque aqua.* Hoc est, Rubore, & verecundia suffundemini, cum voluptates vestras, folijs arborum similes, euanuisse conspexeritis, nec ex illis quidquam superfuerit, præter dolorem, & confusionem: non aliter, quam ingruente hyeme, quercus foliorum ambitione, apparatuque viduara, ventorum ludibrijs exponitur. Perbellè D. Antonius. *In fine vitæ suæ, erubescunt carnales super hortis gulæ, & luxuriæ, quos sibi elegerunt dum viuerent, & erunt nudi, & aridi, defluentibus folijs, idest diuitijs, & delicijs, & velut hortis absque aqua, quia omnis delectatio cessabit.* Ita planè est, breuissimo namque spatio gaudia, diuitiæ, magnitudo, potentia, maiestas, & cuncta vitæ bona prætereunt, & repentino abscessu euanescunt, nec quidquam ea diligentibus, præter confusionem, & verecundiam relinquitur. Et solummodo videbunt pœ-

Isai. 1.

Bona mundi, folia arborum defluentia.

D. Ant. Pad. Ser. 1. temp.

na-

narum initium, quæ suis criminibus correspondent. *Amplius enim, per carnales sensus non decurret aqua mundanæ voluptatis, ad inebriandum concupiscentiam carnis.* Si ergo huiusmodi confusio vitam consequitur sceleratam, & in cuiuslibet potestate situm est, vt benè viuat; bona quisque opera faciat, vt benè moriatur; talem namque mortem quilibet nactus erit, qualia opera ediderit. Certum enim est, quod si culpa adsit, mors pœnæ fiet obnoxia: nec sola ad hoc propria culpa requiritur, sed satis est aliena, quando quispiam, licet innocens sit, culpas super se alienas suscipit.

Christi in horto ad patrem orantis in ipsa nocte passionis, exemplo rem illustro. Ait enim Matthæus, quod assumptis Petro, Iacobo, & Ioanne ad orandum secessit, & statim magna cœpit tristitia affici. *Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari, & mæstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* (Matt. 26.) S. Lucas de hac agens, asserit ingentem adeò fuisse Christi mœstitudinem, vt præ angustia sanguineo sudore perfunderetur. Et factus in agonia prolixius orabat. *Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* (Luc. 22.) Quæ nam tantæ mæstitiæ causa, vt sanguinem elicuerit? minimè, quia iam se nouerat moriturum, nec imparatus inuenitur. D. Hyeronymus sanguinem præ sudore fluentem intuitus, culpis hæc attribuit. Quoniam, sicut dum crimen aliquod cuiuis opponitur, statim rubore perfunditur, quia sanguis in faciem recurrit, & verò rubeus ille vultus color culpæ argumentum reputatur; ita Christo euenit, dum ipsi in horto oranti hominum peccata objicerentur: & subinde occurrente in faciem sanguine sudauit ad culparum testimonium, pro quibus moriebatur. (Sanguineos Christi sudat, culpæ est rubor est.) *Rubor*, inquit, *vultus pudoris indicium est, & conscientia peccatorum lucet in facie.* (D. Hier. in c. 6. Ezec. l. 2.) (Conscientia lucet in facie.) Adhuc instabis: summa erat Christi innocentia, nec nisi pro alienis patiebatur delictis, cur ita mærore concutitur? audi Origenem ad illa verba. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* (Orig. tract. 35.) *Quasi dicat*, inquit, *tristitia cœpta est in me, non semper, sed vsque ad tempus mortis; vt cum mortuus fuero, peccato moriar, & vniuersæ tristitiæ, cuius principium tamen fuit in me.* Ita ille, ac si diceret: *Tristitia in me incœpit:* non tamen mortis limites transibit, illic sistet; quia cum pro hominum culpa morior, quam super me tuli, necesse est, vt mœrore afficiar, quo vsque, moriens, culpam delebo. Et verò sic annexum morti est pœnam pati, quando quis culpa infectus moritur, vt tristari etiam & illum necesse sit, qui innocens moritur, quando alienas culpas supra se suscipit. (Tēpus mortis culparū tristitia sequitur.) Et ideo, *Tristitia cœpta est in me, non semper, sed vsque ad tempus mortis, & cum mortuus fuero, peccato moriar, & vniuersæ tristitiæ, cuius principium tamen fuit in me.* Si ergo hoc euenit, quando quis innocens moritur, propterea qui propellente charitate alienas culpas supra se tulit, quid fiet de his, qui delictis onerati, diem rationis expectant? Quam formidanda; & terribilis huiusmodi peccatoribus mors accidet? Etenim, qualem quisque vitam deguit, talem experietur interitum. Qui male vixit, cum posset benè viuere; quid ni malè moriatur, malæ mortis ipse sibi auctor effectus. (Interitus vitæ non dissimilis.)

Quærit D. Bernardinus: an spectata mortis natura, aliquod sit moriendi discrimen? Et respondet nullum esse. Quare igitur peccatoris mors mala, & iusti bona apud Psalmographum appellatur? *Mors peccatorum pessima.* (Ps. 33.) & *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* (Ps. 115.) Similitudine quadam pulcherrima se explicat Bernardinus. Solent aliquando in vinculis duo homines detineri, quidam innocens diem expectat, in quo exibit e carcere, libertatem adepturus: alter capite propter delicta damnatus, diem timet, in qua ad supplicium educendus est. (Nota.) Diuersi in vtroque effectus ex carceris exitu oriuntur. Innocens enim de egressu hilarescit, delinquens contristatur. Non aliter in iusto accidit, & peccatore: Iustus de exitu e carcere, hoc est mortali corpore, iucundatur, vt cernere est in Apostolo Paulo, qui dicebat. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* (Ad Philip.) Peccator verò, quia damnationem timet æternam,

nam, de corpore exire tripidat. Eleganter Bernardinus. *Sicut si duo in carcere sint, quorum vnus expectat suspendi, & alter liberari; tempore autem statuto, cum ambo de carcere euocantur, vnus timet inde exire, alius enim egredi iucundatur: sic vtique contingit de carcere corporali, cum inde per mortem egrediuntur iusti, & peccatores.* Itaque innocentia vnius, & alterius delictum, vel iucundum, vel formidabilem exitum efficiunt: delinquens egreditur moriturus, innocens, vt viuat e carcere prodit. Et ideo, *vnus timet inde exire, alius enim egredi iucundatur.* Hinc est, vt nullus de mala morte conqueri possit; quoniam vnusquisque malæ mortis sibi faber est. Peccator pessimam facit. *Mors peccatorum pessima:* Iustus bonam. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Neque enim mors vbi adest, culpa poterit immunis a pœna existere: viuat igitur benè, quod facile est, quicunque in morte pœnam cupit euadere, & vitæ exitum non timens, sed hilaris expectabit. Vnus timet inde exire, alius enim egredi iucundatur.

CAPVT IV.

Quod oporteat mortem tractare, ne sit timenda. Qui enim eam viuens obliuiscitur, ei redditur, morienti, formidolosa.



QVAM formidanda sit mors hominibus, qui vitam, ipsius obliuione, transigunt depinxit egregiè sanctus Antonius de Padua, tractans illa Apostoli verba ad Thess. c. 5. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet: cum enim dixerint pax, & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus.* Nec magna interueniet mora, sed statim imparatos, & nihil minus cogitantes inuadet: *Ecce venio citò reddere vnicuique secundum opera sua.* Quid tunc remedij peccator inueniet? quo se vertet, vt leuamen aliquod inueniat? Fugiet? At non est fuga, nullus refugij locus, siue terram quærat, siue mare nauiget, siue in aerem eleuetur, omnia contra seipsum elementa reperiet obarmata, & tandem, confusione plenus, in tartarum detrudetur. Audiendus est S. Antonius rem hanc eleganter depingens. *Quo ergo fugiet miser? vbi se abscondet? si in cælum voluerit ascendere, tonitruo pulsabitur: si in aerem, turbine conteretur: si in terra remanere voluerit, timorem non poterit sustinere, quia vt dicit Iob. Terra aduersus eum consurget: si in mare intrare voluerit, fluctibus eius expelletur. Quid ergo restat misero, cui non est inuentus locus in toto mundo, nisi, vt cadat in abyssum flammæ ignis deuorantis.* Quam tunc causam, in his angustijs constitutus, allegabit peccator, vt se defendat. Quid eget imparatus, & horæ, ex qua mors irruet penitus ignarus, quoniam sicut nihil morte certius, ita nihil magis incertum est, quam hora mortis. *Nihil enim certius morte: nihil incertius hora mortis,* ait S. Bernardinus. Et ideò tanquam incertum, quid nocte intempesta, & furis instar venit. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita ueniet.* Oportet ergo, vt peccator in tali formidinis occasione se præueniat, & mortem recogitando tractet: quia mors oblita, formidabilis est, & quando tractatur nullum affert timorem. Quod si negligat, ignem timeat deuorantem. *Quid ergo restat misero, cui non est inuentus locus in toto mundo, nisi ut cadat in abyssum flammæ ignis deuorantis.*

Proh miseram deceptionem! quam illusi homines vitę voluptatibus vacant, mortis obliti, quasi nunquam sint morituri. Quid vos ò miseri detinet, ne in assidua mortis consideratione exerceamini? forsan mundi illecebræ? Regium Vatem audite, illarum inanitatem mirifice describentem. *Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens, intendit arcum suum donec infirmentur.* Aquæ similitudine, cuiusuis hominis vitæ flu-

Apoc. 22.

D. Ant. Pad. Ser. 1. temp.

Peccatori nullum refugium.

D. Bern. Sen. ser 4. post 1. Dom ser. 13. c. 4. & 1. ar. 3.

Mors oblita formidabilis

Psal. [illegible]

xum describir, quæ assiduo cursu elabitur, nec cessat quousque in mare perueniat. At verò fluuius, quamquam magnam aquarum molem deuoluat, vbi primum in mare se exonerat, nomen amittit. Nec magna mora est, antequam in mare intret: non aliter accidit hominibus, qui viuendo, summa celeritate, ad mare mortis properant. *Quid enim aliud*, ait S. Bernardinus, *est præsens tempus, nisi quidam rerum fluxus, & uelocissimus cursus, in quo hominis uita, quasi currenti flumini similis est: quod cum ad mare peruenerit, perdit nomen, iuxta illud Psalmi: ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens:* Quod verò remedium erit, vt in hac rerum inconstantia, & labilitate homines cum ad mare mortis deueniunt, angustijs liberentur? Primò necesse est, vt homo vitam elabentem agnoscat, quæ velut flumen nunquam sistit: vnde nihili facienda est, & cum magis manu, hoc est desiderio, comprimitur, celerius elabitur, & euanescit. Secundò considerandum est, præter vitæ breuitatem, semper mortis sententiam auditui resonare: atque adeò, sicut ne timeatur aqua, tractanda est, & in illam sæpius intrandum, sic etiam, vt mortis timor amittatur, oportet vt meditatione, & memoria frequenter teneatur. Vnde qui, moriendo, angustijs carere desiderat, vitæ labilitatem assiduò mente verset, & aquæ similitudinem meditetur. *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens, intendit arcum suum, donec infirmentur.*

D. Bern. Sin. ubi supra.

Vita fluuio similis.

Mors assiduo meditanda, vt in extremis angustijs careamus.

At qui nulla huiusmodi peccatoribus erit misericordiæ spes: ita quod, licet viuentes mortis fuerint obliti; attamen, morientes, consolationem aliquam, leuamenque habebunt? Nullum prorsus, quia tunc misericordiæ fores occluduntur. Vt egregiè deducit Scotus, verba illa expendens Actorum Apostolorum, vbi Angeli Apostolos Christum ascendentem in cælum visu comitantes ita fuerunt allocuti: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cælum.* Subiungit rem notatu dignam. *Sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cælum, ut dicit glossa super quartum sententiarum. sedebit in loco eminenti aeris, contra montē Olíueti, ut cæteri uidere possint.* Porrò, quanam culpa meruit mons ille, vt veniens Iudex contra illum sedeat? nulla. Quare igitur contra illum Iudicij sedem collocat? *Sedebit in loco eminenti, contra montem Oliueti.* Planè Oliua, quarum mons ille erat feracissimus, pacem, teste D. Ambrosio, significat. *Est autem arbor pacis insignis.* Et Isichius in Matthæum, charitatis, & misericordiæ symbolum appellat: & ideo Deus in tabernaculo nunquā deesse præcipiebat. *Præcipe filijs Israel, ut afferant tibi Oleum de oliuis purissimum.* Quo loco ait Isichius. *In tabernaculo, idest in cælo, ubi misericordes abscondunt thesauros.* Hinc est, vt apud Deuteronomium iusserit: *Oliuas habebis in omnibus terminis tuis.* Cum ergo oliua sit pacis, seu misericordię, vel charitatis symbolum, vt Ambrosius, & Isichius censuerunt: Ideoque virgo sanctissima misericordiæ mater oliuæ assimilatur. *Quasi oliua speciosa in campis*, vt nouerint, qui mortis obliti, vitijs fræna laxarunt, mortem ipsis futuram formidabilem, & misericordiam non inuenturos, cum supremus iudex aduenerit, contra montem oliuarum sedet: quia nulla tunc erga huiusmodi peccatores misericordia vtetur. *Sedebit in loco eminenti aeris, contra montem olíueti, ut cæteri eum uidere possint.*

Act. 1.

Scot. Ser. 2. de temp.

Ambr. li. 1. de fid. c. 7.

Leuit. 24. Isichius ibi.

B. Virg. cur Oliuæ assimilatur.

Nota.

Quid tunc de peccatore fiet, cum peccatis vndique oneratum se viderit? Iudex iratus desuper, stet sententia damnationis, pronuncietur a dæmonijs statim exequenda, misericordiæ porta ipsi claudetur, & hæc omnia voluptatibus, & carnis delectationibus breuissimè transeuntibus comparasse, frustra tamen dolebit. Egregiè Seraphicus Pater meus Franciscus. *Voluptas breuis, pœna perpetua.* Ergo, in se ipsum redeat miser, ac dum viuit, spem suam in Deo reponat, mortem memoria teneat, ne Iudicem tunc venientem verecundus inspiciat. *Verè*, enim, ait Diuus Antonius, *qui dum uiuit, in Domino confidit, in hora mortis non erubescit.* Et qui mortem meditando tractat, nequaquam moriendo illam

D. Franc.

D. Ant. Pad. ser. 1. de tēp.

formidabilem experitur.

Inquirit S. Bonauentura: An alicui mortalium hora mortis ſuæ ſit cognita? Et cum D. Matthæo reſpondet: *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli calorum, niſi ſolus Pater.*

Math. 24.

Hora mortis nulli cognita.

At dices: quare voluit Deus hanc horam omnes latere, cum ſi agnouiſſent, ad tranſitum ſe præmunirent; & benè viuendo diſponerent? Non expediebat tamen, quia totam vitam, mortis obliti, tranſigerent: vt autem ſemper meditentur, ac ad illam, benè operando, ſe præparent, voluit omnibus eſſe occultam. Sic ex D. Gregorio Doctor Seraphicus. *Horam vltimam, Dominus noſter, idcircò nobis voluit eſſe incognitam; vt ſemper poſſit eſſe ſuſpecta; vt dum illam præuidere non poſſumus, ad illam ſine intermiſſione præparemur.*

D. Bonauen. in opuſ. de mort. c. 48.

Qui ergo, ne mors eſſet in obliuione, illius horam decreuit eſſe incognitam, etiam vult eſſe meditatam, & in memoria præſentem, ne ſit formidanda. Meditare igitur aſſiduè, & tracta frequenter: ſic enim ad benè moriendum præparaberis, & moriens mortem non ſenties formidabilem.

Nulli nota, vt ſemper timeatur.

Vt autem hoc menti inhæreat tenacius, & in pectore defigatur altius, nunquam deponenda eſt horæ illius, valde horribilis recordatio; ad quod ſummoperè iuuabit illa Diui Anſelmi pictura, qua tremendi illius tranſitus pauorem eleganter expreſſit. *Foris,* inquit, *mundus ardens, intus conſcientia vrens: a dextris peccata accuſantia. a ſiniſtris infinita dæmonia: ſubtus chaos horribile: ſupra terribilis iudex.*

D. Anſelm.

Mortis pauores magni.

Qui ergo viuens, nec mortem meditatus eſt, nec mente tractauit, & torturam experietur, & pauorem ſentiet; quocunque enim ſe vertet, nouas formidinis cauſas inueniet. Mundum foris ardentem inſpiciet, intus conſcientiam accuſantem auſcultabit: circumcirca occurrent peccata, quæ inuerecundus admiſit. Aderunt etiam Dæmones miſerum territantes. Quod ſi, vt terrorem euadat, deorſum adſpiciat, chaos apparebit horrendum, ſi ſurſum aſpiciat, iudicem iratum intuebitur, & inter has anguſtias conſtitutus poſtremam damnationis calamitatem ſuſtinebit; Nec mirum eſt, vt faciem iudicis timeat, cum etiam Angeli, vt tenet Gloſſa, venientem ad iudicium pertimeſcent. *Angelicæ poteſtates trement ad aduentum iudicis.*

Gloſ. in Luc. cap. 21.

Hic libidinoſus luxuriæ, auarus vſuræ: vindictæ ſtudioſus iræ: helluo temperantiæ remedium inuenier: hic voluptates mundi, gaudia, fælicitatem, delicias, nihil aliud, quam vanitatem extitiſſe, teperiet: vnde magna, & vera confuſio orietur, maximè cum ſententia fuerit aſſiduè pronuntiata, quæ dicat. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.*

Matt. 25.

Iudicij contra reos deſcriptio.

Et ſtatim poſt ſententiam miniſtris iniunger, vt vnumquemque, pro delictorum menſura, torqueant. Sicut in Apocalypſi dicitur: *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.*

Apoc. 18.

Tunc cernere erit, quo impetu furiæ infernales iuuenem inuadent libidinoſum, & acerbiſſimè cruciabunt. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.*

Luc. 6.

Ille, cuius gulam nulla poterat menſa explere, pluſquam fame canina agitabitur. *Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.* Diuites auari, qui in pecuniæ theſauris ſpem repoſuerant, nihil ſibi aurum, & argentum, tam ardenter congregatum, prodeſſe conſpicient. *Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram.* Poſtremò omnes, quaqua ratione malè viuentes damnari meruerunt, ſua patientur tormenta. *Quia, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur,* Sicut D. Paulus teſtatur.

Galat. 5.

Nullum erit tormenti genus, quod ibi, contra miſeros, non exerceatur. *Omnis dolor,* ait Iob, *irruet ſuper eum,* & pro menſura pæccati, pœna, & rormentum irrogabirur.

Iob 20.

Quamquam verò acerbiſſima ſit talis pœna, illud crudeliſſimum eſt, quod nullus, cuiuſlibet conditionis ſit, priuilegium obtinebit, vt tormenti rigorem euadat; quia omnes eadem menſura merientur, vt D. Antonius de Padua, ad Iſaiæ verba, ex cap. 434. ſolerter adnotauit. *Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe, de ſanguine agnorum, & hircorum, de ſanguine medullatorum arietum; victima enim Domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edom. Et deſcendent vnicornes*

Iſai. 34.

cum

cum eis, & tauri cum potentibus: inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium, quia dies vltionis Domini: annus retributionis iudicij Sion, & conuertentur torrentes eius in picem ardentem, nocte, & die, non extinguetur in sempiternum. Ascendet fumus eius à generatione in generationem, idest, addit S. Antonius *in die iudicij*. Totum hunc locum de extrema mortalium sorte, & rigorosa magni iudicij Dei iure optimò Diuus Antonius interpretatur, & bene ait; nam. *Gladius, est potestas Domini vlciscens se de inimicis: Repleta sanguine, & incrassata adipe: idest puniet peccata, & opulentiam carnalium*. Item *de sanguine agnorum, idest hypocritarum, qui cum sint lupi, agnos se simulant. Et hircorum, idest libidinosorum*. Per arietes verò pingues qui significentur, exponit idem Paduanus. *Et medullatorum arietum, idest pinguium Abbatum, Priorum, qui sunt duces gregis*. Prosequitur: *Victima enim, idest vltio Domini in Bosra, quæ interpretatur munita, scilicet discordia, & dissoluta claustralium congregatione, quæ est exterius munita, sed interius omni transeunti vitio exposita*. Deinde mortes muris in Edon: faciendas sic exponit. *Et interfectio magna in terra Edom, qui interpretatur sanguineus, vel terrenus: idest clericis, qui sanguine luxuriæ, & terra pecuniæ sunt coinquinati*: Iam vero animalia, quæ sequuntur, nimirum, *Et descendent vnicornes eius, idest Imperatores, & Reges huiusmodi, & tauri, idest episcopi mitrati, qui habent in capite duo cornua, velut tauri*. eiusdem sententiæ rigorem experientur. Postremò omnes, qui mortis obliti, illam meditatione tractare neglexerunt, eandem sententiam valdè formidolosam sentient, & in tartari flammas proijcientur. Claudit aurea Paduani lingua. *Omnes isti, qui ueram pœnitentiam de peccatis non egerunt, descendent cum potentibus, idest huius sæculi principibus, & potestatibus in infernum, quæ est terra morientium, quæ eorum sanguine, & adipe, idest malitia, & superbia inebriabitur*.

S. Ant. Pad. ser. 1. de tep.

Nota.

Hippocritæ agnis assimilantur.

Nota totū.

Quid hæc meditantes, vel audientes agunt? cur non de remedio cogitant, & se ad transitum adeò rigorosum, spretis carnalis illecebræ lenocinijs, non præparant? An suæ conditionis obliti, hæc negligunt? si qui tales sunt, audiant Iobi patientiam, in hæc verba erumpentem. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris*. Quibus verbis iudicis potentiam (hoc est Dei) & hominis imbecillitatem, folij comparatione describit, vt egregiè Philippus Presbyter adnotauit. *Homo folium dicitur, qui tentationis uento rapitur, & desideriorum flatibus mouetur*. Nihil est, quod facilius a vento, quam folium rapiatur. Præterea homo similis stipulæ dicitur, quia deficiente charitate arescit, amissaque viriditate virtutum, redditur inutilis. *Qui etiam*, addit Philippus, *stipula appellatur, quia enim per carnem terræ proximus fuit, etiam cum stare uidebatur, stipula esse memoratur, sed quia uiriditatem intimi amoris perdidit, iam stipula sicca est*. Cum ergo ita fragilis sit homo, non immeritò conqueri videtur Iob, quod Deus, cuius infinita est potestas, contra eum sic in iudicio consurgat. *Cur tanta*, iungit idem Philippus, *rectitudine impetis eum, quem sic esse infirmum agnoscis?* Quid igitur homo stipulæ, & stuppæ similis aget in torrentem igneum proiectus? planè vix decidet, quando ab ipso currentis ignis halitu corripietur, & non vltra comparebit. *Et conuertentur torrentes eius in picem ardentem, nocte, & die non extinguetur in sempiternum*. Inaniter equidem præsumit, qui, vt stippula aridus, & stuppæ similis, quæ ad ignis aspectum, quin illum tangat, accenditur, sulphureis flammarum verticibus resistere speret. Nullus tunc sibi ipsi fidat, nec in alio spem reponat, quia quicunque ille sit illusum se inspiciet. Diuites, Potentes, & quicunque mundi bona possidebant, absque vllo discrimine torquebunt. Nec pater filio, nec filius patri, matri filia, nec filiæ mater auxilio erunt, quinimò in se inuicem iram concipient, si fortè, vel negligentia, vel malo exemplo sibi inuicem perditionis causa extiterunt. Atque, vt adeò D. Ioannes in Apocalypsi prædixit. *Fumus tormentorum eorum*

Iob 13.

Philip. Pres.

Homo folium, & stipula dicitur quia fragilis.


Isai. 34.

Mundi bona malis vertentur in tormenta.

Apoc. 14.

ascendet in sæcula sæculorum, & requiem non habebunt die, ac nocte. Et vnde habebunt requiem, qui dolore, nunquam medicabili cruciabuntur? vt ait Propheta. *Insanabilis dolor, pessima plaga*. Iere 30.

Magnum certè damnum, ac supra omnem ponderationem. Erit tamen aliquod remedium, quod illud euitare possimus? Planè est: optimum præstitit S. Franciscus videlicet. *Omnis creatura vilescat, & creator in corde dulcescat*. S. Franc. Inst. 16. Si ita fiet, non amabit homo creaturam; quis enim, quod contemnit, diliget? totus amor in Deum ibit: amando lex obseruabitur, & pœnam obseruando effugiet. Alterum remedium præbet S. Antonius, qui suadet mortis semper recordari, siquidem, ne formidabilis sit, memoriter teneri oportet, & qui illius obliuiscitur, terribilem sentiet. Vnde ait Isaias. Isai. 60. *Erit dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui*. Remedia contra acerbitatem iudicij. Vides, vt tunc luctui finis imponitur, quando splendores diuini incipiunt. Quod fieri qua ratione possit, D. Antonium ausculta. S. Anto. Pad. ser. 1. de sep. *Quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis, scilicet illorum, qui in hac vita degunt, in sanctitate, & iustitia, expectantes eum venturum ad iudicium*. Deinde, vt discrimen ostendat inter eos, qui, mortis meditatione illius acerbitatem non sentiunt, & eos qui, mortis nunquam recordantur, & illam experientur acerbissimam, ita concludit. Illud Isaiæ referens. Isai. 65. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, bibent, & vos sitietis. Latabuntur, & vos confundemini: Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulantes*. Videant hæc, qui mortis obliti degunt, & fœlicitatem eorum inuideant, qui semper eam memoria tenent: eorum consilium æmulentur, mortem meditando tractent, & tantum aberit, quod formidabilem sentiant, vt potius omnem in ea suauitatem experiantur.



CAPVT V.

Quod nihil in morte sit fœdum illi, qui cominus illam intuetur, nec quidquam illi sit pulchrum, qui eminus contemplatur.



APTISSIMA est in hanc rem illa Samsonis historia, quæ in libris Iudicum cap. 4. habetur, vbi cernere est, quod cum Samson inter vineas incederet, & leo ibi iter faciens occurrisset, intrepidus in bestiam irruit, & tanquam esset agnus, strangulauit. Relicto deinde ibi leonis cadauere, post aliquos dies illac regrediens, a via deflexit, vt videret, an adhuc cadauer maneret, eoque inuento, examen apum, & in ore leonis fauum mellis fabricatum inspexit. *Et post aliquot dies reuertens, vt acciperet eam*, Iudi. 14. Sponsam videlicet, quam paulò antea sibi matrimonio copulauerat. *Declinauit, vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis*. Ita ibi, ad quem locum Lyranus. Lyr. ibi. *Quæritur hic*, inquit, *quomodo apes quæ abhorrent fœtida, ibi mellificauerunt*. Vndè videtur, quod ista mellificatio naturalis non extiterit. Respondere tamen potest cum eodem Lyrano. *Quod apum diuersæ sunt species, & aliquæ sunt rusticanæ, & non abhorrent talia, cuiusmodi erunt istæ, vnde & aliquæ mellificant in foraminibus terræ*. Hæc ille, nihilominus sciscitor: Tantumdem est in foraminibus terræ, ac in ore leonis facere mellifluum? Absit: cur ergo apes istæ, agro relicto, leonis os eligunt, & ibi mellificant, propriæ naturæ quodammodo oblitæ? Dicam, quando eminus animal prospiciebant, quid nisi leonem videbant, feritate metuendum intuebantur? Et

quando Samson approximat, quid inuenit? fauum mellis, quo reficitur. Hæc planè est mortis natura in leone mortuo repręsentata. Cum eminus videtur, fœda apparet, & eius memoria valde amara est: iuxta illud. *O mors, quam amara est memoria tua.* Si cominus illam videris, melleam ibi dulcedinem experieris. Vt igitur nobis daretur intelligi, nihil in morte fœdum illi esse, qui eam cominus videt, nec quidquam pulchrum eminus intuenti, factum est, vt apes, posthabitis terræ foraminibus, ad mellificandum in ore leonis conuolarentur, fœtidum cadauer non abhorrentes. *Aliquę sunt rusticanę, & non abhorrent talia, cuiusmodi erant istæ.* Heus tu, qui mortem, veluti leonem perhorrescis, cur ipsius memoria magnam præfert amaritudinem? Accede propius, tange mente, memoria frequenter tracta, & nec fœdam inuenies, nec amaram, sed pulchram, & mellea plenam suauitate. *Et ecce examen apum in ore leonis erat, & fauus mellis.*

Eccle. 41.

Mellea est mors gustata

Hoc idem cernere est in virga Moysis, quam cum in terram proiecisset, in serpentem vidit immutatam, ira vt fugeret, postquam verò, iubente Deo, cominus accessit, & cauda apprehendit, iterum conuersa est in virgam, seu baculum, cui innitebatur: sic dicitur Exod. cap. 4. *Quid est*, interrogat Deus, *quid tenes in manu tua? Virgam. Dixit que Dominus: Proijce eam in terram, proiecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixitque Dominus, extende manum tuam, & apprehende caudam eius: extendit, & tenuit, uersaque est in virgam.* Sed iam quæro: coluber iste, quem Moyses, etiam in Dei præsentia pauidus fugit, non est idem, quem cauda apprehendit? Ita quidem. Cur ergo fugit at primò vt formidabilem, quem postea nullo modo timens cauda tenere non ambigit? Facilis est responsio S. Isidori allegoriam expendenti. *Nam serpens,* vt ille ait, *persuasit homini mortem: Mors ergo a serpente; expauit Moyses, & fugit.* Vides iam, vt perinde fuit, quod Moyses serpentem fugeret, ac mortem. Et serpentem; seu mortem, quam fugiebat, cauda apprehendens, tenet, eique appropinquat. Ergo fugit, quod tenet, & tenet quod fugit: cum propior fit, tenet, cum recedit pauidus redditur. Vnde hoc? ex mortis conditione; dicimus enim in morte nihil fædum, ipsam cominus aspicienti, & nihil speciosum ei apparere, qui eminus intuetur. Quia verò in serpente mors designabatur; Ideo Moyses, cum à se proijcit, & à longè prospicit, tanquam formidabilem pertimescit, quando verò propius accedit, & contrectat, minimè formidabilis apparet, sed iam virga, est, seu baculus, cui innititur. *Mors ergo à serpente: expauit Moyses, & fugit.* Fugerat, quia a longe viderat, propius accessit, & timorem exuit. *Extendit, & tenuit, versaque est in uirgam.*

Exod. 4.

D. Isid. ibi.

Veritatem hanc non inficiabatur, qui Eliam subter iuniperum sedentem, & mortem identidem precantem auscultauerit, fugerat ille Iesabelem ne occideretur, lassus tamen e fuga paulum sedit, iter statim arrepturus; dum autem sederet, mori postulabat. *Cumque uenisset, & sederet subter unam Iuniperum, petiuit animæ suæ, ut moreretur: & ait: sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Multa in hunc locum communia, & vulgata congeruntur, aliquid peculiare, & non ita commune addam. Quando Elias mortem fugit, planè ob vitæ amorem hoc facit, & quando mortem à Deo perit, haud dubium, quia vitam fastidit. Eodem ergo tempore, & mortem amat, & vitam odit, ac vice versa; si mori volebat, vt illa verba sonant: *Petiuit animæ suæ, ut moreretur*, cur fugiebat Iesabelem, quæ eum quærebat ad necem? Non volebat à fœmina occidi, quia hoc putabat indecorum: de manu Dei, quod honestum erat, mortem expectabat. *De manu mulieris*, ait Rabanus, *mortem fugit, de manu Domini mortem petit.* Cæterum: quid referebat, vt à fœmina, vel à Deo occisus moreretur? quia mors erat eadem à quacunque manu proueniret: Multum equidem, & ideò illic mortem fugit, hic ambit. Quando Iesabel mortem Eliæ minitata est, non ita propius illam videbat Elias, & ideo tanquam fœdam, & horridam

3. Reg. 19.

Rab. ibi.

fugiebat. *Misitque Iesabel nuntium ad Eliam, dicens: Hac mihi faciant Dij, & hac addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis.* En mors ad alterum diem inferenda reijcitur, & illam non sic e vicinò intuetur Elias, sicut quando sedit subter Iuniperum. *Cumque uenisset, & sederet.* In terram proiectus, mortem ibi repræsentatam conspexit, & quam antea eminus viderat, post quatuor supra viginti horas subeundam, velut terribilem, & fœdam, pauidus fugiebat. Quamque cominus repræsentatam conspexit, vt pulchram, & dulcem amat, & petit. Cumque sederet, petiuit animæ suæ vt moreretur. Amabat itaque, quod antea fugiebat, quia licet mors eadem sit; diuersum tamen habet aspectum, cum propius, vel longius videtur, illic dulcis, hic amara iudicatur: illic pulchra, hic fœda, & horribilis apparet. *De manu mulieris mortem fugit: de manu Dei mortem petit.*

Mors longe, dulcis, prope amara.

Hinc eruo, neminem melius morti perferendæ dispositum esse, quam qui assiduò tractat, quia tunc illum non terrebit repentino, formidabilique aspectu, qui illius visione prope diem recreatur. Illam frequenter intuebatur Regius vates, & ideo veluti formosam, & hilarem sollicitabat, vt properaret. *Educ de custodia animam meam.* Longè aliter accidit peccatori, cui mors à longè prospecta horribilis apparet, & ideo mori trepidat, & ante iudicem comparere formidat. Testem laudo D. Bernardinum, cuius hæc sunt. *Sed peccator timet, coram iudice comparere, & conscius quidem sibi, quod expauescit, expectat.* Vt autem huic damno adhibeatur remedium, tractanda continuò mors est, & illius facies cominus aspicienda; quia sic nequaquam perterrebit, sed iucunda, ac desiderabilis euadet. Euenit aliquando, vt mater infantem sinu complectatur; transit interim per plateam laruatus homo, quem vt vidit pusillus, expauescit, clamat, illachrymatur, fugam intentat. Quid tunc mater, vt pauitantem metu liberet? accersit, laruatum puello appropinquat, monet, vt faciem detegat. Qua visa, cessat infantis pauor. Vnus, idemque erat

Psal. 141.

S. Bern. Ser. 14. cap. 3 post 1. Dom. Quadr.

Mors cominus aspicienda, ne terreat.

homo ille laruatus, dum eminus conspiciebatur, pauorem inijciebat, cominus dum videretur, non terrebat: talem crede mortem larua quædam est, eminus visa terrìtat, cominus conspecta, pulchra est, & delectat.

Claudo Christi Domini oratione, quam in horto habuit ad Patrem, ibi enim a Discipulis aliquantulum separatus ita orabat. *Pater, si possibile est, transeat a me Calix iste.* Et quidem, vt sentit & benè Origenes, hæc calicis recusatio ex inferiori parte humanitatis proueniebat. *Orat, inquit, calicem passionis transire, & nō sicut ipse vult, sed sicut Pater, hoc est, non secundum substantiam eius diuinam, & impassibilem, sed secundum naturam humanam, & infirmam: suscipiens enim naturam carnis humanæ, omnes proprietates impleuit; vt non in phantasia habuisse carnem æstimaretur, sed in veritate.* Ita illet vbi vides, quaratione Christus Dominus, quantum ex parte humanitatis, quatenus homo, fragilitati humanæ, imbecillitatique obnoxius, quia non apparentem, sed veram carnem susceperat, mortem subire recusabat, quamquam pro superiori parte ipsius animæ promptissimus erat, vt Calicem biberet passionis; ideoque dicebat: non mea, sed tua voluntas fiat. Vidisti hanc in inferiori parte repugnantiam, perge in montem Caluariæ, & videbis, quod iam non recuset bibere, sed potius petat, & sitiat. *Postea sciens Iesus, quia iam omnia consumata erant, vt consumaretur scriptura, dixit sitio.* Quid causæ est, vt in horto, tanquam fragilis homo, Calicem detrectet, & in Caluariæ monte, videns, quod Iudæi cessarint, ipse eos, vt amplius torqueant, petendo sollicitet? *Videns, quia omnia consumata sunt, dixit: sitio.* Respondet egregiè Diuus Bernardus. *Per Calicem, quem bibiturus erat, proculdubiò passionem significat, nunc autem eodem Calice iam ebibito dixit: sitio.* Itaque cum in horto mors ei obijcitur, illam recusat, & a se transire postulat calicem passionis; cum autem in cruce suspensus calicem incœpit bibere, plus petit dicens, *sitio*, illic calicem detrectat, hic ambit, & petit: vnde nam hoc?

Matt. 26.

Orig. tract. 35

Christus homo omnes humanæ carnis proprietates impleuit.

Ioann. 19.

Bernard. 15. de passione.

hoc? Ex diuerso mortis conspectu. Dicimus enim: mortem cominus visam, pulchram esse, cum e longè videtur horribilem, & formidandam: in horto Christus mortem, non ita e proximo vidit, sicut cum erat in cruce suspensus, & ideo illic, vt horribilem, & formidandam recusabat, dicens: *Transeat a me calix iste*, hic autem, e vicino iam instantem conspexit, & ideo pulchra ipsi visa est, ac desiderabilis; propterea, *dixit Sitio*. Repeto Bernardum. *Per calicem, quem bibiturus erat, procul dubio passionem significat, nunc autem eodem calice iam ebibito dixit; Sitio*. Hæc est mortis prærogatiua, vt pro aspectus diuersitate, vel horrida, vel pulchra hominibus appareat; qui pulchram inspicere amat, meditetur, tractetque, qui verò nusquam meditando tractauerit, timeat fœdam, et horribilem intueri.

Et Christo mors vicina pauorem conijcit.



CAPVT VI.

Quod vt omnia rectè fiant, in omnibus interuenire debet mortis memoria.

VT humana quælibet actio iuxta rectitudinis lineam dirigatur, iudicio opus est: vnde qui meliori pollebit iudicio, actiones suas melius diriget, ac componet, media ita disponens, vt finem optatum adipiscatur. Quod si ostēderimus, hanc iudicij rectitudinem ex mortis memoria prouenire, prorsus concludemus, vt omnia rectè fiant, oportere, vt in omnibus mortis memoria interueniat. Quod autem mors iudicium homini conferat, sancti Spiritus oraculum est in Ecclesiastico. *O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti*. Dixit verò iudicium bonum esse, *homini indigenti*, quia nulla re alia in vita plus indiget homo, ne in hoc mundo perditionem incurrat, & a cælo non deuiet, quam mortis iudicium, & ideò primo loco ponitur, tanquam medium obtinendo fini magis accommodatum. Hinc est illud Rabbani; *Bonum est cultoribus Christi iudicium mortis præsentis; quoniam per ipsam transeunt ad vitam æternam*. Fauet interlinealis, quæ habet: *Bonum est Christianis iudicium mortis: quoniam per ipsam transeunt ad vitam æternam*. Igitur si vt in vita præsenti consequamur æternam, necessarium est mortis iudicium, apertè constat, quod vt omnia rectè, & certo fiant, in omnibus adhibenda est mortis recordatio.

Eccle. 41

Mortis iudicio indiget homo, ne a Cælo aberret. Rabb. ibi. Glos. int.

Misit olim Deus Moysem ad Pharaonem, ac vt Regis obstinationem emolirer, legatum suum tribus miraculis, seu prodigijs præmuniuit. Et prius quam à Deo discederet Moyses, baculum, quem gerebat, in terram, ipso iubente, proiecit, qui repente in serpentem fuit immutatus. *Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Voluit autem ab hoc miraculo incipere propter serpentis significationem: serpens verò, iuxta S. Isidorum, mortem designat: *Mors ergo à serpente*: Assentitur Simon de Cassia dicens: *Ideo Moyses timebat, quia iuxta se versa est mors in colubrum*. Cum autem Deus vellet, vt omnia Moysis opera recta, & ad certitudinem disposita essent; & virga miraculorum omnium, ac prodigiorum futura erat operatrix: perbelle antequam quidquam ederet admirandum, ipsa in serpentem immutatur. Nec dubium est, quod omnia per virgam ediderit Moyses. Ideò enim ait Abulensis. *Vocatur ista virga Aaron, scilicet quam duxit Moyses de terra Madian, in qua omnia mirabilia facta sunt*, & virga sic immutata mortem designabat, & a morte incipit, vt omnia deinceps, quæ egerit, certa sint, nec quidquam deuium à rectitudine, & minus consonum: quia vt in omnibus iuxta rectitudinem procedatur, necesse est, vt ibi semper mortis memoria interueniat. *Mors ergo à serpente*. Omnia ergo, quæ a morte inceperant, fæliciter erant euentura, quia vbi adest mortis memoria, nihil non certum, & rectitudini compositum fieri potest. Quod si aliam serpentis significatio-

Exod. 4.

D. Isidor. Simon de Cassia ibi.

Abul. in ca. 8. Exo.

Et ipsa miracula morte diriguntur

tio-

rionem inquiramus; dicat nobis idem S. Iſidorus, Chriſtum in ſerpente ſignificatum. *Virgam in ſerpente, Chriſtus in morte.* Vnde iam noſtrum illuſtrabimus inſtitutum: Cum Chriſtus generis humani redemptionem auſpicaretur, ad orationem ſe contulit, & inter orandum mors ei fuit obiecta, ex cuius repræſentatione ſanguineo fuit ſudore reſperſus. *Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Iuxta D. Marcum, Chriſtus ſanguinem non ſudauit, ſed pauores illos, quibus caro quatiebatur, lingua correxit, Patri dicens: *Sed non quod ego volo, ſed quod tu.* Hic iam inquiro. Ignorabat ne Chriſtus, quod poſtera die eſſet moriturus? Nequaquam: igitur, quo aſpectu Pater mortem obijcit, cum moriendi hora nondum aduenerit? Præterea ſciſcitor: ſi Chriſtus, Patri obediendo, calicem erat bibiturus, cur antequam biberet recuſat? Quod ſi naturaliter mortem timuit, cur patiendi voluptas ſanguinem in terram decurrentem elicuit? Deinde; ſi caſu euenit, vt ſanguinẽ fundendo voluptatem, quam patiendi habebat demonſtraret, in alteram diem reſeruare poterat, quia illa ſanguinis effuſio in horto facta, ſuperabundans videbatur. Iam verò, ſi contra naturam, & per miraculum, ſanguinem, ſudando, effundit, non abſque magno hoc egit myſterio: quod expendit Beda in hunc modum. *Nemo ſudorem hunc infirmitati deputet, quia contra naturam eſt ſudare ſanguinem; ſed potius intelligat per hoc nobis declaratum, quod effectum iam ſuæ precis obtineret, vt ſcilicet fidem diſcipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, ſuo ſanguine purgaret.* Sanguinem igitur miraculosè effundit, vt timoris ſui imbecillitatem expurget. Quod ergo inconueniens erat, vt mortem recuſaret, & calicem bibere formidaret? aperiam. Nonne dicimus, quod vt rectitudinis ſcopum attingamus, mortis memoriam adeſſe oporteat. Ita quidem. Deinde, vt Moyſes in edendis mirabilibus a rectitudine non deuiaret, nonne mortis memoria eruditur, virga in ſerpentem conuerſa? Planè quidem. Cum ergo Chriſtus in virga, & ſerpente eſſet figuratus. *Virga in ſerpente, Chriſtus in morte:* Vt redemptionis opus æquale habeat fundamentum, mors Chriſto oranti obijcitur, vt eius memoria ſit certitudinis auſpicium, quam inde habiturus eſſet. Nunc verò mortem Chriſtus inſpexit, & recuſat, Patri dicens. *Tranſeat a me,* dum caro expaueſcit. Vt ergo doceret; quod vt in omnibus certò attingamus ſcopum, neceſſariam eſſe mortis memoriam, non ſolum eam libenter ſuſtinere ſtatuit, Patri dicens: *Sed non quod ego volo, ſed quod tu.* Verum etiam ſanguinem miraculosè effundens, ab hac effuſione paſſionem quodammodo auſpicatus, quæ mortis memoriam referebat, præſagium demonſtrat, quod omnia rectè eſſent peragenda, ſiquidem à mortis memoria incipiebat, & verò, vt ſcopus certitudinis in omnibus actionibus attingatur, oportet, vt in omnibus mortis memoria interſit, & ideo ſanguinem miraculosè fundit, ſuæ imbecillitatis pauorem emendat, diſcipulorumque mentibus hanc doctrinam imprimit. *Nemo ſudorem hunc infirmitati deputet, quia contra naturam eſt ſudare ſanguinem, ſed potius intelligat, per hoc nobis declaratum, quod effectum iam ſuæ precis obtineret, vt ſcilicet fidem diſcipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, ſuo ſanguine purgaret.*

Illud humanæ vitæ elogium à Dauide compoſitum. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus illic reptilia, quorum non eſt numerus.* Expendit S. Chriſoſtomus, & in eo vitam humanam egregiè adumbratam recognoſcit. *Vita enim,* inquit, *eſt hoc mare magnum, & ſpatioſum.* E contra Iſidorus clarius vitam hanc ponti anguſto aſſimilat, quod eſt omnino contrarium. Quomodo enim fieri poteſt, vt vna eademque vita Mare ſit ſpatioſum, & pons anguſtus? Cæterum ſi res expendatur, nulla adeſt repugnantia: quoniam dum Iſidorus pontem anguſtum vitam appellat, ſupra lacum atri liquoris conſtitutum, vbi dracones, feros, ſerpenteſque innatant, quorum pabulum ſunt ij, qui, per pontem tranſeuntes, labuntur, & in lacum decidunt. Cæterum qui fieri poteſt, vt non aduertat, qui per pontem adeo anguſtum

ince-

D. Iſid. vbi ſupra.

Luc. 22.

Mar. 14.

Orationis robur, morte ſolidatur

Bed. c. 92. ſuper factus eſt ſudor.

Rectè omnia quæ à mortis memoria auſpicantur.

Pſ. 103.

D. Io. Chriſ. hom. 28. in Matth.

incedit? Quia lacus viridantibus vndique hortis cingitur, qui aspectu suo pulchritudine, atque amænitate transeuntes alliciunt. Vnde periculum non attendentes, fallentibus vestigijs, in lacum præcipitantur, & serpentibus ad pabulum deseruiunt. Cum ergo Chrisostomus, vitam dixit mare, Isidorus pontem; supra mare pontem hunc erigamus, & vtrisque Doctoris sententia cohærebit. Etenim si lacus ille ferarum plenus est, hæ in mari huius mundi non desunt: siquidem iuxta D. Augustinum, piscatio, quam hic Regius vates exprimit, Dæmones sunt hominum hostes. *Illic*, inquit, *reptilia mali spiritus, quorum insidiæ serpunt*. Et rectè feras dicit dæmones, qui animas pro pabulo habent; vnde est illud. *Catuli leonum rugientes, vt rapiant*, seu vt aliter legitur. *Quærentes, vt rapiant*. Vbi idem S. Augustinus. *Sunt et Principes dæmoniorum, sunt & catuli contemptibilia dæmonia, quæ in tenebris quærunt seducere animas. Maior leo semper circumit quærens quem deuoret, pascuntur autem erroribus hominum*. Ita ille. Dæmonum itaque luctum consistit in eorum præcipitio, qui per pontem transeuntes, humana decepti pulchritudine, carnis illecebra seducti, mortis obliuiscuntur. Et sola diuitiarum, potentiæ, dignitatum, & Principum gratiæ bona respiciunt, quibus tanquam horris pensilibus maris istius magni, pons circumcingitur, & dum inaduertentes transeunt, in mare cadunt, & serpentibus pabulum efficiuntur. *Pascuntur autem erroribus hominum*. At quodnam erit remedium, vt quis per pontem hunc securus transire possit, quin decidens a serpentibus deuoretur? optimum assignabo. Vbi nam maius instat periculum? In fine responder Clarius: quia ibi pons est adeo angustus, vt Christus per eum transiens, *vt transeat ex hoc mundo*, etsi nullam haberet timendi occasionem; attamen pedem vnum super alium posuit: quia pons vtrumque disiunctum non capiebat. Egregiè verò dispositum, quia si vt in omnibus scopum attingamus: necesse est, vt in mortis recordatione versemur, vt gressus huiusmodi explicemus maius periculum, quod in fine situm est, & attendamus oportet. Nam si hinc decedit, ac ad florentes hortos se flectit, ille, qui transit, planè labentibus vestigijs, in mare præcipitabitur à serpentibus, à feris statim deuorandus. *Pascuntur erroribus hominum*. Quod si oculi in finem dirigantur, securus erit transitus, nec ita incedens cadet, & draconibus pabulum fiet.

D. Aug. ibi.

Animæ peccatorum, diaboli pabulum.

Alia lit. D. Aug.

1. Petr. 5.

Not.

Mortem respicientibus, securus transitus.

Facit in hanc rem Moysis supplicium, quo in vituli Idololatras animaduertit: etenim in puluerem illum redegit, & sparsum in aqua suis cultoribus potandum præbuit. *Arripiens Vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel*. Quæro igitur: Mortui ne sunt omnes, qui vitulum ad puluerem redactum biberunt? minimè quia bibentibus discrimen hoc contigit, aliquibus nimirum puluis hærebat barbis, alij potabãt, vnde illi puluerem capillis deferentes delictum publicabant, & moriebantur: qui vero deuorabant, à morte immunes reddebantur. Hæc fuit Hebræorum opinatio, vt D. Hieronymus refert. *Tradunt Hebræi, quod filij Israel bibentes aquam vituli puluere infectam, qui cõmiserant idolatriam, in barbis puluerem auri preferebant, quo etiam signo rei vel immunes sceleris apparebant, & rei interficiebantur*. Quare ergo illi capite plectebantur, quibus puluis barbam inficiebat, & qui deuorabant, ijs parcebatur? Item cur puluis extra os positus delicti indicium, & mortis signum iudicatur, & bibitus supplicij immunitatem affert? Respondeo. Quænam Moysis fuit intentio? criminis Auctores detegere. Puluis ille quid significat? Mortem. *Memento, quia puluis es*. Quisquis verò ille est, qui mortis memoriam iuxta cor magis viuam conseruat; ille qui in puluere bibit, ac ad viscera transmittit; an qui dum bibere properat, per barbam effluere sinit? Plane qui deuorat. Ergo, si vt in omnibus vitæ actionibus attingamus scopum, necessaria est mortis memoria, qui illam non retinent, sed extra os demittunt; planè delicti Auctores conuincuntur. Et ideò quia puluerem

Exod. 32.

Mors deuoranda.

D. Hieron. epist. ad fabiolam.

Gen. 3.

bibe-

bibere renuerunt, mortis memoriam reijcientes, morti traduntur. Qui verò puluerem biberunt, hoc est in visceribus mortis memoriam conseruabant, hi vitæ suæ actiones ad scopum rectitudinis dirigebant; vnde, tanquam delicti immunes, à morte liberantur. *Qui comiserant Idololatriam, in barbis puluerem auri præferebant, quo etiam signo rei vel immunes sceleris apparebant; & rei interficiebantur.*

Proh! quam vellem, vt diuites huius sæculi, ac potentes puluerem hunc, hoc est mortis memoriam deuorarent, seq; mortales esse recognoscerent, diuitiarum obliti, quatum possessione obcæcantur. Dicant ergo illi, quid habet, qui inter eos plus habere censetur? Aurum, quod quidem in puluerem dissoluitur, vt Moyses experimento probauit. *Contriuit vsque ad puluerem.* Ille verò, qui puluerem hunc non deuorat, sed vt magis duret, extra os conseruat, quid inde capit emolumenti? Nihil: imò potius vitam amittit, & animæ damnationem incurrit. Ergo diuites, quibus tanti stant diuitiæ, ne in illis damnationem acquiratis, dimittite, nec spem vestram in illis constituite, sed facite vobis virtutum thesauros, qui in cælis nunquam deficient: mortis memoriam deuorate, in cor transmittite, vbi perenniter viuat, quo fict, vt in omnibus vitæ vestræ actionibus rectitudinis scopum attingatis; nusquam enim errat, sed certo vestigio pontem transit, qui mortis recordationem in pectore conseruat.

Ex diuitiarum astu nihil vtilitatis

Diuinæ sapientiæ oraculum est apud Ecclesiasticum. *O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis.* Miraberis tamen, cur mortis memoriam ei testetur esse amaram, qui pace, & tranquillitate fruitur: pax enim, & amaritudo sibi inuicem contrariantur. Dicam; quoniam pax illa, non in sola conscientia, sed in diuitiarum fruitione sita est. *Homini pacem habenti in substantijs suis.* Sciscitor deinde: quid criminis habet diuitijs frui, vt, morte appropinquante, amaritudinem parturiant? Enormiter planè delinquit, qui mortis obliuiscitur, & totam spem in diuitijs collocat, cælestia bona despiciens; quia cum mortis memoria sit necessaria, vt scopus, in operando, attingatur, qui talem memoriam, viuendo, abijcit, a via deflectit, & penitus errat, nihilque non amarum experitur: ita exponit Rabbanus. *Qui prosperitatem mundi, & diuitias amat, amara est illi mors corporalis, quæ futuræ vitæ gaudia negligit.* Ergo ne mortis memoria sit amara, semper dum viuimus retinenda est, & in cunctis actionibus scopum attingemus, nec a rectitudine deuiabimus.

Eccl. 41.

Enormiter delinquit, qui mortis obliuiscitur.

Rab. ibi.

Diuitis exemplo, quod S. Bernardinus refert, rem confirmo. *Incidit miser in ægritudinem, & argenti, ac auri sacculos iuxta lectum afferri præcepit: & identidem versans dicebat. O meam pecuniam, o thesauros, sicciné vos in sæculo demittam? eia dicite ad meum solatium, an vos perdam? iuuate tantisper, quia morior: Inter hæc sacculos ad pectus applicando osculabatur. Tandem postulabat, vt in patena sibi potus adduceretur. Obtemperant serui, potus adducitur, & præ manibus sumpto, incredibili quadam auiditate, quasi ipsum aurum potare vellet inter labiam, & calicem expirauit.* Euentum meliori Bernardini calamo descriptum commemoro. *Exemplum de illo diuite, qui sibi portare fecit omnes denarios, & thesauros, quos dolorose alloquens, dicebat: O denarij mei: O thesauri mei, en morior, iuuate me quæso, iuuate me denarij mei: relinquam ne vos dilecti denarij mei: tangebat eos, palpabat, osculabatur, eos amplectebatur de illis lamentabatur: denarij mei, heu me denarij mei, demum accepto argenteo vase, in illud quasi rabidis morsibus stringens, cum diabolo expirauit.* Quid hinc miser ille, præter peccata portauit? planè, ait idem Bernardinus, nihil. *Quid igitur ille secum portauit, nisi peccata sua?* Nec mireris, quod diuitijs omnibus destitutus, lethi viam solus calcauerit, quia in illis amorem suum collocauit: audi Ecclesiasticum, dicentem. *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Præterea, cum mors aduenit, non solum diuiti amara est, verum etiam, quia viuens mortis memoria carebat, a scopo aberrauit, corpus amisit, & animæ damnationem incurrit. *Qui prosperitatem mun-*

D. Bernar. Ser. fer. 5. post 1. Dom. qua. fo. 14. c. 3

Diuitiæ morienti nihil profunt.

Nota.

mundi, & diuitias amat, amara est illi mors corporalis, quia futuræ vitæ gaudia negligit, quæ postremò illum conficiunt, & diuitijs orbatum diabolo tradunt. *Demum accepto argenteo vase, in illud quasi rabidis morsibus stringens, cum diabolo expirauit*. Digna morte peremptus, qui mortis memoriam postbabuit.

Duos Psalmographi versus produco, ex quorum consonantia nostri instituti probatio resultabit. Igitur in vno sic ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri*: In alio dicit: *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Indubitatum est, quod hic in persona Christi loquatur: sed Magister sententiarum Christum hic Patrem æternum alloqui existimat. Salutis vias hominibus complanat, ne in eis offendiculum inueniant, & labantur. *Notas fecisti, per me, mihi, idest meis, in quibus ego sum. Duo mihi fecisti: & notas fecisti, dico, vias vitæ, idest vias humilitatis, vt ad vitam redeant homines.* Hoc igitur statuto. Cur primo loco dicit singulari numero? *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Et postea vias multas pluraliter dicit? *Notas mihi fecisti vias vitæ*: Si vna est via: cur plures vocat? Deinde, viam hanc rectè cucurrit. D. Ambrosium ausculta Christi nomine loquentem. *Viam mandatorum tuorum cucurri, vt bonus eques. Habet etiam equos suos Christus, de quibus Propheta. Ascendisti equos tuos, & equitatus tuus salus*. In quonam ergo constitit cursus huiusmodi rectitudo? iam demonstro.

Petr. Lomb. ibi.

Via humilitatis, est via vitæ.

D. Ambr.

Vnus, idemque fuit cursus, at viæ plurimæ, quia multa sunt præcepta, quorum singula semitæ sunt in cælum tendentia. Cum autem omnia finem vnum respiciant, Dei videlicet amorem, ac ipsius legem, quamuis illa sint multa, via vnica censetur, & ideo dicit. *Viam*, & mandata plurima, *mandatorum tuorum cucurri*. Vnde de mandatis locutus, pluraliter dicere potuit. *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Et quidem vias huiusmodi, vt bonus eques, cucurrit: in quonam verò stetit, vt à cursu non aberraret? edisserit S. Augustinus in Psalm. 16. expendens, quod ideo Dauid cursum certò tenuit, quia vias asperas obseruauit. *Ego custodiui vias duras, idest mortalitatis, & passionis*. Quasi diceret: oculos in mortem conieci, nec vnquam ab aspectu demittens, semitam præceptorum reliqui: En igitur discriminis causa: quoniam si, vt in omnibus scopum rectè attingamus, oportet vt mortis memoria nunquam ab animo excidat: vbi primum Dauid oculos in mortem direxit, cursu ita recto mandatorum semitam tenuit, vt quamuis multa fuerint præcepta, omnia tamen sic adamussim obseruauit, vt dicere potuerit: *Quia custodiui vias duras, idest mortalitatis, & passionis. Viam mandatorum tuorum cucurri, vt bonus eques*. Ille enim recto cursu incedit, qui mortis memoriam assiduè in omnibus retinet. Prophetas olim excepit hospitio Elisæus, & mirum est, quo cibo illos reficeret; ollā impleuit collocyntidis, & hospitibus apposuit. At verò, vt cibum amaritudinis gustauerunt ad Elisæū clamabant, dicentes. *Mors in olla, mors in olla, vir Dei*. At qua de causa mortē esse in olla cōclamant? Propter magnam cibi amaritudinem, sub qua venenum latere existimabant. Ita censuit ad hunc locum Abulensis. *Putauit enim, quod ille cibus erat mortifer, sicut erat amarus, vel fortè vocauit mortem ipsam amaritudinem nimiam*. Quæres nunc: quare cibus hospitibus apponendus herbarum amaritudine fuerit conditus? Respondet S. Ambrosius, locum illum, vbi Elisæus habitabat, totum herbis amaricantibus esse consitum. *Elisæus in deserto erat, vbi non inueniretur esca nisi amara*. Sed quare nunc in præsenti sic amaritudine infecta est; vt præ amaritudine mortem ibi esse conclament? Causa est: quia Elisæus Propheta erat, & vir Dei dicebatur, *Vir Dei*. Vt autem officij partes impleret, cum in omnibus scopum attingere decerneret, mortis memoriam tenere studet. Perbellè igitur conuiuium disponit, vbi non nisi amaræ herbæ inueniuntur. *Elisæus in deserto erat, ubi non inueniretur esca nisi amara*, quoniam mortem in ea amaritudine agnoscebat. *Putauit enim, quod ille cibus erat mortifer, sicut erat amarus, vel forte vocauit mortem ipsam amaritu-*

Singula præcepta sunt singulæ ad cælum viæ.

D. Aug. ibi.

Rectè currit, qui mortem præuiā habet.

4. Reg. 4.

Abul. ibi. quæst. 19.

dinem nimiam. Nuſquam deerit mortis memoria, qua duce, nuſquam a via deflectet, & in omnibus certo pede veſtigia figet. Atque adeo ex mortis memoria, quam in conuiuio repetunt; Eliſæum eſſe Prophetam, & virum Dei, non immeritò coniectantur. *Mors in olla, mors in olla vir Dei*, quia ille nunquam aberrat, cui mors ſemper ante oculos obuerſatur.

Coronidem ex teſtamento nouo placet imponere, & vnum, vel alterum locum, apud Ioannem, & Lucam expendo. Igitur Chriſtus Dominus paralyticum, poſt octo ſupra triginta annos, in lecto iacentem ſanitati reddit, ſalubriterque admonitum dimiſit a ſe, ſicut refert Ioannes. *Ioann. 5.* *Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Hæc de paralytico. Videamus apud Naim filium viduæ ſuſcitatum, quem cum Chriſtus matri ſuę traderet, nec verbum quidem vnum protulit, quo adoleſcentem ad virę reſipiſcentiam hortaretur. *Luc. 7.* *Et ait, adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ*. Mirum eſt, quod adoleſcentem ſuſcitatum, non pro futura vitæ emendatione monuerit, cum tamen cum paralytico id egerit, vbi propter ætatem, & diuturnam infirmitatem monitio non ita neceſſaria videbatur. (*Mors optimus Pedagogus.*) Nihilominus paralyticum admonet, & nulla dat iuueni verba monitionis. Pulchra eſt D. Chryſoſtomi nota dicentis. *D. Io. Chriſ. hom. 37.* *Alios curans peccatorum non meminit*. Sed cur hortari deſinit, ſciſcitatur quidam Neotericus? *Paul. Ser. an. 6. ſt. 11.* *Cur non: & hic documenta aliqua* (hoc eſt ſuſcitato iuueni)? *& erant ad peccandum maiora incitamenta, quam in ægroto probatici ſtagni*: Reſponſio facilis eſt, ſi vterque ægrotus conſideretur. Paralyticus e diuturna infirmitate ad ſanitatem reſtituebatur; iuuenis e mortis faucibus ereptus, ad vitam redibat. Cum autem ſtatuerimus, ex mortis memoria omnium noſtrarum actionum certitudinem prouenire, ita vt ille in ſalutis via certius pedem figat, qui mortis recordatur. Egregie paralyticum hortatur, & iuuenem dimiſit non admonitum, quia pro monitione ſeruiebat mortis recordatio, quam ab ipſius faucibus dudum ereptus, retinere neceſſe erat: *Et quidem*, ait iſte Neotericus, *redibat iuuenis iſte ex ſepulchro ad lucem mortalium, expertus fuerat mortis Pharetram, & ſagittas: fuit autem tam potens magiſtra hæc mortis experientia, eius tam efficax doctrina, vt quamquam breui apud eum commoratus ſit iuuenis, tam peritus euaſerit, quem inſtruere Chriſto opus non fuerit. Non ſic ille morbis afflictatus: nam, quamquam fracta valetudine, per triginta octo annos, ſed non tantum didicerat, tam longo annorum curſu, quantum adoleſcens, non multis horis, ſub mortis poteſtate, & ferula*.

Ergo quicunque vitæ rationem ſic inſtituere deſtinat, vt in omnibus à via mandatorum nunquam deflectat, ſed tanquam bonus eques viam currat eleganter, ſi ob Dei amorem hoc non egerit, propter ſuam faciat commoditatem, mortem recogitet, ipſius memoriam ſemper retineat. Nihil enim eſt, quod ita hominum appetitus refrænet, quam, vt quod quiſquam adamat viuum, mortuum contempletur. Diui Bonauenturæ ſententia eſt, a ſancto Gregorio mutuata. *Nihil ſic ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quam, vt vnuſquiſque hoc, quod viuum diligit, mortuum penſet*. *D. Bonauen. opuſc. lib. 3. cap. 48.* Neque enim fieri poteſt, vt, præuia mortis conſideratione, aliquis ſit ita amens, vt amorem collocet in eo, (*Optimum carnis frænum mors.*) quod vel iam perijſſe, vel ſtatim periturum conſiderat: ſi carnis illecebra pungit, ſi honoris cupido exagitat, ſi diuitiarum cupiditas accendit, ſi honorum, ac dignitatum ambitio tangit, ſi mundi proſperitas inuitat, ſi pulchritudo allicit: hæc omnia in mortis feretro poſita contempletur quicunque hiſce ſollicitatur amoribus, & ſtatim omnes eiuſmodi amoris flammæ extinguentur: Nihil enim eſt, quod ita carnales appetitus conſopiat, quam mortis memoria. Et ideo in cunctis actionibus, vt rectè fiant, retinenda eſt.

CA-



CAPVT VII.

Quod mors habet proprietates Sacramenti Eucharistici; quoniam ad illam accipiendam, vt vita sit, idem necesse est, quod ad illud accipiendum, vt non sit mors.



DIVVS Antonius de Padua duorum infantum Pharez, & Zaran natiuitatem considerãs, primam nobis instituti propositi probationem suppeditat. Igitur cum Matris partus instaret, Zaram nasci primus incæperat, & manum extra vterum misit, quam cum vidisset obstetrix, vita coccinea ligauit, & statim infans retraxit, & alteri nasci turo locum præstitit. *Instante autem partu, apparuerũt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: iste egredietur prior. Illo verò retrahente manu, egressus est alter: Dixitque mulier: Quare diuisa est propter te maceria? & ob hanc causam vocauit nomen eius Phares. Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellauit Zara.* Liceat nunc infantem istum alloqui, & ab eo sciscitari, cur cum primus nasci properaret, & maioratum arripere; coccino ligatus aufugit, & alium prius egredi permisit, obstetricis spem illudens, quæ dicebat. *Iste egredietur prior*; & posteriori loco nascitur. *Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum*? Verum, ipsa vtriusque nominis impositio, vt D. Antonius aduertit, quæstionis nodum dissoluit. Et Zaram prius nasciturum non esse manifestar. *Nam Phares interpretatur diuisio, Zaram Oriens: prius enim debet se a peccatis diuidere, & postmodum boni operis illuminationi intendere.* Pulchra est allegoria, qua docemur, peccata primum relinquere, & postea bonis operibus insudare: prius enim est à malo declinare, & postea bonum facere; ideo qui Phares dicitur, prius nascitur, & postea Zaram, qui Oriens dicebatur. Videndum tamen adhuc est, quando infans manum retraxit, videlicet, quando ligatam coccino sensit, & quid coccinus iste significet. Totum illustrauit S. Ambrosius. *Quid sibi vult*, inquit, *quod coccum in manu eius ligauit: nisi quia typus eius erat, qui crucis iudicio suæ, & sanguinis fusione actum illustrauit humanum.* Hæc ille: vbi dupplicem cocco significationem attribuit: nimirum Christi in Cruce mortem, & eius sanguinem in Eucharistia relictum significare testatur: ergo infert egregiè D. Antonius; quandoquidem Phares diuisionem, & Zaram Orientem significat, & prius præcedere debet culpæ diuisio, quam virtutis operatio oriatur. *Prius enim debet esse à peccato diuidere, & postmodum boni operis illuminationi intendere.* Iure optimo, cum Zaram signa panis sacramentalis, & mortis ænigmata accipit, à nascendo se retrahit: quia vt his supellectibus gaudeat, prius a peccato diuidi oportet, & postea nasci, hoc est bonæ operationis illuminatione clarescere. *Postea egressus frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara.* Rectè sic habet. At quæro: Respectu cuius Zaram talem præuenit dispositionem? Si vt Sanctus Ambrosius statuit, primo loco dici debuerat, quod crucem posuit, hoc est mortem: secundo sanguinem, hoc est eucharisticum sacramentum. *Qui crucis iudicio suę*: & postea: *& sanguinis fusione*. Cæterum vt agnoscatur, mortem Eucharistici sacramenti proprietatem habere; siquidem ad illam accipiendam, vt vita sit, idem necesse est, quod ad illud accipiendum, ne sit mors: disponit Ambrosius; *Qui crucis iudicio suæ, & sanguinis fusione*, Nec disiunctiua particula, *uel*, vtitur, sed copulatiua, *&*. Vtrumque in cocco præsentit Zaram, & vtrumque præuenit; quoniam sic Eucharistia cum peccato sumpta, mors est: mori in peccato, mortem affert. *Quid sibi vult, quod coccum in manus eius ligauit, nisi quia typus eius erat, qui cru-*

Marginalia: Gen. 38. — D. Anto. Pa(dua) ser. in 4. Do. Quadr. — Nota. — D. Ambr. l. 3. in Lucam. — Culpæ diuisio rectam operationẽ præcedat. — Nota.

cis iudicio suæ, & sanguinis susione actum illustrauit humanum. Hæc ergo fuit natiuitatis infantum dispositio, vt Zaram cocco ligatus ad vtrumque disponeretur, & prius Phares, hoc est diuisio a culpa nasceretur, & postea Zaram, idest Oriens splendoris, ex vtero prodiret. *Prius enim debet esse à peccato diuidere, & post modum boni operis illuminationi intendere*. Quoniam idem est necessarium ad accipiendam mortem, vt vita sit, quod ad accipiendam Eucharistiam, ne sit mors.

Adfuit olim Christus Nuptijs, apud Cana Galileæ celebratis, cumque eis vinum deficerer, mater eius eum rogauit, vt conuiuis de vino prouideret, cui ille respondit. *Nondum venit hora mea*. (Ioann. 2.) Sic Ioannes cap. 4. Postea, cum Pascha celebrarer, horam iam venisse pronunciat. (Ioann. 13.) *Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius*. Cæterum quid sibi vult, quod agens de Eucharistia, eosdem loquendi terminos vsurpat, quos antea patrando miraculo se excusauit? hic enim ait. *Nondum venit hora mea: illic, sciens, quia venit hora eius*. Vtrumque tamen vnum est, ait Chrysologus, quia dum matet postulat, vt aquam mutet in vinum, perinde fuit, ac si conuiuium illud, Eucharistiæ institutione, honorandum postularet. (...rs, & eu...aristia ...ukant. — Petr. Chri. 160.) *Sed aqua in sanguinis erat conuertenda mysterium, vt mera pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret, vt impleret illud Prophetæ. Et calix meus inebrians quam præclarus est*. Cum ergo dicit. *Nondum venit hora mea*, Hoc est, non venit tempus, in quo Eucharistiæ sacramentum instituam. At quando iam instituebat; tunc ait: *Sciens, quia uenit hora eius*. Quid amplius habet hæc hora, vt in ea Eucharistiam instituat? Aut quid alteri defuit apud Cana, vbi ab instituendo corporis, & sanguinis sui sacramento se excusauit? Audiendus est D. Augustinus de Cana locutus. (Aug. ibi.) *Sed nondum, inquit, uenit hora mea, idest opportunitas: quia non debet esse passio, nisi prædicato Euangelio*. Cæterum quid commune habet hora mortis Christi cum hora instituendi Eucharistiam, vt necesse sit horam mortis aduenire ad hoc vt hora Eucharistiæ aduenisse conueniat? Maximè, quia in qualibet hora corporis, & sanguinis sui sacramentum conficere poterat. Ad quid igitur ad horam mortis reseruauit? Respondeo.

Vt quisquam sic moriatur, vt æternum viuat, quo indiget? Vt corpus moriatur, & anima per gratiam Deo viuat, hoc autem fit, cum mors sine culpa accedit: vt autem panis Eucharisticus sumatur, ne sit mors, quid requiritur? Illum absque peccato manducare. (Nota.) Perbellè igitur dispositum; voluit enim Christus docere, mortem Eucharistici sacramenti proprietates habere, ita quod, vt illam accipere, & accipiendo viuere quisquam possit, necesse habeat, easdem habere conditiones ad recipiendam Eucharistiam, ne recipienti vertatur in mortem. (Eadem dispositio necessaria est ad sumendam Eucharistiam, ac ad moriendum.) Hinc est, quod dum apud Cana sacramentum Eucharistiæ rogatur instituere, se excusat, quia hora non aduenerat moriendi. Et quando mortis uon aderat tempus, nec etiam Eucharistiam conficiendi opportunum tempus iudicabatur. *Sed nondum uenit hora mea, idest opportunitas, quia non debet esse passio, nisi prædicato Euangelio*. Quoniam si, vt bene quis moriatur, dispositio optima est, Eucharistiam sumere. Ad Eucharistiam vero sumendam, status est bonus benè mori, tunc cõmunicandi opportuna hora censetur, quando eadem est moriendi, & quia in Cana mortis opportuna hora non aduenerat, ideo Eucharistię institutio, & communicandi hora differtur. Adueniente vero hora mortis. *Sciens, quia uenit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*. Eucharistiam instituit, contestatum hominibus relinquens, quod in morte sacramenti Eucharistici proprietates inueniuntur.

Vt autem hæc doctrina clatior euadat, notandum est, quod ad suscipiendum Eucharistiæ sacramentum, necessaria est exactissima conscientiæ discussio, nam illud in gratia recipienti vitam largitur, & qui in peccato recipit, ea vertitur in mortem. Hinc est illa D. Pauli ad Corinthios exhortatio. *Probet*

1. Cor. 11. *autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Vbi D. Augustinus. *Idest diligenter examinet, & suam conscientiam, ne sit in eo uoluntas peccandi mortaliter, uel aliquod peccatum præteritum, de quo non sufficienter pœnituerit, et sic post diligentem examinationem, securus de pane illo edat, & de calice bibat: quia digne sumentibus non est uenenum, sed medicina*. Ita ille: quod vno, vel altero verbo expressit Doctor Angelicus, dicens: *Mors est malis, uita bonis*. De morte verò profert Spiritus sanctus. Quod iusto vita est, & peccatori mors sit. *In malitia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte sua*. Sicut igitur Eucharistia bonis vita, & malis mors est, sic mors iusto in vitam, & impio vertitur in mortem. Vnde mirum non videatur, si mortem Eucharistiæ proprietates habere prædicauerimus.

D. August. tract. 36.

Eucharistia, digne sumentibus medicina.

D. Tho. in mys. Prou. 14.

Audiendus hac de re Ecclesiastes cap. 9. vbi sic auditorem adhortatur. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio uinum tuum, quia Deo placent opera tua*. In Prouerbijs verò, de iusti dispositione, & morte, diuinum dicit oraculum: *Fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo*. Hoc est: quicunque fortitudine præmunitus, & virtutum decore adornatus, vitam transegit, appropinquante morte securus, & gaudens, illam expectabit. Optima est Lyrani expositio in hunc locum. *In die nouissimo*, ait, *quando audient uocem Domini, dicentis: Venite benedicti*. Faciet D. Hieronymus, expendens illud, *ridebit*, idest *gaudebit in retributione Regni cælestis, qui dolebat in certamine uitæ præsentis*. Verumtamen, quando ad manducandum, & bibendum inuitat, quas epulas conuiuantibus apponit? Carnem suam, respondet Olympiodorus, quam diuinitati ipse copulauit, & sacramento composuit, vt manducare possemus, & hoc est: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum*. Verbi diuini exhortatio isthæc est: *Aliter Verbum caro factum homines cohortatur*, ait Olympiodorus, *ad mysticam sui corporis participationem, cum propter nostram salutem carnem assumpserit*. At tu vide,

Eccles. 9.

Prou. 31.

Fortes, securé eucharistiæ appropinquant.

Lyr. ibi.

D. Hier. ibi.

Olimp. ibi.

quod ad corporis sui mensam inuitans, eisdem terminis vtitur, quibus de morte locutus. *Comede*, inquit, *cum lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio*. De morte verò, *Ridebit*, idest gaudebit, vt dixit S. Hieronymus. Quasi idem sit communicare, ac mori, nam vtrobique gaudium postulat, ad Eucharistiam accedere, & ex hoc mundo ad rationem reddendam proficisci: diuersum tamen vnum ab alio iudicatur, vtrobique tamen lætitiam exigit, *Comede cum lætitia, & ridebit, idest gaudebit in die nouissimo*: Quia docere nos voluit, quod si Eucharistiam dignè sumere, & in Dei gratia mori, vitam parit æternam, vt benè dixit Iræneus: *Amicitia Dei immortalitatis est condonatrix*: Et in hoc vera lætitia consistit. Lætetur ergo iustus, qui moritur, vt viuat: sicut ille, qui communicat: siquidem, ne moriatur comedit, hac lætitiæ æqualitate demonstrando, parem vtrobique dispositionem esse necessariam: Quia mors Eucharistiæ proprietates vendicat: quia vt quis moriatur, ad vitam idem sequitur, atque vt quisquam comedat non ad mortem. Et ideo dictum est. *Comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum*, Deinde. *Ridebit, idest gaudebit, in die nouissimo, quando audient vocem Domini dicentis: Venite benedicti*.

Idem est cõmunicare, ac mori.

D. Iren. mar. in Prou. 14.

Circa Christi Redemptoris nostri sepulchrum duo se mihi offerunt extrema valde ponderanda. Vnum est, quod ipso moriente monumenta aperta sunt, quasi morientem exceptura. *Et monumenta aperta sunt*. Nullum tamen admisit, sed quod Ioseph obtulit, quasi nouum acceptauit, *In quo nondum quisquam positus fuerat*. Aliud extremum est, quod sepulchri custodes, Christo resurgente, tanquam mortui ceciderunt. *Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt veluti mortui*. Hic locum habet illa Chrysologhi admiratio: quomodo fieri potuit, vt mortis pauore ciciderint, quos vitæ propinquitas sustinere debuerat? *Miseri, quos tunc percutit pauor mortis, quando securitas redditur vitæ*. In primo extremo miror, quod Christus, qui paupertatem impensius diligebat, & se

Matt. 27.

Luc. 23.

Mat. 16.

D. Pet. Chris. ser. 73.

Nota.

Ps. 87. pauperem profitebatur. *Pauper sum ego*. Sepulchrum vetus reiecerit, & nouum acceptauerit? Priusquam admirationi faciam satis, quæro, qua de causa Christus, qui omni iniuriæ se subiecit, sepulchro carere noluit, quod damnatis commune erat? Rupertus Rup. in cap. 6. Ioann. rationem reddit dicens: *Ipse fructus ligni vitæ in ligno crucis pendere voluit, & per passionem mortis mortuorum simul,* Nota. *& viuorum cibus fieri, vt suo quippè modo eum comederent tam uiui, quam mortui*. Et media hac terræ communione, cui pro ore sepulchrum deseruijt, omnes ad nouam vitam resurgemus. Et quidem ille Christi ad Lymbum descensus, ex *D.* Hieronymi sententia, noster est in cælum ascensus. D. Hier. ibi. in fin. Comm. *Sepultura autem Christi resurgimus; descensione eius ad inferos nos ascendemus ad Cælos*. Adhuc quæro: sepulchra, ex quibus corpora defunctorum prodierant, mortis aliquod indicium reseruabant? Ita quidem. Ergo iam patet mysterium. Quod si perinde est Christum sepulchro dedi, ac permittere, vt terra ipsum communicet; & vita nostra cum illo suscitetur, prætereaque panis Eucharisticus, vt vitam sumentibus donet, necesse est, vt culpa careant, Conuenienter sepulchra vetera repudiat, in quibus culpæ indicium perseuerat. Et sepulchro nouo condatur, quod indicijs culpæ carens, dignè recipiat, & ex tali communione vitam nobis polliceatur. *Sepultura autē Christi resurgimus; descensione eius ad inferos nos ascēdimus ad cælos*. Christi morte resurgimus. Hinc patet, quid de altero extremo iudicandum. Quoniam si mors habere debet sacramenti Eucharistici proprietates, vt vitam donet, ad illam sine culpa oportet accedere; cum autem custodes sepulchri tot essent culpis onerati, vix sepulcho approximant, quod est mortis domus, cum propter crimina, velut mortui prope vitam prosternuntur. *Miseri, quos tunc percutit pauor mortis, quando securitas redditur uita*. Ex quo infertur, mortem sacramenti Eucharistiæ proprietates vendicare; siquidem vtrumque ad sui sumptionem easdem dispositiones præ requirit.

Claudo Vatis lachrymosi conquæstione, qua se velut agnum ad victimam perduci querebatur, dicens. *Et* Iere. 11. *ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia, dicentes. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra uiuentium, & nomen eius non memoretur amplius*. Locus iste, vt censuit Theodoretus, nullo modo de Ieremia, sed de Christo debet intelligi. *Istud*, inquit, *omninò non conuenit Prophetæ: quomodo enim* Theod. ibi. *fieri poterat, ut lignum immitteretur in panem? At Christo maximè quadrat. Nam suum ipsius corpus panem appellauit: Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est. Panem hunc ligno crucifixerunt, qui putabant se memoriam illius extincturos*. Huius etiam opinionis fuit Tertullianus aduersus Iudæos. *De hoc ligno crucis*, ait, *etiam Deus insinuat per* Nota. *Ieremiam, quid essetis dicturi. Venite, mittamus lignum in panem eius. Nam utique in corpus eius lignum missum est; sic* Christi corpus panis, & ligno crucifixerunt. *enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans, cuius retro corpus in pane figurauit*. Hoc igitur statuto, quod iuxta horum interpretum sententiā Ieremias de Christi morte loquatur? Quare mortem non nominat, ac prætermissa commemoratione corporis, quod in cruce fuit clauis confixum, crucem sacramentali pani applicat. Quid refert pro hominibus mori ad hoc, vt se in pane sacramentali manducandum præbeat? Si de morte agit, de pane sileat, & si de pane agere est animus, mortis non meminerit? *Panem hunc ligno crucifixerunt, qui putabant se memoriam illius extincturos*. Ideo tamen hoc fecit, vt cum ad panem illum accipiendum accesserimus, mortis recordemur, & an ad moriendum dispositi simus agnoscamus, quia apti erimus ad communicandum: sicut enim panis iste optima est ad moriendum dispositio, sic paratum esse ad moriendum disponit hominem ad Eucharistiæ susceptionem. Mors enim, & Eucharistia in hoc assimilantur, & in morte, sicut iam probatum reliquimus Eucharisticæ proprietates inueniuntur. Et ideo Christus, de morte agens, nominar panem; quando verò de hoc

agit

agit, mortis meminit. *Panem hunc ligno crucifixerunt, qui putabant se memoriam illius extincturos.*

CAPVT VIII.

Quod, vt Sacramentum Eucharistiæ vitæ sit causa, melior dispositio sit mortis memoria.



IN medio pectore situm est hominis cor, cuspide aliquantulum ad sinistram inclinata, vt inde, tanquam cęterorum membrorum Rex, harmonicam corporis humani compositionem regat, modereturque. D. Antonij de Padua considerario est. *Situs*, inquit, *cordis est in medio pectoris in homine: declinans modicum ad sinistram nam recedit ad distinctionem, quæ est inter duas mamillas modicum, & declinat ad mamillam sinistram.* Scire tamen iuuat. Quare cum cor inter duas mamillas sit constitutum, ad sinistram potius inclinet, quam ad dexteram. Et planè mystica est mamillarum significatio, in quibus duæ repræsentantur memoriæ, quarum frequenri repetitione, velut mamillarum, lacte educari debet Christianus. *In duabus mamillis*, ait S. Antonius, *duplex memoria incarnationis, & passionis designatur, ex quibus, quasi mamillis, anima nutritur: in dextra mamilla memoria incarnationis; in sinistra passionis intelligitur.* Nec verè Christi passio meliorem habet locum, vt propterea cor ad se pertrahat; siquidem nisi granum illud cæleste in præsepij paleas caderet, & in terra moreretur, nec homo redemptionis fructum haberet, nec illud in Eucharistia manducaret. Dum autem in medio cor disponitur; homo, ne aliud cogitet, quam hæc duo mysteria commonetur. *Inter has mamillas esse situm cor tuum, vt quidquid cogites, quidquid tecum pertractes, totum ad humilitatem incarnationis, & amaritudinem dominicæ passionis referas.* D. Antonij verba sunt. Non tamen mysterio vacat, quod cum in medio constitutum sit hominis cor, vt hæc duo mysteria mente pertractet, nihilominus ad sinistram mamillam inclinatur, magisque propendet. In quo, dicit idem Antonius, admonemur passionis mysterium frequentius, & attentius meditari. *Et nota, quod sicut cor modicum declinat ad sinistram mamillam, sic compassio, & deuotio cordis debet declinare ad amaritudinem Dominicæ passionis.* Instabis adhuc: cur potius meditandum est passionis, quam Incarnationis mysterium, cum hæc primo fuerit? & nisi carnem susciperet Christus, nec moreretur, nec se in Eucharistiæ sacramento manducandum præberet: Cæterum: quo fine carnem suscepit? planè, vt moreretur. *Qui propter nos homines &c.* Vt moriens vitam nobis donaret, & post mortem vitam nobis in Eucharistia sub panis, ac vini speciebus reliquit; vt autem sacramentum hoc accipiamus, non est melior dispositio, quam mortis memoria. Cum igitur cor naturalis vitæ principium sit, & insuper fons amoris, vbi communicantibus nobis vita donanda est: Quando panem hunc manducauerimus, vt digna in nobis adsit dispositio, a corde præuenitur mortis memoria, quam vt aptiorem Deus significat, dum cor in sinistram mamillam inclinat, in qua passionis mysterium designatur. *Et nota, quod sicut cor modicum declinat ad sinistram mamillam, sic compassio, & deuotio cordis debet declinare ad amaritudinem Dominicæ passionis.*

Inseruiunt etiam ad præsens institutum illa sponsæ verba, quibus sponsum appeliauit myrræ fasciculum, & inter sua vbera semper moraturum pollicetur. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, & ego illi: inter vbera mea commorabitur.* Nusquam melius sponso blanditur, & clariora amoris erga illum præbet argumenta, quam dum Mirrhæ fasciculum appellat, & inter vbera moraturam promittit. Quoniam in sponsa, vt censuit S. Antonius, pia anima designatur, quæ quantum Deo debebat meditata,

om-

Marginalia (left): *D. Ant. Pad. in ser. Dom. 13. post Trin.* — *Vbi sup.* — Nota. — Cor hominis in medio pectore situ est, vt incarnationis, & passionis Christi recordemur. — *Vbi supra.*

Marginalia (right): Cor hominis ad sinistram tendit, vt Christi passionem sedulo meditandam admoneat. — *Vbi sup.* — *In simb. Nic.* — Cor fons amoris. — *Cant. 1.*

omnes vitæ ipſius actiones repetens, vſque ad ſupremam cœnæ noctem, in qua ſe præbuit manducandum. Quod fuit miraculorum omnium ſignaculum: iuxta illud. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe*. Omnes huiuſmodi actus, quaſi in faſciculum, ſponſa redegit, & illicò ſuper vbera appendit: Antonij verba ſunt. *Anima Chriſti, dilecti filij Patris ſponſa, facit ſibi faſciculum myrrhæ, ex tota vita dilecti ſui: recolit enim, qualiter in præſepio reclinatus, &c. Nota proceſſum vitæ, & paſſionis, ex his omnibus in vnum collectis, & vinculo dilectionis, & deuotionis fortiter colligatis, facit ſibi faſciculum myrrhæ, ideſt amaritudinis, & doloris, & ponit inter vbera, vbi eſt ſitus cordis*. Hactenus ille: verumtamen miror, qua ratione ſponſa, quæ audierat ſponſum dicentem. *Ego flos campi*, non dixerit flos campi dilectus meus. *Inter vbera mea commorabitur*. Sed faſciculum myrrhæ placuit appellare, atque, ſub hoc nomine, ipſius delicijs perfrui deſiderat, quia cum ipſum in Euchariſtico accipere conuiuio confidit, vt accipiendo vita perfruatur, & ad hoc meliorem diſpoſitionem non inuenit, quam mortis memoriam; ideo myrrham repetit, quæ iuxta D. Gregorium, mortis ſymbolum eſt. *Myrrha autem mortuorum corpora condiuntur*. Vt ita diſpoſita, ſponſum pariter, vitamque accipiat. Si enim ille flos eſt, nuſquam melius, quam inter ſpinas, hoc eſt myrrhæ amaritudines, quæ mortis ingerunt memoriam, requieſcit, & ideo ſponſa, dilecti ingenium agnoſcens, ei blanditur, dum myrrhæ faſciculum appellat, & ad pectus ſe applicaturam, pro amoris teneritudine, pollicetur. *Ex his omnibus in vnum collectis, & vinculo dilectionis, & deuotionis fortiter colligatis, fecit ſibi faſciculum myrrhæ, ideſt, amaritudinis, & doloris, & ponit inter vbera, vbi eſt ſitus cordis*.

Pſ. 110.

D. Ant. Pad. Dom. 13. poſt Trinit.

Cant. 2.

Ad euchariſtiam nulla aptior diſpoſitio quam mortis memoria.

D. Greg. hom. 10.

Placet vlterius aſſumptum hoc illuſtrare ex illa Dauid petitione, cum Saulem fugitans, ad Achimelech, quaſi ſemianimis acceſſit, & huuc in modum fuit allocutus. *Nunc ergo; ſi quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inueneris*. Cui reſpondit Achimelech. *Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctum: ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus*. Quo audito Dauid, conſiderans viæ periculum, & quod pueri inquinamentum aliquod forſan contraxiſſenr, ſacerdoti reſpondit. *Porrò via hæc polluta eſt, ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis*. Tunc ſacerdos, *Dedit ei ſanctificatum panem*. Poſtea Dauid arma nonnulla a ſacerdote poſtulauit; ille ſupplicationi aſſentitus, gladium porrexit, quo Goliæ caput amputauerat. *Et dixit ſacerdos, ecce hic gladius Goliath Philiſtæi, quem percuſſiſti in valle Terebinthi*. Porrò non erant ibi alia arma, quæ daret? haud dubium. Cur ergo porrexit gladium in tabernaculo appenſum? Cauſa eſt in promptu: quando ſacerdos Dauidi panem petenti dicit, non alium ſe habere panem, quam ſanctum: proindeque videar, an pueri ad illum manducandum ſint diſpoſiti. Dauid, quaſi dubius, reſpondit: *Porrò via hæc polluta eſt, ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis*. Præterea panis ille idem quaſi erar, ex D. Hieronymi ſententia, atque Chriſti corpus, ſub ſpeciebus ſacramentalibus conſtitutus. *Panes enim propoſitionis, quaſi corpus Chriſti*. Tandem: quid panes poſtulans intendit Dauid, niſi vitam, præ fame deficientem, ſuſtentare: Vt autem vitam quis tueatur, nulla melior diſpoſitio, quam mortis memoria inuenitur. Cum ergo Dauid, panem petendo, vitam vellet tueri, & an ſufficienter ad illum manducandum eſſer diſpoſitus, ambigeret: prudenter Achimelech gladium porrexit, quo Goliath interfecit, & ibi erat mortis memoria, qua præuia, rectè diſpoſitus, panem comedit, & vitam aſſequitur. *Ideoque ſacerdos dedit ei ſanctificatum panem, quaſi corpus Chriſti*. Et gladium, hoc eſt mortis memoriam, quæ optima, ad vitam conſequendam, diſpoſitio cenſetur. *Ecce hic gladius Goliath Philiſtæi, quem percuſſiſti in valle Terebinthi*.

1. Reg. 21.

Euchariſtia non ſine gladio indignè ſumentibus.

D. Hier. li. 1. contra Iouin.

Non longè diuerſus abit ab hoc cogitatu S. Paſchaſius, expendens illa Chriſti verba, quibus apud Cana Galileæ ſe excuſauit, ne aquam in vinum,

vt rogabatur, conuerteret, dicens. *Nondum venit hora mea*. Quamquam iuxta D. Petrum Chrysologum excusatio fuit, eo quod nondum Eucharistiæ sacramentum instituebat. *Sed aqua in sanguinis erat conuertenda mysterium, vt mira pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret: vt impleret illud prophetæ, & calix tuus inebrians quam præclarus est*. Vix tamen approximat cœnæ tempus vltimæ; cum non rogatus instituit Eucharistiam, ad quam non instituendam se excusauerat dicens, *nondum venit hora mea*, quam in cœna iam aduenisse Ioannes testatur. *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius*. Hæc autem hora mortis ipsius hora erat. Nam Pascha transitum significat: vnde S. Augustinus. *Ecce Pascha, ecce transitus*. Ergo cum memoria mortis adest, instituendæ Eucharistiæ tempus iudicatur: quia vt hoc sacramentum vitam causet, melior dispositio est mortis recordatio. Quoniam verò in Cana nuptiarum voluptas mortis memoriam significauerat, ideo Eucharistia non instituitur, sed ad horam cœnæ distrahitur, instante iam Christi morte, quando propter hoc optima aderat communicandi dispositio. D. Paschasij verba sunt. *Quem calicem cum bibimus, quid aliud quam mortem Domini annuntiamus? idcirco necesse est, vt vnusquisque prius moriatur in sæculo*.

Ioann. 2.
D. Petr. Chrys. ser. 160.
Ioann. 13.
Hora Christi hora mortis.
D. Aug. tra. 55.
D. Pasch. l. de corp. et sang. Christi cap. 21.

Ergo quicumque mensæ huius particeps fieri, & cælestem hunc panem manducare desiderat, cor suum an viuum sit, exploret. Nam si mortis meditatione, & memoria caret, mortuum fors erit, ac huius mensæ incapax. *Idcirco necesse est, vt vnusquisque prius moriatur in sæculo*. In assidua horæ illius, in qua sacramentum istud Christus instituit, meditatione exercendus; nec magno labore hoc stabit, quia cor naturaliter in hanc mamillam inclinatur. Pulchra in hanc rem S. Antonij exhortatio est. *O homo*, inquit, *tui cordis dispositio, & forma informat te, qualiter debeas diligere Dominum Deum tuum*. Hæc autem dispositio in eo sita est, vt passionem assidua meditatione tractes, quam mamilla sinistra repræsentat, & sic meditatus, capax huius comedendi panis efficieris. Verè enim mortis memoria, optima est ad Eucharistiam dispositio. *Quem calicem cum bibimus, quid aliud, quam mortem Domini annuntiamus? Idcirco necesse est, vt vnusquisque prior moriatur in sæculo*.

Si cor non viuat ad Eucharistiam, non accedendum.
D. Anto. Pa. Dom. 13. post Trinit.

Hinc ollæ mysterium innotescet, quam Elisæus conuiuantibus Prophetis præparari iussit, nam colocynthidarum sic fuit gustata amaritudo, vt mortem ibi infusam esse conclamauerint. *Infuderunt ergo socijs, vt comederent: cumque gustassent de coctione, clamauerunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei, & non potuerunt comedere*. Non videtur rationabilis hæc conuiuarum conquæstio, quia, etsi amarus esset cibus, non proinde mortifer iudicari debuerat: vnde aptius dicerent, cibum esse ita amarum, vt manducari non posset, quam esse mortiferum. Cæterum Abulensis, gustata colocynthidarum amaritudine, censuit, eos non abs re venenum suspicatos. Etenim colocynthidæ medicinis inseruiunt, cibo, propter nimiam amaritudinem, aptæ nequaquam sunt. *Colocynthida est quædam herba, cuius vsus in medicinalibus ad multa conuenit, in cibo autem non conuenit, quia est amara nimis, & quasi mortifera*. Hic tamen sciscitaberis: an Prophetæ ieiuni e mensa surrexerint, quandoquidem cibum appositum præ amaritudine reiecerunt? Respondeo, illos comedisse quidem, quia Elisæus audita quærela, farinam iniecit, qua temperata fuit cibi amaritudo, ita vt comederint, & saporatum edulium inuenerint. *Afferte*, inquit, *farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, & ait: infun de turbæ, & comedant, & non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla*. Poterat quidem Elisæus vt Propheta remedium præuenire, & iniecta farina amaritudinem tollere, antequam sentiretur: Noluit tamen, quia conuiuium illud, in quo farina cibum reddidit saporatum, mysticè conuiuium Eucharisticum designabat, quod in animarum delicias, vitamque Christus instruxerat. Vt autem in tali conuiuio vitam consequamur, non est melior dispositio, quam mortis memoria. Quod cum Elisæo, tanquam Prophetæ,

4. Reg. 4.
Abul. ibi. quæst. 59.
Amaritudo cibi medicinalis est.
Cibus optimè mortis amaritudine conditur.

notum esset, rectè conuiuium à mortis memoria fuit auspicatus. *Mors in olla*. Fallat, nisi hic fuerit S. Ambrosij cogitatus sequentibus verbis inclusus. D. Ambr. lib. de Elia c. 6. *Elisæus à Magistro didicerat parsimoniam, cum filios aleret Prophetarum; vitis agrestis grumulis mensas efferebat, & inemptis syluestribus oleribus, hospitalis humanitatis implebat officium. Quorum offensi amaritudine, cum manducare non possent, leuis farinæ aspersione, omnem illam amaritudinem temperauit, abstinentiæ Prophetæ munere, ueneni uires euacuans*.

Premo adhuc loci huius expositionem. Etenim, iuxta D. Ambrosium, prophetico spiritu Elisæus casum præuidit. *Abstinentiæ prophetæ munere, ueneni uires euacuans*. Vnde iam sciendi cupiditas animum incessit, cuius incuria cibus sic amatus euasit? Serui negligentia hoc accidit. 4. Reg. 4. *Egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes, inuenitque quasi uitem syluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus, concidit in ollam pulmenti: Nesciebat enim quid esset*. Præuidit tamen serui incuriam Elisæus, & de industria voluit cibum amaro condimento parari. D. Ambr. ubi supra. *Elisæus in deserto erat, ubi non inueniretur esca, nisi amara*. Sicut iam ex D. Ambrosio retulimus, quia mortis memoriam adesse volebat, quam herbarum amaritudo suscitabat: nec quidquam est ita amarum sicut mortis memoria, vt docet illa Ecclesiastici exclamatio. *O mors, quam amara est memoria tua*. Prudenter ergo parauit conuiuium, quod Eucharistiæ figuratiuum erat, vt mortis memoria ibi adesset: quia hæc mensæ Eucharisticæ assidentibus melior est dispositio; herbarum autem amaritudo mortis memoriam referebat, quam cum Elisæus in cordibus Prophetarum radicaram exoptaret; in loco degebat, vbi herbæ amaræ solummodo nascebantur. *Elisæus in deserto erat, ubi non inueniretur esca nisi amara*.

Viri sancti mortem pro condimento habent.

In eandem rem profero illam cæremoniam, qua Deus in libris Numerorum ad purganda grauia crimina Num. 9 vti præcipiebat. *Homo, qui fuerit immundus super anima, siue in uia procul in gente uestra, faciat Phase Domino in mense secundo, quarta decima die mensis ad uesperam: cum azymis, & lactucis agrestibus comedent illud*. Quamquam verò multa alia purgando, crimini deseruire possent; phase tamen elegit Dominus propter duo, ait Abulensis, ad hunc locum: Primum, quia phase Christi figura erat, pro hominum peccatis in sacrificium oblati, nec non Eucharistiæ Sacramenti, quòd illud digne sumentibus vitam clargitur. *Prima*, inquit, *causa assumitur ex comparatione ad Christum secundum ea, quæ considerantur in passione Christi, & in sumptione Eucharistiæ, ad quæ duo pertinet significatio agni paschalis*. Deinde lactucas Syluestres addere iubet, propter amaritudinem; *Quia*, vt monuit Rabbanus. *Cum corpus Christi accipimus, pro peccatis compungi debemus*. Et verò ipsa lactucarum amaritudo, compunctionem cordis videtur significare. Quod nam verò sit huiusmodi herbarum genus tradidit Abulensis. *Dicuntur*, ait, *istæ lactucæ quædam herbæ amaræ, ad similitudinem lactucarum, quæ in hortis nascuntur, sed minores sunt, & asperiores, & amaræ*. In hac verò amaritudine sita est optima ad communicandum dispositio, quoniam mortis memoria amata est, iuxta Ecclesiasticum. *O mors, quam amara est memoria tua*. Et hæc aptissima ad Eucharistiam dispositio, vt vitam summentibus donet. Cum ergo Phase, ad peccatorum purgationem ordinatur, quod est Eucharistiæ figuratiuum, peroptimè lactucæ adhibentur agrestes, quæ cordis compunctionem, & mortis memoriam efficiunt: & vtraque ad Eucharistiam accedentibus dispositio est, vt vitam accipiant. *Quia cum corpus Christi accipimus, pro peccatis compungi debemus*.

Abul. ibi. quæst. 26.

Rab. ibi.

Mortis amaritudo compunctionem extorquet.

Abul. in cap. 12. Exod.

Eccles. 41.

Alterius agni cæremoniam profero. Hic ille est, quem Deus apud AEgyptum mactari præcipiebat, & assatum manducari, sed primò illius sanguine portarum superliminaria aspergi; vt præteriens Angelus exterminator, sanguinis signum videns, domum relinqueret illæsam. Hunc etiam agnum cum lactucis agrestibus edere præcipiebat. *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos* Exod. 12.

mos panes cum lactucis agrestibus. Quærit hic, more suo, Tostatus. Quare potius agnus quam aliud animal sacrificari iuberetur. *Quare autem agnus magis, quam aliud animal immolabatur?* Ratio est, quia cum illud sacrificium erat Eucharistiæ figura, & ibi Christus agnus, sub panis, vinique speciebus comedebatur, alius agnus debuit præuideri, qui figuratiue agnum Eucharisticum repræsentaret. Vnde ait Glossa interlinealis. *Et edent Sacramentum Dominici corporis*. Lactucæ verò agrestes adhibentur, vt edoceamur, quod adhoc sacramentum compuncti, mortificati, deque futura vitæ emmendatione solliciti, accedere debemus. Ita Rupertus. *Lactucæ agrestes valde amaræ sunt, Carnes verò agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, vt dum corpus Redemptoris accipimus, pro peccatis flendo affligamur: vt amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho humorem peruersæ vitæ*.

Tost. ibidem.

Glos. int.

Rup. in Exo. li. 2. ca. 3.

Deinde adhibentur etiam agrestes lactucæ; Quia cum victima, quæ offerebatur ad vitæ securitatem, esset Sacramenti Eucharistici figura. *Edent Sacramentum Dominici corporis.* Et ad hoc suscipiendum melior dispositio fit mortis memoria. Si hæc amara est. *O mors, quam amara est memoria tua*. Iure optimo cum præcepit, vt agnus cum lactucis agrestibus manducetur vt vitam ferrent: perinde fuit, ac si, vt mortis memoria præcedente manducarent adhortaretur: quia vt agnus Eucharisticus vitam donet, optima est dispositio mors præmeditata. Et ideo Interlinealis. *Et edent carnes, idest Sacramentum Dominici corporis nocte illa assas igni passionis, & azymos panes cum lactucis agrestibus*.

Eucharistia sine mortis meditatione non dat vitam.

Nihil ex hoc loco prætereundum est, quod non ad examen reuocetur, vt nostrum institutum clarius illustretur. Ergo præcepit Dominus; *Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum*. Hoc autem fiebat, vt ibi addit textus, hoc modo: *fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem*. *Ponebatur autem iste sanguis*, ait Abulensis, *vt Angelus percutiens transiens percutiendo domos AEgyptiorum, cum perueniret ad domos Hebræorum, & videret sanguinem illum in ianua, non percuteret aliquem in illa Domo*. Magnum verò fuit sanguinis huius mysterium, & ingens vis: siquidem Angelus ad ipsius conspectum feriendi impetum retardabat, & hoc propter duo: primum, quia sanguis ille Eucharistiæ figura erat: secundum, quia mortem in memoriam reuocabat, vt solet sanguis effusus, quod est mortis indicium. Ghyslerij paraphrasim ad hunc locum produco. *Quænam verò sunt ista? Primo cum quis tam sanctum celebrat mysterium, dum Sacramentum suscipit; in quo sacrosanctum est Christi corpus, ac sanguis, Christum ipsum Dei vnigenitum, agnumue, qui tulit peccata mundi, immolare debet in acceptabile sacrificium. Tum fasciculum accipiens in illius sanguine intinctum, uniuersa, quæ is pro totius orbis redemptione, vel in horto, uel in domibus Annæ, Cayphæ, Pilati, atque Herodis, uel denique in Monte Caluario, atque in Cruce pertulit in unum ueluti fasciculum colligens, qui eius immaculati agni intinctus sit sanguine, cum huiusmodi fasciculo memoriæ passionis, sanguinisue pro se effusi portas præcordiorum suorum aspergere debet*. Hactenus ille. Iam ergo patet mysterium, mediante enim agni sacrificio vitam seruare intendit; ille autem agnus erat Eucharistiæ figura, ac dum ad illum comedendum accedunt, eius sanguine portarum superliminaria tingunt. Quia meliora dispositio, vt Sacramentum hoc vitam donet, est mortis memoria, quam sanguis aspersus reducit. Angelus transiens, viso sanguine, à morte se abstinet, nec quemquam lædit. *Ponebatur autem iste sanguis, ut Angelus percutiens transiens, percutiendo domos AEgyptiorum, cum perueniret ad domos Hebræorum, & uideret sanguinem illum in ianuas, non percuteret aliquem in illa domo*.

Exod. 12.

Abulens. in Exod. 12.

Glys. c. 1. ex pos. 3. ve. 13.

Proh quanta est in mortis memoria potestas, vt Angeli percutientis impetum retardet, & gladium cohibeat à percussione. Salubre quidem esset hominibus, in assidua illius meditatione

Passionis Christi recordatio an gelum percutientem cohibet.

versari, & agni immaculati passionem recolere, illius sanguine portas animæ aspergendo, vt diabolus sanguinem reueritus aufugiat, & mortis memoria suffragante, vitam adipiscantur. Ita monebat S. Gregorius dicens: *Qui igitur intentionem cogitationis, ad imitationem passionis Christi dirigit, in superliminaribus domus agni sanguinem ponit.*

1. Greg. hom. 2. in Euan.

Claudo Eliæ petitione ad viduam Sareptanam. Cum enim Propheta ad ipsius domum, famelicus accessisset, aliquid à fęmina petijt, quod manducaret: Cui illa respondit: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & statim. En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, ut comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait. Noli timere, sed uade, & fac sicut dixisti.* Mirum est, quod mulieri præ necessitate mortem expectanti, Elias spem porrigat, dicens: nihil esse quod timeat. Aliquid sanè vidit admirandum, quo mortem præsumenti, vitam pollicitus est. Prorsus vidit, nimirum farinam, & duo ligna, illa corpus Christi in Sacramento significabat: hæc crucem, in qua, velut ara, Redemptionis, sacrificium Christus obtulit. Ita censuit S. Isidorus, *Et ligni nomine, & lignorum numero, signum crucis exprimitur, quo nobis panis uitæ æternæ est præparatus.* Itaque: vbi primum Elias mulierem cum figura panis substantifici, & crucis forma conspexit, vbi mortis memoria apparebat, quodque refectionem sumere disponebat, paulò post moritura: cum nouerit, tali dispositione, vitam esse consecuturam; ideo non timere persuadet, sed quod disponit exequatur; quia mortis memoriam retinens, optimam habet dispositionem, vt vitam consequatur. *Ad quam Elias ait: Noli timere, sed uade, & fac sicut dixisti.*

3. Reg. 17.

Nota.

D. Isidor. ibi.

Mors optima ad vitam dispositio.

Adhuc tamen expendendum est, quod Elias subiunxit, maximè namque ad præsens institutum conducit. *Verumtamen, ait, Mihi primum fac de ipsa farina subcinericium panem paruulum.* Sibi primum parari refectionem imperat, quia præ lassitudine itineris, penè deficiebat. *Erat enim,* inquit Lyra, *fatigatus itinere, & ieiunio; & ideo accelerari debebat refectio eius.* Cæterum, si magna adeò erat necessitas, vt auxilii celeritate indigeret: cur paruo contentus dicit: *Fac panem paruulum?* fors quia panis ille, eleemosyna datus in parua quantitate, vim habebat reficiendi, ac si panis esset Angelorum, vt Seraphicus P. S. Franciscus ad illud Psalmi. *Panem Angelorum manducauit homo:* testatur dicens: *Ille est panis Angelorum, qui pro Dei amore petitur, & beatis, suggerentibus, Angelis, pro ipsius charitate largitur, sancta paupertas colligit ostiatim.* Alia est mysterii causa, quod vidit Hugo Cardinalis, ponderans Eliæ verba, dicentis: *Fac de ipsa farina subcineritium panem paruulum.* Quid est panis sub cinere cotus, nisi mortis memoria. *Panis,* inquit, *subcinericius, est mortis memoria.* Igitur si panis ille figura est Eucharistiæ, & dum subcinericius est, mortis memoriam habet, quæ melior est dispositio ad vitam: prudenter Elias, cum suam reparare desiderat, paulum panis postulat; quia mortis recordatione subactum, sat erat, vt vitam deficientem restauraret. Et ideo sibi primum ministrari exposcit, quasi vitæ cupidus, quam in parua quantitate panis ille, sub ipse præstiturus esset. *Verumtamen mihi primum fac de ipsa farina subcineritium panem paruulum.* Qua petitione contestatum reliquit Elias, panem illum, mortis memoria præparatum, vitæ remedium esse, & subinde meliorem dispositionem, vt Eucharistiæ Sacramentum suscipientibus vitam largiatur, esse mortis memoriam, quam cinis designabat.

3. Reg. 17.

Lyr. ibi.

Psal. 77.

D. P. Fran. Collo. 38.

Nota.

Panis subcineritius mortis symbolū.

Hug. Car. in 3. Re. 19.



CAPVT IX.

Quod tot sint mortis memoriæ prærogatiuæ, vt ipsius magnitudines cum Eucharistiæ attributis competere quodammodo videantur.

TRES Angelos hospitio excepit, Abraham, & lautissimo recreauit conuiuio, plures dapes conuiuis apponens, quã promiserat, & hospites pa- rari volebant. Abrahamus enim dicebat: *Ponamque bucellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis: idcirco declinastis ad seruum vestrum.* Hospites vero assentiti sunt, dicentes: *Fac vt locutus es.* Et tantumdem valet, ac si dicerent, notat Abulensis: *Non pares aliquid aliud, ne impediaris in solemnitatibus apparationis ciborum.* Non sustinuit tamen Patriarchæ largitas, vt tam parcè hospites suos reficeret: *Hoc tamen non obstante, Abraham plura apparauit, quia sic itineris, & corporis necessitas exigebat.* Igitur dicto, citius tabernaculum suum repetit, Saram de pane praeueniendo admonet, & ipse vitulum de armento tenerrimum attulit. *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei. Accelera, tria sata simile commisce, & fac subcineritios panes: ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero: qui festinauit, & coxit illum.* Miror equidem huius epuli apparatum: nam si Abraham, non obstante hospitum instantia, pluta destinauerat edulia præparare, vt censuit Tostatus. *Hoc tamen non abstante, Abraham plura apparauit.* Cur paratus iste in solo Vitulo, & panibus subcinetitijs stetit? Non inueniebatur in domo Abrahæ panis floridior, & recentior, qui hospites gustu, aspectuque recrearet? Fors non erat. *Quia Abraham,* ait Abulensis, *& tota domus sua iam comederant, quia meridies erat, & accidit quod non manserit aliquis panis: ideo mandauit citò fieri subcineritios panes.* At poterat commodatos petere, vel vt aliter, quam sub cinere coquerentur præcipere, quia non tantum conuiuio, quam mysterio seruiebat. Videamus conuiuij dapes, & sacramentum intelligemus. Vitulus apponitur teuerrimus, & optimus, qui, ex Strabonis sententia, Christi corpus significat. *Vitulus tener, & saginatus, Christi corpus est, quod pro salute mundi ad arborem crucis immolatum est.* Panis deinde subciueritius affertur, qui licet studiosè sit repurgatus, semper cineris quidquam retinet. *Panis subcineritius,* ait Lyra, *contrahit sordes à cineribus.* Vnde non debuerat talibus apponi conuiuis, maximè cum vituli dapibus, qui sacramentum Eucharistiæ designabat, & parum decorum videbatur panem afferre subcineritium. Verum Abraham mysterium penetrans, hoc prouidenter disposuit. Quia in conuiuio, vbi vitulus, Eucharistici Sacramenti figura, comedebatur, non incongruum erat panem subcineritium adhibere; nam cinis mortis memoriam refert, cuius tales sũt magnitudines, & prærogatiuæ, vt si non exequent Eucharistiæ magnitudines, saltem cum illis contendere videantur: & ideo in conuiuij ostentatione, quasi ad æmulationem, vitulus, & panis subcineritius apponitur: etenim. *Vitulus tener, & saginatus Christi corpus est, quod pro salute mundi, ad arborem crucis immolatum est.* Et panis subcineritius, mortis memoriam suggerit. *Panis subcineritius contrahit sordes à cineribus.*

Eliam sequamur peregrinantem, & in spelunca ad oram fluminis Carith absconditum conueniamus; ibi enim à Coruis pascebatur, vt sacra Regum refert Historia. *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane similiter panem, & carnes vesperi, & bibebat de torrente.* Hinc aliò transeamus, & subter vnam iuniperum dormientem inueniemus. Quem Angelus suscitauit, & apposito pane, & aqua, ad comedendum, & iter arripiendum adhortatus fuit. Qu-

cum

Gen. 18.

Abul. ibi.

Deo hilariter seruiendum.

Abul. ibi.

Strab. fol. in cap. 18.

Vitulus occisus Christus est.

Lyr. ibidem.

Mortis memoria Eucharistiæ magnitudines emulatur.

3. Reg. 17.

3. Reg. 19.

cum ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Oreb. Hic cernere eſt, quod Eliæ apud flumen Carith cum eſſet, Deus mane & veſperi coruorum miniſterio cibum miniſtrauerit: confidentibus namque in Deo omnia ſuperſunt, nec minus nobilis eſca eſt, quia à paupertate miniſtratur, vt egregiè S. Ambroſius expendit. *Elia*, inquit, *panis ad victum deerat, si quæreretur: ſed non videbatur deeſſe, quia non quærebatur; itaque diuturno coruorum obſequio, mane panis, caro ad veſperam deferebatur. Nunquid ideo minus beatus, quia pauper erat cibi? minime.* Cæterum, vterque panis, tã quem corui portant, quã ab Angelo miniſtratus, D. Paſchaſio atteſtante, Euchariſtici ſacramenti figura extitit. *Ex quo*, ait, *patenter innuitur, quod cibus iſte Euchariſtiæ, corporis, & ſanguinis Chriſti, manibus Angelicis defertur, & refertur, per quem noſtra infirmitas releuatur.* Dum autem Angelus Eliam hortaretur, vt ſurgens comederet, perinde fuit, vt ibi tenet Gloſſa moralis, ac ſi diceret: *Surge, & comede ſacram Euchariſtiam.* Cæterum: cum vtrobique idem panis Euchariſtiam ſignificet: quid cauſæ eſt, vt cum a coruo miniſtratur, quotidie comedit, & eſurit, ita vt neceſſe fuerit iterum deferre; quando vero Angelus panis miniſter eſt, ſemel tantum comedit, & poſtea quadraginta dies abſque cibo tranſigit? Et quidẽ plus cibo Eliæ opus erat iterfacienti, quam dum apud Carith in ſpelunca, orationi vacans, maneret; nihilominus tunc abundantius reficitur, quam cum iter ageret. Quid amplius efficeret panis ſubter iuniperum, ab Angelo, an in ſpelunca, per coruum miniſtratus, cum idem ſit, & Euchariſticum panem repræſentet? Dicam. Corui panem tantum deferebant, vt ibi dicitur: *Corui quoque deferebant ei panem.* At panis, quem Angelus deferebat, cinere coctus fuerat. *Et ecce ad caput ſuum ſubcineritius panis*, qui, vt apud Titelmanum Stephanus Anglicus affirmat mortis memoriam ſubijcit. *Hic eſt*, inquit, *panis ſubcineritius, qui datus eſt Eliæ, noſtræ ſcilicet abiectionis memoria.* Iam ergo apparet, panem illum ſubcineritium, mortis memoriæ prærogatiua, plus roboris Eliæ contuliſſe, quam panem à coruo miniſtratum. Vnde non abſonum erit dicere, quod in titulo capitis præpoſitum reliquimus, mortis memoriam cum Euchariſtiæ magnitudinibus quodammodo contendere; ſiquidem Elias pane ſubcineritio refectus, ad montem Oreb, quadraginta dies abſque cibo iterfaciens acceſſit. *Hic eſt panis ſubcineritius, qui datus eſt Eliæ, noſtra ſcilicet abiectionis memoria. Qui cum ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Oreb.*

Confidentibus in Deo, omnia ſuperſunt.

D. Ambr. l. 2. offic. ca. 4.

Nobilis eſt on, quæ à paupertate miniſtratur.

D. Paſcha. l. decor. & ſig. Domini in Euch. c. 10.

Gloſ. mor. ibi.

T. Steph. Anglic. ap. Titel.

Diſcutienda adhuc ſunt cum Abulenſi illa verba textus. *Comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, vbi videtur naturæ ordo inuerſus; quoniam cibus ille, vt ex *D.* Auguſtino refert Lyranus, virtutem habuit ſupernaturalem. *Ex hoc*, inquit, *uidetur ſcriptura attribuere iter Eliæ ieiunanti quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, virtute cibi illius; propter quod dicit Auguſtinus lib. de mirabilibus ſacræ Scripturæ. Quod ille cibus, Angelicis manibus præparatus, habuit talem virtutem, quod potuit dici, ſeruari naturam corporis à conſumptione calidi naturalis, propter quam requiritur ſumptio cibi, ad reficiendum id, quod conſumptum eſt, vt habetur primo de Generatione.* Hactenus Lyra. ſubſequatur Abulenſis, more ſuo, in quæſtionem reuocans: quare non ita Deus cibauit Eliam, ſicut egerat in Torrente Carith? *Quæritur vlterius, quare Deus non mittebat Eliæ quotidie panem, & carnes per coruos, vel alias, ſicut mittebat, quando manſit apud Torrentem Carith?* Et quidem diuinæ potentiæ æque facilè erat, quoquo vellet modo prophetam paſcere. *Sed poteſt dici, quod quamquam æqualiter facilè erat Deo mittere Eliæ panem, & carnes nunc & vinum, vel aquam, ſicut mittebat, quando erat apud Torrentem Carith. Quando Angelus venit ad eum, nunc ferens panem ſubcineritium, & vas aquæ; tamen noluit.* Inſtabis verò: Quare abundan-

3. Reg. 19.

Lyr. ibidem.

Euchariſtia, vt panis neceſſaria.

Abul. ibi. quæſt. 9.

Vbi ſup.

tius

tius per coruos, quam per Angelum cibauit Eliam. Angelus enim semel tantum panem, eumque subcineritium, & aquam tulit; corui autem bis singulis diebus panem, & carnes deferebant. Quid plus habuit panis ille, vt solus ad alimoniam quadraginta diebus sufficeret? An hoc ex ministri præstantia prouenit? Non credo: quoniam opinio est, quam refert Abulensis quæst. 15. in 3. Reg. cap. 17. coruos illos fuisse Angelos, qui Eliæ ministraturi, in eiusmodi aues se transformauerant. *Sciendum tamen, quod possemus dicere istos fuisse Angelos, qui ministrarent Eliæ, ducendo ei cibos, cum sint Angeli ministri Dei ad omne opus.* Cum ergo panis in substantia sit idem, & ministri pares: proculdubio discrimen situm est in eo, quod panis, ab Angelo ministratus, fuerit subcineritius. *Quando Angelus venit ad eum, nunc ferens panem subcineritium, & vas aquæ, tamen noluit.* Deinde panis ille cinere coctus semel datus quadraginta diebus Prophetam aluit: non sic panis per coruos delatus. Ratio est, quia hinc cum carne manducabat, nec mortis recordabatur: verum, quando panem comedebat Angelicum, vitã fastidiens, mori cupiebat: & subinde panis cinere coctus, mortis commonefaciebat, ideo sic abundanter reficit, vt sine cibo quadradraginta dies transegerit. Nec mireris, quia figura erat Eucharistiæ, de qua Christus. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et dies illi quadraginta, vt censuit D. Paschasius, totum vitæ spatium significabant. *Hoc potu, ac cibo Elias de manu Angeli pastus quadraginta diebus, per quos præsens sæculum designatur, vsque ad montem Dei dicitur peruenisse.* Itaque panis ille, vt Eucharistiæ figura, vitam reddit æternam, vt subcineritius, hoc est mortis memoriam referens, sic vitam conseruat, vt semel sumptus, vna tantum bucella ad quadraginta dies sufficiens habeatur. Et ideo hoc pane refectus Elias, coruorum ministerio, qui panem sæpius deferrent, non indigebat. *Quamquam æqualiter facilè erat Deo mittere Eliæ panem, & carnes nunc, & vinum, vel aquam, sicut mittebat, quando erat apud torrentem Carith: quando Angelus venit ad eum; nunc ferens panem subcineritium, & vas aquæ, tamen noluit.* Vnde claret, mortis memoriam adeò præstantem esse, vt quando ipsius prærogatiuæ Eucharistiæ prærogatiuas non excedant, ad minus cum illis contendere quodammodo videantur.

Nota.

Abulen. in 3. Reg. 17. q. 15.

Qui cum carne manducat semper esurit.

Ioann. 6.

D. Pasch. vbi supra.

Claudo Christi elogio, quo Magdalenam ab Apostolorum accusatione defendit, & laudabile illud vnctionis obsequium, nulla vnquam obliuione delendum, prædicauit. Igitur discipulos obmurmurantes sic arguit. *Quid molesti estis huic mulieri, opus enim bonum operata est in me. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium, in toto mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Hæc Dominus Iesus. Quem interrogat D. Chrysostomus, cur in obsequij remunerationem, quod bonum, laudabileque fuisse prædicauerat, gratiam aliquam fœminæ non contulerit. *Quare*, inquit, *nihil spirituale promisit mulieri, sed sempiternam memoriam.* Quia, respondet, *ex his dixit, intelligi potuit, si enim opus bonum fecit, manifestum est, quod & mercedem dignam suscipiet.* Ergo fœmina, non absque præmio abibit. At quænam isthæc remuneratio est? Respondet Lyranus ipsam operis publicationem. *In memoriam eius, idest ad laudem eius, tamquam factum virtuosum.* Non tamen in hac laude sistit remuneratio: maior enim est. Quando Christus Eucharistiam instituit, nihil aliud à discipulis, quam tanti beneficij memoriam semper duraturam requisiuit. *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem.* Hanc memoriam pro sufficientissima gratiæ retributione, existimabat. Hanc etiam Magdalenæ promisit operis suæ vnctionis præmium, cum Eucharistiæ gratia ab hominibus referenda quodammodo exæquans, *vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Vides, vt illic memoriam à discipulis exigat, hic fœminæ polliceatur. Et in tam dispari facto, æqua-

Matth. 26.

D. Ioan. Chris. hom. 81. in Matth.

Nullum opus sine remuneratione.

Lyr. ibidem.

le

le præmium largiatur. Non tamen miror, quia opus Magdalenæ mortis memoriam referebat, vt Christus asseruit, dicens: *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*. Vnde ait D. Chrysostomus in Christi nomine. *Officium est sepulturę, quod vos perditionem esse putatis.* Et quid aliud referr sepulchrum, nisi mortis memoriam, quæ adeo præstans est, vt suis dotibus, ac prærogatiuis cum Eucharistiæ excellentijs contendere videatur: & ideo eodem præmio remuneratur, quamquam ad Eucharistiæ magnitudinem ascendere nullatenus possit. Claudij ad cap. D. Matth. 26. clauem immitro. *Sanctè vobis affirmo, & iuro, quod vbi mors mea per Euangelium toti orbi celebrata fuerit, simul & huius mulieris memoria, pietasque celebrabitur.* Claud. in Mat. 26.



CAPVT X.

Quod Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ampliorem prædicat mortis magnitudinem, dum in ipsius memoria fidem facit minorem esse firmitatem, quæ maiorem se iactat.



DIVINI amoris intentio fuir, vt Christus in Eucharistia, sub panis specie, suis se præberet epulandum, vt nunquam, ad finem vsque mundi ab eis discederet; sic enim verba illa Ioannis, *In finem dilexit eos*: multi interpretantur, *Id est in finem mundi*. Vrgebat quidem Patris imperium, vt pateretur, & suos moriendo relinqueret. *Venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem*. Cum ergo discedere, & manere contraria forent, & hinc patris obedientia discessum, inde amor in discipulos mansionem suadebat, optimum suscepit consilium, quo Patri fuit obsequiatus, & suos non dereliquit, Eucharistiam instituit, & sic ad Patrē iuit, ad ipsius dexteram sedir, & cum suis in sacramenro remansit, sicut dixerat: *Non vos relinquam*, quoniam vt promittit. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad cōsumationem sęculi*: Nimirum, vt addit Lyranus, *existendo in hoc sacramento Eucharistię, vbi est totus Christus*. In quo ergo huius durationis fidem constituit? Certè in mortis memoria. Nam Eucharistiæ Sacramētum in mortis peruigilio instituit, *Venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo*. Et verò, vt notat D. Chrysostomus, *Transitum eius mortem uocat*. Igitur si inter mortis recordationem Eucharistia instituirur, cum hæc æternerur, sic etiam firmitarem habebit Eucharistia, illam de morte prædicans magnitudinem, quoniam in ipsius memoria, quod minus est, firmitatem reponit, quæ quòd plus est iactat.

Ioann. 13. — Ioann. 14. — Matth. 28. — Lyr. ibi. — Christus semper nobis cum in Eucharistia manet. — S. Chrisost. hom. 69.

Huius rei imaginem vetus nobis restamentum repræsentat, cum Abraham tres Angelos excepit hospitio, ac in hospirij præmium filium ei nasciturum promiserunt: quò loco audiendus est Zenon Veronensis, ita fatus. *Cucurrit adorat prostratus in faciem: offert hostiam; refrigerate vos, inquit, sub ista arbore magna, similaginem conspargit, vitulum laniat. Post hęc promittitur ei de legitimo matrimonio filius, de fide non de ętate*. Et quidem in hoc filio, multarum gentium benedictionem collocarurum se esse Deus perhibet. *Benedicendę sunt in illo omnes nationes terrę*. Postmodum vero sacrificare iubet, & cum iam esset patris gladio feriendus, ictum detinuit, & pro puero arietem, inter spinas positum immolare decernit. *Ecce aries vnus detentus ex cornibus in planta, seu arbore Sabech*. Quod Syriaca versio probat, dicens. *Ecce aries vnus pendens in arbore Sabech*. At verò Deus actionem illam magni æstimans, plurimas statim benedictiones impertitur, & æternum duraturas promisit. *Quia fecisti*, inquit, *rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: posside-*

D. Zen. Ver. li. 2. ser. 7. de Abrah. — Gen. 18. — Eleemosynæ præmiū, eterna benedictio. — 70. inter. — Gen. 22.

bit

bit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Liceat tamen hoc loco inquirere. Quamobrem, cum hæ benedictiones tunc incœperint, quando, exceptus hospitio, filium Deus promisit, tandiu distulit, quousque Isaac immolandus in montem perduceretur. Forsan, quia patris obedientia in filij ita dilecti immolatione hoc meruit? credentem maximè, cum dicentem audio. *Quia fecisti rem hanc*. Cæterum video, pro Isaac arietem immolatum, qui Christi in cruce immolari figuram prætulit, vt notauit Procopius: *Aries mactatus, ab interitu redimit Isaacum; sic dominus occisus saluauit nos. Ouem vidit Abrahamus, & in ore uidit Christi passionem*. Deinde Isaac, sicut aduertit Origenes, supra ligna colligatus, Christi crucifixi figura fuit. *Isaac*, inquit, *ligatis pedibus altari superponitur, & Christus cruci affigitur: sed quod figuratum est per Isaac, translatum est ad arietem, quia Christus ouis. Ipse enim filius, quia natus; aries, quia immolatus. In uepribus heret aries, crux cornua habet, si enim duo ligna compingantur, crucis species redditur*. Præterea, siue Isaac immolandus, siue aries pro eo immolatus, siue vitulus in conuiuio occisus, panis Eucharistici in sacramento fidelibus porrigendi figuræ extiterunt, si Straboni credimus asserenti. *Vitulus tener, & sagiuatus, Christi corpus est, quod pro salute mundi ad arborem crucis immolatum est*. Quoniam ergo non moritur Isaac, & quæ ibi, & alibi immolantur, animalia sunt, in quibus Eucharistiæ figura visebatur: Cur cum Isaac promittitur, & benedictiones designantur, non statim illas Deus impertiuit, nec æternum duraturas fuit pollicitus? Quid amplius habuit arietis immolatio, quam vituli: vt benedictiones, & fauores promeruerit palam fieri, addita æternitatis prærogatiua, quæ omnia in vituli conuiuio silentur? Facilis responsio est, si prius quæramus, in quo nam panis Eucharistici consistit firmitas, quam prædicat. Planè in mortis memoria respondendum est, iuxta illud. *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*.

Obedientia nō nunquā sine remuneratione esse videtur.

Proc. in Gen. cap. 22.

Orig. hom. 2. in hunc locũ

Strab. Fulg. bisca. 18.

Obedientia vitalis.

1. Cor. 11.

Item in conuiuio, vbi vitulus fuit occisus, de quonam ibi actum est? de Isaac natiuitate, & benedictionibus ipsi elargiendis; dum vero aries immolatur quid fit; Mors Isaac tractatur, vulnus detinetur, & pro illo aries fit victima. Optimè igitur dispositum, vt si Eucharistiæ Sacramentum in mortis memoria, quod minus est, firmitatem continet, quod plus est, quando vitulus in conuiuio porrigitur, quia ibi non adest mortis memoria, fauores non impertitur, quia tali memoria destituti, firmitatem non assequentur; cum autem supra montis verticem de immolatione Isaac agitur, & ibi certa adeo inuenitur mortis memoria, vt quamuis Isaac viuus seruetur, pro eo aries occiditur, tunc benedictiones largiter conferuntur, & fauores fiunt æternum duraturi. Quia cum sit panis Eucharistici figura, & in eo minus sit mortis memoria, inibi firmitatem, quod plus est, constituit. Atque adeo memoriam eiusmodi reperens Deus dicebat. *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo propter me*, illarum meritò benedictiones suas, earumque durationem attribuit. *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*.

Mortis memoria carentes, infirmi.

Sed iam fas sit è figuris transire ad figuratum. Et primò expendendæ sunt circunstantiæ, quibus Eucharistiæ institutio sociatur. Primò, vt notat Lyranus, incæpit, quando Christus panem præ manibus sumpsit. *Et accepto pane*, ait Lucas: & Lyra, *hic consequenter instituitur Eucharistia sacramentum*. Peracta institutione, sumunt Apostoli, & iuxta Diuum Paulum, quoties sumitur in sacramento Christus, toties mortis eius memoria celebratur. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Vnde obseruandum est, quando erit hic aduentus, vt quandiu duraturum sic hoc sacramentum agnoscamus. Glossa interlinealis dubitationem abstulit, dicens aduentum fore ad iudicium, &

Luc. 22.

Lyr. ibi.

1. Cor. 11.

eo vsque permansuram cum mortis memoria Eucharistiæ celebrationem. *Donec veniat Dominus ad iudicium; quia in commemorationem mortis debet sumi.* Si igitur duratio vsque ad iudicium extendetur. Quare D. Paulus primò loco mortis memoriam posuit, *Mortem Domini annuntiabitis*. Et statim de aduentu meminit? Nam si Christus in Eucharistia cum hominibus vsque ad mundi finem manere intendit, & illius duratio primo loco, deinde mortis memoria curabatur. Quid causæ est, vt mutatis vicibus primò mortis memoriam, & postea aduentum ad iudicium ponat? Respondent egregiè D. Thomas & Lyranus, *Mortem Domini annuntiabitis ipsam repræsentando per hoc Sacramentum, donec veniat: per quod datur intelligi, quod celebratio huius sacramenti non deficiet in Ecclesia vsque ad finem mundi: vnde dicit Saluator. Ecce vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi, quia in hoc Sacramento est totus Christus, secundum humanitatem, & Deitatem.* Intendit ergo Christus, mediante Eucharistiæ Sacramento, cum hominibus manere: ac vt finem hunc assequatur, iam securitatem, & firmitatem in mortis memoria reponit, & ideo illi primum locum confert. Quoniam, si in Eucharistiæ Sacramento firmitas fuerit, quod maius est: si adsit mortis memoria, quod est minus: antecedat mortis memoria, sic enim in Sacramento firmitas minimè deerit. Et quidem ex illius memoria firmitatem hanc, & durationem colligit Lyranus. *Mortem Domini annuntiabitis, ipsam repræsentando per hoc Sacramentum. Donec veniat Dominus ad iudicium. Per quod datur intelligi, quod celebratio huius Sacramenti non deficiet in Ecclesia vsque ad finem mundi.* Atque adeo constet Eucharistiæ sacramentum ampliorem mortis magnitudinem prædicare; quamuis in ipsius memoria, quod minus est, suam firmitatem, quod maius est, constituat.

Glos int. ibi. — D. Thom. ibi. Lyr. ibi. — Sacramenti firmitas ex mortis memoria.

Notandum est in hanc rem, quod Christus panem consecrauit, discipulo manducandum porrexit, & postea calicem instituit, vt etiam nunc in Ecclesia obseruatur. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens. Hoc est corpus meum.* Et statim alijs verbis vtendo, *Similiter, & calicem postquam cœnauit, dicens. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.* Iam nunc quæro: quando corpus suum eis porrigit, nonne ibi sanguis etiam continebatur? Ita quidem; vnde qui quamlibet sumit partem, totum Christum sumit, vt vera D. Gregorij tenet assertio. *Totum autem, inquit, corpus, & sanguinem Domini suscepit, etiamsi mysteriorum partem accipiat.* Quid ergo intendit Christus, cum Verbis diuersis sanguinem consecrat? Dicit Theologus, quod sicut. *Ex ui Verborum*, Carnem in pane dedit, sic etiam, *ex ui Verborum*, Sanguinem dedit in vino. At si totum accipit, qui partem accipit; cur separatim sumpto pane calicem consecrat? Respondet Beda. Quod sicut in illa vini, & aquæ mixtione, aqua designat populos, & caro in sanguine, & sanguis viciſſim in carne fit, & omnia ad Christi corpus relationem dicunt. Hinc est, vt aquæ beneficio homines in hoc Sacramento semper habeat præsentes: quod ibi maneas, intendit antequam iret ad Patrem. Et ideo panem separatim ab aqua consecrauit, vt sanguis aqua sit associatus. *Quia uero, inquit, panis confirmat, Vinum uerò sanguinem operatur in carne, hoc ad corpus Christi; illud refertur ad sanguinem, uerum quia &, nos in Christo, & in nobis Christum manere oportet, uinum Dominici calicis aqua miscetur, teste enim Ioanne, aquæ multæ, populi multi sunt.* Ita ille. Cæterum adhuc videtur dubitandum, quod Christi intentio, vt asserimus, aliquid amplius, quam apud nos manere procurauit, nimirum Sacramenti durationem; Ita quod quandiu homines essent, hoc Sacramento frui possent. Et verò talis duratio firmitatem suam ex eo vendicabat, quod sanguis à carne separatus consecraretur. Quoniam, vt ait Lyra, In cruce apparuit sanguis à carne disiunctus. Cum ergo huius Sacramenti duratio ex mortis memoria suam habeat firmitatem, opportunum fuit, vt non solum in ipsius operatione mortis Christi; quam repræsenta-

Luc. 22. — D. Grego. ibidem. — Qui partē corporis Christi sumit totum Christum sumit. — Bed. similiter & sicem. — Nota.

bat

bat memoria eluceret, sed insuper omnes cæremoniæ obseruarentur, quæ in Christi morte præcesserunt, etsi ibi sanguis apparuit à carne diuisus: in Sacramento vinum à pane distinctum consecretur, atque adeo, ex vi Verborum in pane caro, & sanguis in vino porrigatur, & obseruatis huiusmodi cœremonijs mortis memoria ibi viuat, & homines, aquæ mixtione, præsentes sint: quin etiam Eucharistia in mortis memoria, quod minus est, firmitatem sitam habeat, quam, quod magis est, prædicat, & extollit. Lyrani Verba sunt. *Hoc facite in meam commemorationem. Quia Eucharistię consecratio, est quædam Dominicæ passionis rememoratio. Et propter hoc consecratur corpus separatum à sanguine, quia in passione sanguis fuit separatus à corpore.*

Lyr. in Luc. 22.

Adhuc tamen sanguinem hunc prosequamur, quem Iudas tradidit, & iustum esse pœnitentia ductus prædicauit, pecuniam principibus Sacerdotum reddens, qua pro sepultura peregrinorum emptus est ager, qui sanguinis ager dicitur, nomenque æternum seruabit. *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, propter quod uocatus est ager ille, Haceldema, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem.* Qui nam verò sint huiusmodi peregrini, pro quorum sepultura emptus est ager, declarat S. Augustinus dicens: *Istos autem peregrinos esse dicimus deuotissimos christianos, qui renuntiantes seculo, nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt.* Ita ille. Miror tamen: Cur Sacerdotum principes pecuniam repudiant, quasi quid illicitum, dicentes. *Non licet nobis, &c. quia pretium sanguinis est.* Agrum illi emunt, & sanguinis nomen, nunquam delendum, imponunt. *Vocatus est ager ille, Haceldema, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem.* Oderant illi Christum, & eum, ac eius nomen de terra viuentium eradere cupiebant. Quare igitur agrum emunt, et nomen indunt, ex quo Christi memoria esset duratura? Respondit Lyra, Deo ita disponente sic factum. *Hoc ex Dei ordinatione factum est, ad memoriam perditionis Iudæ,*

Matt. 27.

S. Aug. ser. de Can. Domini.

Religiosi viri in Christi sanguine requiescunt.

Lyr. in Matt. 27

& passionis Christi. Perseuerat autem passionis Christi memoria; quoniam sanguis, cuius pretio ager fuerat emptus, idem erat, quem nobis sub vini speciebus reliquit. Deinde, vt homines semper habeat præsentes, sacramenti durationem procurauit, & hanc in mortis recordatione constituit. Quoniam, licet minus hoc sit, inibi sua firmitas, quod magis est, securitatem habet. Vult ergo Christus in Sacramento, per sanguinem significato, firmitatem: benè igitur mortis memoriam in eo cõiunxit, quia si ex hac illius firmitas pendet, quandiu hæc durabit, Sacramentum in illo sanguine permanebit, quem effundentes, irrito conatu, Iudæi extinguere decreuerunt; inde tamen eius memoriam, & durationem magis diuturnam mortis memoria fecerunt: neque enim deesse firmitas potest, vbi mortis memoria interuenit. *Propter hoc vocatus est ager ille Haceldema, hoc est ager sanguinis, vsque in hodiernum diem: ex Dei ordinatione, ad memoriam passionis Christi.*

Deus homines semper amat præsentes.

Nulla, sine mortis memoria firmitas.

Ad hoc magis illustrandum, D. Pauli ad Hebræos verba produco. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manufactum, idest non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Hæc ille, quæ Lyranus sic interpretatur. *Neque per sanguinem hircorum, sicut intrabat Pontifex veteris legis, sed per proprium sanguinem, qui pro nobis fuit effusus in cruce.* Et quamquam de Christo in cruce moriente, iuxta communem sensum, locus intelligatur, ad Christum in instituenda Eucharistia, ni fallor, adaptari potest. Quando enim Christus magis apparuit Pontifex, quam Eucharistiam instituens? Quo respicens Dauid, cecinit. *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Ibi, vt asserit D. Thomas ostendit, quod non animalium sanguine, vt in lege veteri, sed proprio, salutis nostræ remedium procurauit. *Neque per sanguinem, inquir, hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, quem meus no-*

Ad Hebr. c. 9

Lyr. ibi.

Ps. 109.

S. Thom. in Caten. aur.

ui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quod expressus adhuc significant illa verba. *Introiuit semel in sancta*, idest in supremæ nocte cœnæ, in quo instituit Eucharistiam, & æternam in ea nobis redemptionem reliquit, *æterna redemptione inuenta*. Licet enim in cruce hominem redemerit, hoc ad culpas iam præteritas seruiebat, si autem iterum peccaret, Christus mori non debuerat. Quia ex mortuis resurgens, iam non moritur, & homo, passionis virtute, & Sacramentorum, potest à peccato resurgere. Cum ergo quoties peccat, toties, Sacramentorum virtute, resurgit: haud dubium, quod in Sacramento Eucharistiæ, non solum memoria passionis, sed redemptio quædam æterna continetur, vt benè censuit Diuus Thomas. *Inuenta est æterna redemptio. Quasi dicat: per istum sanguinem redempti sumus, & hoc in perpetuum, quia virtus eius est infinita.* Sed vbinam constituta est huius redemptionis firmitas, planè in Eucharistiæ Sacramento. Ita quod, illa deficiente, talis firmitudo, stabilitasque esset defutura. Quia tamen Sacramentum vsque ad finem mundi durabit, eo vsque redemptionis duratio extendetur. Et Sacramenti firma duratio, ex quo prouenit? Dicam. Per quam portam introiuit agnus mansuetus, vt nobis in Sacramento daretur? Per mortem ibi repræsentatam. *Per proprium sanguinem introiuit.* Si ergo à mortis recordatione auspicatur, & inibi firmitatem collocat, pari passu mortis memoria, & Sacramentum, ad mundi finem durando, excurrent, & homines felicitatem suam possidebunt. Dicat ergo, cum per mortis memoriam ingreditur, *per proprium sanguinem introiuit*, & ibi æternam redemptionem inuenit, *æterna redemptione inuenta*.

[Q]uoties pec[cat] homo, [to]ties Sacra[m]entorum [vi]rtute re[s]uiscit.

[D.] Tho. ibi.

Pròh qualis magnitudo in mortis memoria continetur: siquidem ei debemus, & Eucharistici Sacramenti, & Redemptionis in ea contentæ durationem, ex quo ad gratitudinem constringimur, etsi vires humanæ imbeciles ad modum sint, vt tantum possint beneficium, digna compensatione, persoluere. Et verò quoties ad hoc Sacramentum accedimus, nouam contrahimus obligationem, pro qua Deus à nobis exigit, vt ad eius firmitatem recurramus, quæ in mortis memoria sita est, vt per illam, ad manducandum panem hunc cælestem ingredientes agnoscamus, quod sicut Christus pro nobis victimam se obtulit immaculatam, nos cum vitæ puritate ad mensam illam accedere necessum esse. D. Augustinum monentem audiamus. *Quid pro te oblaturus es, vt munderis, si mundatus poteris offerre quod mundum est? Offerat ergo seipsum mundus Sacerdos, vt mundet, hoc est, quod fecit Christus, nihil mundum inuenit in hominibus, quod offerret, pro hominibus seipsum obtulit. Munda victima, felix victima, uera uictima, munda uictima, hostia immaculata.* Intrantes igitur ad hanc mensam per mortis memoriam, hæc nos reddet mundos, qua redemptio æterna fieri possimus, à culpæ statu resurgentes, ac in vitæ felicitatem, Eucharistici Sacramenti beneficio traducti.

Quoties ad Sacramentū accedimus, nouam contrahimus obligationē.

S. Aug. sup. Paul. ad Hebr. 9.

Tandem pro vltima huius capitis, & libi coronide. Quæro: quid causæ fuerit, vt conuiuium hoc à Christo institutum, in sola tantum buccella consistat, eaque tam preciosa, vt vitam conferat æternam? *Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum.* Cur non plures voluit ministrari? Porrò, vt firmitatem haberet, quam in hoc Sacramento spondet. Etenim in buccella, quæ ad comedendum porrigitur, sita est mortis, memoria, quæ sacramento firmitatem impertitur. Et verò, vt monuit Diuus Antonius. *Mors est dicta, à morsu primi hominis, quia uetita arboris pomum mordens, mortem incurrit.* Itaque mors originem trahit à morsu; quia, vt mors intraret in mundum, portam morsus aperuit, & à morsu mors dicitur. Perbellè igitur, dum malum vetitum primus Adam momordit, nomen dedit morti: secundus Adam Christus, vnius tantum buccellæ, quæ mordendo voratur, conuiuium parat; quia in mortis memoria firmitatem ipsius collocare destinat, vnico morsu epulari nos iubet, vt epulando

Ioann. 6.

D. Ant. Pad. Dom. in Pass.

mor-

mortem meminerimus, quæ à morsu deriuatur: subindeque agnoscamus, hanc mortis memoriam, quæ in hoc Eucharistiæ sacramento, minus quid est, firmitatem ipsius consistere, quam quod maius est, deprædicat, & ideo vna tantum buccella conuiuium apparauit, & celebrari voluit, vt mortis in eo memoria reluceret. *Mors est dicta, à morsu primi hominis, quia uetita arboris pomum mordens, mortem incurrit.*

Ergo qui videmus, morsum vnicum, portas mortis aperuisse, & Christum, mirabili antithesi, vnam instituisse buccellam in Eucharistia, quam sumentes, vitam consequamur: congruum est, vt nosmetipsos mortis memoria ad hanc mensam præueniamus, sic enim dispositi, vitam recipiemus, & aduersus peccata redemptionem æternam consequemur, quam ibi Christus inuenit, *æterna redemptione inuent a* salutaris pro nobis factus victima, ex qua vitam æternam mutuabimur: iuxta quod ad conuiuium hoc accedentibus promisit: *Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum:* in vita præsenti Dei gratiam retinens, in futura factus æternæ beatitudinis possessor.

FINIS LIBRI QVARTI.





LIBER QVINTVS. DE VERITATE, ET STATV, PVRGATORII.



CAPVT PRIMVM.

Quod Catholici obligationibus deest, qui Purgatorium esse non credit.



NTEQVAM ad tituli probationem accedam, primò tanquam in fide certum, Purgatorium esse haud difficulter demonstrabo. Igitur, vt communis Theologorum tenet assensus: illa propositio de fide censenda est, quæ in sacra scriptura continetur expresè, vel ex ea immediate consequitur, aut à Concilijs declaratur. (Nota.) Et verò purgatorium esse in sacris litteris expressum, & à Concilijs declaratum reperitur: atque adeò propositio, vbi Purgatorij veritas astruitur, de fide censeri debet. Minorem huius discursus assumptionem plurimis vtriusque testamenti locis probare aggredior, & primo loco cum D. Bernardino Senensi profero illud Numerorum ex cap. 31. vbi sic: *Omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur.* (Num. 31.) Et quidem non hic loquitur de his, qui igne gehennali torquentur; quoniam illis flamma illa, non ad purgationem inseruit, sed ad cruciatum: vnde Christus apud Matthæum damnatis locutus dicebat: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* (Matt. 25.) Solus enim ignis, qui transeundo vrit, purgatorius est, ibi enim tantummodo pœna est temporaria, & purgationi deseruiens, quia ad tempus. (Nota.) Ergo S. Bernardinus: *Omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur: Non transit vtique, quod remanere probatur. In flammis inferni omnes damnati permanent in æternum. Quemadmodum Matthæi 25. Dominus ait: discedite à me maledicti in ignem æternum. Iuxta igitur mysticum intellectum. De his, qui post hanc vitam purgantur, sumi potest locus prædictus scripturæ.* (D. Bernar. Sen. ser. 64. de purg.) Ex quo planè se-

qui-

quitur illum catholici obligationibus deesse, qui purgatorium esse non credit.

Conducit ad præsens institutum, quod D. Thomas ad illa verba Isaiæ ex c. 43. ponderat, vbi Deus suos ad virtutẽ adhortatus, ita loquitur: *Cum ambulaueris in igne, non combureris: & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus*. Porrò D. Thomas legit, *Cum transieris per ignem*. Et verè non idem est transire per ignem, atque in igne ambulare; quia fieri potest, vt quis in circuitu ambulet, & tamen per ignem non transeat. Ex ambulatione tamen transitus non ineptè colligitur, si qualis sit ignis iste expendatur, qui iuxta D. Thomam est ignis Purgatorij. *Punitur*; inquit, *igne Purgatorij, vel igne, qui præcedet faciem iudicis, propter peccata venialia, quæ circa curam temporalium commisit*. Ergo si purgatorius ignis ab igne inferni distinguitur, eo quod hic est æternus, ille verò transitorius; ideo enim Isaias, vt significet animam ibi non diu moraturam, iuxta D. Thomæ versionem, ait: *cum transieris per ignem*, vt inde colligatur euidenter, esse purgatorium, quamuis ille ignis sit temporaneus, vel ad tempus: proindeque catholici obligationibus deesse, qui purgatorium esse non crediderit. Et ideo dicitur: *Cum transieris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te*.

Isai. 43.

D. Tho. in Cat. aur.

Vbi supra.

Venialia puniuntur.

Transeamus ad nouum testamentum, & ibi Purgatorium apertissimè constitutum inspiciemus. Pro quo ponderanda est illa Christi adhortatio, apud Matth. cap. 5. *Esto*, inquit, *consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici. Et iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*. Qui nam sint, quos alloquitur, qui iudex, quales ministri, notum sat est, de carcere, in quem conijciendi erunt, maior est dubitatio, quam sustulit S. Bernardinus Senensis, dicens: *Esto consentiens aduersario tuo citò, idest, synderesi murmuranti in malo, aut Angelo ad oppositum decertanti: dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius tuus iudici; idest Deo. Et iudex tradat te ministro, idest Angelo, & in carcerem mittaris, idest in Purgatorium per Angelum deducaris*. Hæc ille: cæterum rogo, vnde nam collegit carcerem hunc esse Purgatorium? Planè ex eo, quod inde post solutionem exibit: Nam qui in infernum detruditur, nunquam ex eo egredietur: est enim carcer ille perpetuus. Et carcer ad tempus, præter Purgatorium, non inuenitur. Cum ergo ex ergastulo exiturum testatur, absque dubio Purgatorium intelligit. Et cum esse indubitanter statuit: propterea que catholici obligationibus deest, qui illum esse non tenet. Iterum meus Bernardinus. *Amen dico tibi: non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Hoc quidem de carcere huius mundi non potest intelligi: eo quod nec ibi ponuntur omnes tales, nec de carcere infernali; quia ibi nunquam soluitur nouissimus quadrans debitæ pœnæ, sed de carcere Purgatorij intelligi habet: quia ab illo exibit quis, quando soluerit nouissimum quadrantem*.

Matt. 5.

D. Ber. Sen. serm. 64. de pur. cap. 3.

Vbi sup.

Hoc etiam apertè deducitur ex illa Christi Domini contestatione, in qua peccantem contra Spiritum Sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro veniam obtenturum affirmat: *Quicumque*, ait, *dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*. D. Gregorius hanc Christi sententiam versans, de leuibus peccatis intelligendam affirmat, dicens: *Hoc de paruis, minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo*. Progreditur vltra S. Bernardinus, & siue culpæ, de quibus hic agit, leues sint, vel graues: dum expendit Christum, neque in hoc sæculo, neque in futuro peccatum contra Spiritum Sãctum remittendum fore astruit, consequenter infert, aliquem in futuro sæculo locum esse destinatum, in quo huiusmodi culpæ relaxantur. *In qua quidem sententia*, inquit, *datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse relaxari*. Quod autem locus iste non sit infernus, docet fides, attestante Ecclesia. *In inferno* nul-

Matt. 12.

Contra Spiritum sanctũ non peccandum.

D. Greg. dialo. 4. c. 39. in ca. qualis.

D. Ber. Sen. vbi supra.

nulla est redemptio. Ergo fatendum necessario nobis est esse Purgatorium; & subinde, qui illud esse non credit, Catholici obligationibus deesse.

Illustratur hæc veritas D. Pauli testimonio ad Corinthios 1. cap. 3. vbi ita; *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, dies Domini declarabit; quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus, qualis sit, ignis probabit*. Hæc ille, cuius sententiam ita versat S. Bernardinus Senensis. *Ait enim, si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, scilicet fidei Orthodoxæ, aurum dilectionis Dei, argentum dilectionis proximi, lapides pretiosos in operationi boni*. Quod autem per lignum, fœnum, stipulam intelligere debeamus, docuit sententiarum magister, peccata nimirum venialia, hoc tamen discrimine, quod per lignum grauia, per fœnum minus grauia, & per stipulam leuia sint accipienda, & pro grauitatis mensura, plus, minusue temporis, purgando, insumitur: sicut vna materia ex propositis citius, tardiusue ab igne absumitur. Nec Dei gratiæ, aut amicitiæ repugnat quod leues quædã noxæ, in purgatorio extinguendæ, super sint. Do cum D. Bernardino magistrum. *Per lignum, fænum, & stipulam peccata venialia denotantur, per quandam similitudinem: quia venialia in eodem subiecto cum charitate existentia, patent per ignem purgatorij, & per spiritualem ignem charitatis, & dilectionis consumi, sicut lignum, fœnum, & stipula consumuntur per ignem. Et tardius consumitur lignum, quam fœnum, & fœnum, quam stipula: ideo per lignum significantur maiora venialia; per fœnum mediocria: per stipulam vero minora, quæ non destruunt fundamentum*. Concludit igitur D. Paulus, omnia huiusmodi opera, aduentante iudicij die, flammis examinanda. *Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vnius cuiusque opus, qualis sit, ignis probabit*. Quod autem ignis iste non sit alius, quam Purgatorij, asserit S. Thomas locum citatum ita exponens: *Dies autem Domini; qui est dies mortis, reuelabitur in igne purgatorij, per quem purgabitur, si quid in elementis inuenietur purgandum*. Ita ille. Addo etiam D. Benardinum. *Dies mortis, inquit, dies Domini dici potest, iuxta Propheticum illud, quod in persona Domini ait: cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo: quia in igne scilicet Purgatorij reuelabitur*. Ergo purgatorium esse apertissimè testatur: & qui hoc non credit, catholici obligationibus deest.

1. Cor. 3.

D. Bern. Sen. vbi sup.

Omnia extremo dies reuelabit purganda.

Aug. sent in 4. dist. 21. c. 1. p. D. Bernard. Senen.

D. Thom. ibi.

D. Bern. Sen. vbi sup.

Dies mortis, dies Domini.

His scripturæ probationibus illud D. Bernardini Senensis vice coronides impono. *Tertio insuper, ait, stabilitur purgatorium esse firmamento Ecclesiastici instituti: vnde extra de celeb. Miss. in cap. cum Marthæ, in fin. scriptum est: Defunctorum alij sunt valde boni, alij mediocrtier boni: alij valde mali, alij mediocriter mali: vnde suffragia, quæ fiunt à fidelibus in Ecclesia pro valde bonis, actiones sunt gratiarum: pro valde malis, consolationes viuorum; expiationes vero pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis*. Hæc ibi, vbi vides quatuor animarum gradus constitui, quædam enim ita bonæ sunt, vt beatæ existant, aliæ mediocriter bonæ: aliæ nimis malæ, aliæ tandem mediocriter malę. Iuxta hanc animarum differentiam mensuranda sunt, quæ in Ecclesia pro eisdem suffragia peraguntur. Nam quæ pro summè iustis fiunt, vicem habent gratiarum actionis, quæ pro summè malis, quia ipsis non prosunt, viuentibus ad consolationem deseruiunt. Pro his, qui mediocriter boni sunt, satisfactioni conducunt. Pro mediocriter malis, vice intercessionis offeruntur ad culpæ relaxationem, vt purificati ad Dei visionem admittantur. Hæc à D. Augustino mutuata videntur: ait enim: *Cum sacrificia Altaris, siue quarumcumque Eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis, actiones gratiarum sunt: pro non valde malis, propitiationes sunt: pro valde malis etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum: tamen viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio*. Hæc ille. Cum igitur valde mali in-

Apud D. Bern. Sen. Eccle instit. cõti mer. in fine.

Nota.

Quatuor animarum gradus.

D. Aug. 13. q. 2. in c. tēp. ap. D. Bern. Sen. ser. 64. de pur. art. 2. cap. 2. D. Thom. in 4 dist. 45. quæst. 1. ar. 1.

in-

infernum detrudantur. Valdè boni beatitudine in cælis gaudeant. Mediocriter verò boni, & mediocriter mali satisfactione, & purgatione indigeant, & suffragia ad hanc prosint, necesse est, vt locus detur, in quo satisfaciant, & purgentur: hic est purgatorij locus, & ita sentiendum est, alias frustranea esset Ecclesiæ latinæ, & Græcæ orandi pro defunctis consuetudo, quod nemo catholicus admittet. *Præterea*, concludit S. Bernardinus. *Hæc est consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, tam Latinæ, quam Græcæ, quæ pro defunctis orat, & semper consueuit orare, cuius oratio profectò inutilis esset, si purgatorium post mortem non ponatur.*

Quoniam ex vtriusque testamenti locis probatum reliquimus, purgatorium de fide admittendum. Placet ex sacris concilijs nonnulla producere, quibus eadem veritas stabilitur: pro qua facit illud ex Concilio Tridentino sess. 25. vbi ita: *Cum catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione, sacris Concilijs, & nouissimè in hac Oecumenica synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio iuuari: præcepit sancta synodus Episcopis, vt sanam de Purgatorio doctrinam à sanctis Patribus, & sacris Concilijs traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores, ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, euulgari, ac tractari non permittant. Ea vero, quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionum spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, vt fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet, sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus defunctis fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta, piè, & deuotè fiant. Et quæ pro illis, ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, sed à sacerdotibus, & Ecclesiæ ministris, & alijs, qui hoc præstare tenentur, diligenter, & accuratè persoluantur.* Hactenus Concilium. Ex quibus patet, purgatorium esse tanquam de fide tenendum, & qui aliter agat, catholici obligationibus deesse. Nec his contentum, eos anathemate ferit, qui aliter tenuerint. *Si quis, post acceptam gratiam, & cætera pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, & cætera, anathema sit.* Concludo igitur; si propositio illa de fidé est, quæ in scripturis continetur, vel inde palam deducitur, aut ex sacris Concilijs statuta reperitur. Et sicut hactenus ostendimus, vtrumque testamentum, & concilium, purgatorium esse apertissimè statuunt. Ergo de fide hoc est, & qui ita non crediderit, Catholici officio planè deerit.

Quamquam verò suprapositæ satis superque Purgatorij veritatem demonstrent: placet tamen hoc idem rationibus confirmare. Præibit mihi S. Bernardinus. *Primò*, inquit, *probemus purgatorium esse ratione culpæ: Peccata quippe hominum tria in se habere probantur. Primo quidem sunt voluntaria: secundò sunt inæqualia, tertiò sunt emendabilia.* De voluntario, indubitatum est ad pèccatum requiri, est enim commune Theologorum pronuntiatum. *Peccatum, in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium.* Vt autem quis a peccato recedat, actu indiget contrario. Euenit aliquando, vt homo repentè moriatur: nec vltra potuit agere, quam summo dolore affici propter Dei offensam, nec ad satisfactionem, culpis correspondentem, accessit. Iste damnandus non est; quia peccatorum veniam fuit consecutus, in cælum non intrabit, quia culparum debito non satisfecit: igitur locum assignari oportet, in quo anima peccati voluntarij maculas abstergat. Do S. Bernardinum ita differentem. *Non est dubium, quod peccata omnia, quæ actualia nominamus, voluntate, seu voluntariè contrahantur: quare voluntate contracta, ea relinquere necesse est. Manifestum est enim, quod quidam subitò improuisa morte rapiuntur, siue per gladium, siue per suffocationem, siue aliquo alio modo.*

Doct. de pur. Concil. Trid. sess. 25.

Nota.

Concil. Trid. ss. 6. c. 30.

D. Ber. Sen. ser. 64. de pur. ar. 1. ca. 1.

vbi sup.

In his autem locum non habet voluntas, quia nec etiam cogitatus est de correptione, vel emendatione; secum igitur deferunt animæ huiusmodi crimina, & peccata. Cum igitur, nec cum eis transferantur in cælum, nec pro eis detrudantur in infernum, necesse est eas expiari, antequam in cælestem gloriam transferantur. Hæc ille: quæ si quis ponderosus examinet: planè intelliget, neminem maculis infectum ad paradisum transmitti posse; vnde necesse est, purgatorium admittere, in quo illi, qui non præstita pro peccatis satisfactione mortui sunt, debitum reddant, & a maculis emundentur. *Quis igitur*, infert tandem Bernardinus, *sapiens penset, vasa contumeliæ fieri vasa gloriæ, nisi in fornace materiali prius bene fuerint depurata. Est igitur locus, vbi purgatio ista, seu expiatio fieri debet, & hic est locus, quod purgatorium nominemus.*

In cælo nemo macula ingreditur.

Vbi sup.

Certa est etiam peccatorum inæqualitas, alia enim alijs grauiora committuntur, vnde sequitur purgatorium admittendum esse. Et verò peccata sunt ita enormia, vt totum vitæ etiam longissimę tempus ad eorum satisfactionem foret necessarium: alia minorem haben' grauitatem, vnde breui temporis spatio expiantur. Respondet enim pecc..t.s pœnitentia, & singulis satisfactio mensuratur. Demus ergo, quemdam culpis grauissimis oneratum pœnitentiam agere, eodem momento incepisse, cum alius, qui leuius deliquerat, eandem incœperat, vterque morte præripitur: alter præstita satisfactione, quia breue tempus requirebat: alter verò, quia longiori tempore opus erat, satisfactione non absoluta. Vel fortè vnus, & alter absque integra satisfactione obierunt. Quid de his fiet? Cælum ne ingredientur? Absit: nihil enim maculosum superna ciuitas admittit. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*. Ergo in infernum detrudentur? Non equidem, siquidem culparum remissionem fuerunt consecuti. Necesse igitur est, vt locus admittatur, in quo illud, quod vni plus, quam alteri satisfaciendum superest, propter peccatorum inæqualitatem persoluatur. Hic autem locus dicitur

Apoc. 21.

Purgatorium. Do S. Bernardinum. *Manifestum est enim*, ait, *non omnia peccata æqualia esse, nec dubium illa expiari posse per pœnitentiam, vel pœnam: inæqualium autem peccatorum expiationes æquales esse non possunt; quemadmodum nec è conuerso scilicet, æqualium inæquales, æquales inquam vel tempore, vel grauitate, vel etiam asperitate. Quare si quæ animæ æqualia habent peccata, & simul inceperint expiationes peccatorum suorum, vel impossibile erit alteram prius exire de corpore suo, quam alteram, vel alterius expiatio complebitur post exitum à corpore suo.* Hæc ibi: attamen tota propositi instituti probatio in sequenti conclusione sita est. *Manifestum quippe est, quia non est impossibile alteram prius exire de corpore suo, quam reliquam, similiter non est impossibile vtramque exire de corpore ante completam expiationem: alterutra exiuerit, vel vtraque; complenda igitur erit expiatio huius in futuro, & propter hoc in aliquo loco, & hic est locus Purgatorij, de quo est sermo.*

Vbi sup.

Postremo peccata corrigi, & emendari posse, nemo sanæ mentis ambiget. Dum enim in via sumus, arbitrij nostri potestate vtentes, malum reprobare, & bonum valemus amplecti, pœnitentiam agentes. *Inter culpas grauissimas, quę mortales vocantur, est ex necessitate & remedium ad virtutes, propter quas redditur præmium sempiternæ fœlicitatis, alioquin non esset reuersio sine conuersione ab illis ad virtutes huiusmodi: hoc autem est impossibile manifestè: videlicet non esse reuersionem à malitijs ad virtutes, & bonitates.* Hæc ex D. Bernardino. Nunc verò supponamus quemquam Deo intus inspirante, vitæ prauitatem emendare statuisse, & dum in hoc manebat intento a Deo sublatum; hic non inferno adiudicabitur, vt potè qui veniam peccatorum obtinuit, non item in cælum intrabit, quia adhuc non plenè satisfecit. Ergo, vt rectè infert S. Bernardinus, aliquod expiationis remedium à Deo destinatum fatere debemus. *Præterea*, inquit, *si creauit Creator altissimus ignem, quo purgantur metella, cum incomparabiliter maior sit cura ei de purgatione animarum humanarum; quomodo non creauit ignem, quo humanę ani-*

D. Ber. sup ea. 3.

Vbi sup.

mę

mæ purgarentur? Planè hoc ratio dictat, cum alioqui absque purgatione animæ ad beatitudinem non admittantur. Hic vero ignis expiationi destinatus est ille, quem purgatorij ignem dicimus. Et subinde constat, tam propter peccati voluntarium, quam propter inæqualitatem, quam etiam propter corrigibilitatem admittendum esse Purgatorium, quod sacræ litteræ, & concilia docent, vnde qui id neget. catholici obligationibus deesse censendus erit.

Quod si quisquam opponat, posse Deum in momento animam expiare: atque adeo superfluum erit admittere locum, vbi diuturna fiat peccatorum expiatio, sicut latroni contigit, vt S. Bernardinus adnotauit. *Possibile tamen est ipsi creatori animarum, subito animas, quas voluerit, expurgare, sicut contigit in dextro latrone*. Item: si quis ita impensè doleat pro Dei offensa, vel amoris actum sic ardentem eliciat, vt culpæ simul, & pœnæ labes abstergatur, Purgatorio non indigebit: positaque huiusmodi doloris, vel amoris possibilitate, ad quid ignis ille Purgatorius admitti debet? Ita obijcit S. Bernardinus. *Quod si dixerit quis, quod sufficit afflictio pœnitudinis, & dolor internus spiritualis, quem verè pœnitens habet pro eo quod peccauit: Verum utique dicit, quia sufficit quandoque. Et hic est cum vehemens, & adeo fortis fuerit, habensque perfectiones, quę, vt dictum est, aliquę requiruntur*. Cum ergo sic fieri possit; quænam est admittendi purgatorij necessitas? Respondeo in primis: quod si Deo placeat, sua vti misericordia, & animam in momento immaculatam reddere, huiusmodi Purgatorio non indigere. Hoc tamen lege ordinaria non fit: latroni hæc felicitas contigit, alijs verò, quibus ea frui datum non est, purgatorio indigent. Deinde, quamquam verum sit, peccatorem adeo intenso dolore pro peccatis affici posse, vt ea statim purget; quia tamen hoc rarum est, & paucissimis accidit, ideo pro aliorum innumerabilium expiatione admitti debet Purgatorium: iterum S. Bernardinus. *Verum si paucus fuerit, pauca eque afflictionis, non sufficiet ad istam expiationem: quare necesse est, ut adiuuetur hic, donec suppleatur quidquid deest huiusmodi expiationi: quod si hic, idest in præsenti vita factum non fuerit, necesse est, ut post hanc uitam apponatur huiusmodi supplementum*. Et quidem apponendum esse docet fides, & qui non crediderit, catholici obligationibus deest.

Vbi sup.

Tādem pro hac parte sic argumētatur Scotus in 4. dist. 21. circa principium: *Nullus cum debito pœnę glorificatur; aut enim pœnę simul soluendę sunt cum gloria, aut post gloriam, sed neutro modo, quia nec pœna potest stare cum gloria, nec succedere glorię. Ergo si quis aliquando est debitor pœnę, necesse est, quod prius exoluat illam, quod quidem in purgatorio necesse est fieri*. Et hanc necessitatem purgatorij fides astruit, vnde contra fidem erraret, quisquis id negaret. Hinc est illud D. Thomæ. *Purgatorium negare erroneum est, & à fide alienum*. Quinimò etiam illi, qui fidem non agnouerunt, peccatorum expiationem in aliquo loco fieri oportere docuerunt, vt cernere est apud S. Bernardinum. *Scribunt*, inquit, *etiam Virgilius, & alij Poetę, infernum esse, vel secundum partem, uel secundum totum deputatum purgationibus istis. Atque Plutonem uocari Deum tartarorum, & preesse supplicijs animarum: Quapropter statuerunt ei sacra, & sacrificia, quibus placaretur, ut parceret animabus*. Luserunt isti Poetæ, & pro modulo suo, ratione coacti expiationem peccatorum fieri astruxerunt. Quis catholica fide imbutus hoc inficiabitur, & purgatorium esse non credet, scripturis, Concilijs traditum, & rationibus stabilitum? Nullus credo, maximè si D. Bernardinum hunc in modum arguentem auscultet. *Cur igitur in dubium verti potest purgatorium esse, cum illū clare demonstrent tot efficacissimæ rationes, omnes mundi Principales leges, & sanctiones, atque tot, & tantæ experientiæ longę, & certę: nec non, & tot sanctorum doctorum orthodoxorum sententię firmę. Resipiscat igitur, qui in tanta veritate dubius, seu incredulus est, ut relicto statu damnationis cum exbibit statum præsentis uitæ, saltem transire mereatur per medium purgationis, ascensurus inde ad gloriam sempiternam, in qua*

Scot. in 4. dist. 21 circa principium.

D. Tho. in 4 dist. 21. qu. 1 art. 1.

D. Bern. Sen ser. 64. depo ar. 3. cap. 3.

D. Bernar vbi supra ar cap. 3.

cum Patre, & Spiritu Sancto regnat triumphator, & gloriosus Dominus Iesus Christus per infinita secula seculorum. Amen. Hæc ille: quibus nihil addendum superest, & ideo statuta Purgatorij veritate, in quo situm sit loco aperiendum.



CAPVT II.

De loco, & dispositione Purgatorij.



NON parum difficile est Purgatorij locum, ac dispositionem statuere, cum multi in hac materia multa senserint, scriptisque tradiderint: Ordior tamen a D. Bernardino. *Ad primum,* inquit, *dubium describunt doctores, quod quatuor sunt Purgatoria. De primo in 4. Dialogorum Gregorius facit mentionem dicens: Quod est in Sicilia in monte de Etna, ubi nauigantes sæpè audierunt uoces petentes eleemosynas spirituales, & temporales.* Nec leuis est pro statuendo Purgatorio ignis perennitas, & cinerum vomitus, quo mons ille semper exæstuat. *Qui fuerunt ibi.* adiungit idem S. Bernardinus, *dicunt quod in illo monte sèper est magnus ignis, & semper proijcit cinerem, sicut dicit Augustinus de Ciuitate Dei, quia semper ardet.*

D. Bern. Sen. serm. 15. de purg.

Quatuor purgatoria.

vbi sup.

Postea, *Secundum Purgatorium*, prosequitur idem Senensis, *stat in centro terræ in loco arcto, & priuato: quia qui habuerunt proprium arctum, & priuatum amorem in hoc mundo, plusquam Deo: datur illis locus arctus in centro terræ.* Ita ille, & statim addit.

Tertium Purgatorium reperitur esse in hoc mundo, & non intelligas, quod loquar, quod purgatorium in hoc mundo sit, respectu laborum, quos port as in præsenti uita; quia Gregorius dicit in Dialogo. Quod quandoque animæ in hoc mundo superant aliqua peccata leuia, & permissione diuina, faciunt Purgatorium in hoc mundo, sicut de Paschasio ipse refert.

Quartum Purgatorium, de quo nobis agendum erit, in inferno situm est, cuius dispositionem descripsit egregiè S Bernardinus in hunc modum. *Dicuntur autem quatuor esse habitacula, sub hac habitabili terra, quorum tria distinguuntur secundum triplex genus peccati: scilicet infernus, & hic debetur culpæ mortali; Limbus, & hic debetur originali; ac purgatorius locus, & hic ueniali. Primum est infernus damnatorum, in quo est pœna sensus, & damni, atque tenebræ exteriores, & interiores, idest absentia gratiæ, & gloriæ. Secundum est supra illud, & hic dicitur Lymbus puerorum, vbi est pęna damni, & non sensus, & sunt ibi etiam prædictæ tenebræ. Tertium scilicet Purgatorium, est supra Limbum, in quo est pœna sensus, & damni ad tempus, ac tenebræ exteriores, sed non interiores: quia sunt in gratia Dei constituti. Quartum etiam est supra illud, scilicet receptaculum, seu Limbus Sanctorum Patrum, vbi fuit pœna damni, & non sensus. Fuerunt ibi tenebræ exteriores, sed non tenebræ priuationis gratię, & hic nunc post Christi resurrectionem vacuus manet.* Hæc D. Bernardini dispositio, quam à magistro sententiarum accepisse fatetur. *Hęc quatuor*, inquit, *loca ponit Magister sententiarum in tractatu de resurrectione. De lege ergo communi locus Purgatorij est, vbi diximus.* Videlicet in inferno, quod alibi etiam confirmat dicens: *Si recordant altas dixi, quod quatuor sunt loca in inferno, & inferior est locus, vbi sunt dæmones, in secundo superiori loco magis sursum est purgatorium, vbi stant purgantes sua peccata.* Ex his rectè deducitur, Purgatorij locum in inferno esse constitutum.

D. Bern. Sen. ser. 65. de pur. ar. 1. c. 1.

S Bonau. in 4. dis. 20.

D. Ber. vbi supra.

Mag sen. trac. de resu.

D Bern. Sen. ser. 15. de pur.

In eadem sententia fuit D. Hieronymus ad caput 14 Oseæ, vbi ita: *Infernus est locus, in quo animæ recluduntur, siue in refrigerio, siue in pœnis, pro qualitate meritorum.* Quæres tamen, quodnam in inferno refrigerium inuenini potest à pœnis diuersum? Prorsus non aliud, quam quod animæ beatitudine fruituræ, ad tempus solummodo flammis cruciantur, & damnati æternũ ibi erunt, vnus omnium ignis est, sola temporaria terminatione distinctus. Atque adeo in inferno situm est Purgatorium.

D. Hieron. in Ose. ca. 14.

Purgatorium in inferno est, sola temporis distinctione discretum.

Po-

D. Thom. in 4. dis. 45 q. 1. ar. 2 & in 4. dist 21. qu. 1. ar. 1.
Tert. l. de Trinit.
D. Aug. ap. Abul m. c. 25 quæst. 462.
Mag. sent. in 4 dist. 47.

Postremus sanctus Thomas ex Tertulliano, Augustino, & sententiarum Magistro, eum Abulensi eandem Purgatorij dispositionem approbat, & confirmat. *Christus*, inquit, *dicitur in symbolo descendisse ad infernum, sed non descendit nisi ad Lymbum Patrum. Ergo Lymbus Patrum est idem, quod infernus.* Optima certè illatio est, quam etiam confirmat ex cap. 17. Iob. *Præterea Iob. 17. dicit in profundissimum inferni descendit anima mea, sed Iob cum esset vir sanctus, & iustus ad Lymbum descendit, ergo Lymbus est idem, quod profundissimum inferni*: Quæ argumentatio licet de Lymbo tantum loquatur, idem de Purgatorio conuincit, Vt idem Angelicus doctor distinct. 21. quæst. 1. articulo primo docet. *Sancti Patres ante aduentum Christi fuerunt in loco digniori, quam sit locus, in quo purgantur animæ post mortem: quia non erat ibi aliqua pœna sensibilis, sed locus ille erat coniunctus inferno, vel idem quod infernus: alias Christus ad Lymbum descendens, non diceretur ad inferos descendisse, ergo & Purgatorium est in eodem loco, vel iuxta infernum.* Hæc ille: nec mirum est, vt eadem flamma damnatis ad torturam, & Dei amicis ad expiationem, & medicinam proficiat. Addo pro coronide Tostati sententiam. *Mali*, inquit, *inflammabuntur ab illo igne per modum vindictæ.* Et statim de bonis locutus adiungit: *Sederit ignis*, hoc est, ille idem, qui torquet damnatos. *Conferens eis per modum medicamenti ad purgationem, ut efficiantur apti ad vitam æternam.* Hinc patet quod statuimus, nimirum, Purgatorium in eodem loco esse, vbi infernus est, & vtriusque loci idem ignis, alios vrens, alios purgans: vt ignis nostri similitudine, & D. Gregorij authoritate docuit S. Thomas, cuius est illud. *Sicut sub eodem igne aurum rutilat, palea fumat; ita sub eodem igne peccator cruciatur, & electus purgatur. Ergo idem est ignis purgatorij, & inferni, & sic in eodem loco sunt.*

Idem ignis purgat, & cruciat.

D. Greg. ap. D. Thom. vbi supra.

Placet hanc tot grauium auctorum opinionem nonnullis scripturæ locis comprobare, ex quibus apertè constabit, ignem, diuina virtute, quosdam torquere, & alijs posse ad expiationem deseruire, quod vt retulimus D. Gregorius, & S Thomas docuerunt.

Ordiamur a sacrificio, quod ad æmulationem sacerdotum Baal apud Carmelum Elias obtulisse memoratur. Nam ad Prophetæ preces ignis e cælo descendit, suprapositum holocaustum combussit, aquam tamen in canali contentam non consumpsit, sicut 3. Regum 18. pagina sacra refert. *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quę erat in aquaductu lambens.* Mirum est, quod ignis, ad potentiæ, actiuitatisque demonstrationem, omnia consumpserit. At vero vbi primum ad aquam accessit, quasi actiuitatis oblitus, aquam reliquit intactam, patum est flammis in linguas immutatis; quasi fouendo lambebat. Audiendus hic Tostatus. *Ita*, inquit, *ignis iste vorauit omnia, vt non relinqueret, nec cinerem; sed uideretur quasi quod nihil sibi fuisset, & ista erat magna potentia, ignis scilicet quod lapides voraret.* Sed certè flamma illa adeo vorax extitit, vt holocaustum absumeret, & aquæ non solum pepercerit, verum etiam quasi blandiens fouerit? cerne à quo mittatur ignis, & mirari desines. *Cecidit autem ignis à Domino.* Qui vt suam potentiam manifestaret, quia flammarum voracitatem ita cohibere potest, vt quædam consumat, & alijs parcat: ignem illum e cælo venientem sic temperauit, vt reliquis combustis, aquam reliquerit intactam. *Ista erat magna potentia: ignis scilicet, quod lapides voraret.* Dum viuos lapides voracissimus absumit, aquas solummodo lambit, & fouet. *Et aquam quę erat in aquaductu lambens.*

3. Reg. 18.

Tost. in 3. Re. 18. quæst. 23.

Facit in hanc rem quid accidit, dum Dathan, & Aibron, ad Moysis imperiū, terra deglutiente absorpti sunt, flammis tartareis comburendi. Nam conspecta supplicij seueritate, qui aderant resipuerunt. Nihilominus, ignis e thuribulis egrediens, vt ex Rabbi Salomone refert Lyranus, ducentos quinquaginta deuorauit. *Sed et ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.* Ita ibi facer textus, & Lira; *sed & ignis virtu-*

Num. 16.

Lyr. ibi.

te diuina; dicit enim Rabbi Salomon, quod exiuit de Thuribulis, quæ tenebant. Cęterum hi ducenti quinquaginta, quos, vt criminis participes, flamma combussit cur etiam à terra non fuerunt deuorati sicut *Dathan*, & Abiron, quos veluti duces sequebantur? Deinde: si igne comburendi erant, quid causæ est, vt differetur supplicium, quousque innocentibus adhæsissent? Ait enim Textus ibi. *At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium: dicens: ne fortè & nos terra deglutiat: Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.* Respondeo huiusmodi homines aduersus Moysen, & Aaron obmurmurasse, eo quod dignitates, & superioratum soli per summam iniuriam vsurparint: quæ murmuratio in Deum redundabat, & propterea murmurantes punit, iustitiam pariter, potentiamque ostentans: iustitiam, puniendo, potentiam flammarum vim sic attemperando: vt delinquentibus, vt supplicium, & innocentibus ad fauorem conferret. Hæc enim est *Dei* virtus, vt rerum naturam pro suo arbitrio immutare possit, & sic moderari, vt ignis quosdam consumat, & alij cum flammis non secus ac cum floribus ludant. *At verò omnis Israel, &c.*

Murmuratorum suplicium ignis, e cælo.

Aliud, nec minus illustre exemplum refero. Inter plagas, quibus apud Aegyptum Pharao percutitur, vna est turgentium vesicarum, quæ ad proiectum cineris in Aegyptiorum corporibus nascebantur. Ergo Exod. 9. refert Textus. *Et dixit Dominus ad Moysen, & Aaron: tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone. Tuleruntque cinerem de camino; & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cœlum, factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus, & iumentis.* Nonne Dei potentiam hic aduertis? qui cinerem sic attemperauit igne commixtum, vt ex Hebræo colligit Lyranus, vt à Moyse correptus, & manibus contrectatus, ei nequaquam noceret, & alios vesicis tergentibus impleret. *Ex quo patet,* inquit, *quod ista plaga facta est ex elemento ignis, quia cineres illi accepti sunt de camino ardenti, vt magis sonat in Hebræo.* In eadem sententia fuit Abulensis, qui huiusmodi plagam in elemento ignis factam opinatur. *Erat enim*, inquit, *huiusmodi plaga in elemento ignis, cum ipsi cineres de igne sumpti essent.* Ergo idem ille ignis, seu cinis ignitus Aegyptios vlcerabat, & vesicis turgentibus implebat, Moysem vero, & Aaron ipsum præ manibus sumentes, nullatenus lædebat. Et qui suam contra Agyptios actiuitatem perpromptserat, erga Moysem vrendi virtutem amisisse videbatur, totum hoc a Dei prouenit imperio. *Et dixit Dominus ad Moysen, & Aaron.* Congruit enim diuinæ potentiæ ignis elementum sic temperare, vt Aegyptijs ad torturam, & vstionem deseruiat, Moysemque, & Aaronem illæsos relinquat.

Exod. 9.

Deus cinere punit superbos.

Lyr. ibi.

Abul. ibi.

Dathan, & Abiron interitum repeto, in quo aliquid in hanc rem adnotandum superfuit. Ergo postquam terra deliscens vtrumque deglutijt, & ignis e thuribulis exiens sequaces absumpsit, Dei præceptum ad Moysen auscultandum est. Numerorum 16. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens, Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti, vt tollat Turribula, quæ iacent in incendio, & ignem huc, illucque dispergat, quoniam sanctificata sunt mortibus peccatorum.* Hæc ibi, quæ paulo aliter legit D. Augustinus: Et *dixit Dominus ad Moysen, & ad Eleazarum, filium Aaron sacerdotem: tolle thuribula ænea de medio exustorum, & ignem alienum hunc semina, ibique sanctificauerunt thuribula peccatorum horum in animabus suis.* Hæc ille, in quibus non parua se offert difficultas. Quomodo enim ignis ille interfectorum animas sanctificasse perhibetur qui damnati perierunt, & Dathan, & Abiron criminis participes effecti, eandem pœnam sustinuerunt, & quando ductores terra vorauit? *Descenderuntque uiui in infernum.* Sequaces flamma combussit. Cessat tamen difficultas, si verba rectè ponderentur. Quid ille? *Et ignem alienum hunc semina ibi, quia sanctificauerunt thuribula peccatorum horum in animabus suis.* Has enim animas non morruorum cogita, sed viuentium, quas sanctificandas esse te-

Num. 16.

Instrumenta punitionis sanctificata morte peccatorum.

sta-

statut, non quia ignis rigorem fuissent experti, sed solo ignis conspectu eruditi, exemplum, & correctionem acceperunt. Diuinum oraculum ausculta. *Vt cernant ea pro signo, & monumento filij Israel*.

Quod si ignis ille ad purificationem conducebat, aptius videbatur, vt flammæ rigorem experirentur, quam vt ex solo aspectu disciplinam acciperent. Quia tamen iam experimento didicerant, ignis virtutem diuina potentia sic attemperatam fuisse, vt quosdam vreret, & alijs delitias præberet, idcirco solus aspectus sufficiebat, ex quo aspicientes purificationem accipiebant, & diuinæ virtutis potestas commendabatur: Deo namque præcipiente ignis, quasi potentiam vrendi amiserit, quibusdam non noceat, alios interim absumens. Igitur præcipit Dominus. *Tolle thuribula ænea de medio exustorum, & ignem alienum hunc semina ibi, quia sanctificauerunt thuribula peccatorum horum in animabus suis*.

Sola ignis æterni imago innocentes terret.

Eadem, in moderanda ignis virtute, Dei potentia in fornace Babylonis apparuit, quando tribus pueris ibi coniectis flamma pepercit, & vincula combussit; vt cernere est apud Daniel cap. 3. vbi ita. *Et confestim uiri illi uincti cum Braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & uestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis*. Cæterum videndum est, quid illuc proiecti faciebant. Porrò ait sacer textus. *Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum*. Res mira, vincti conijciuntur in flammas, & ambulant. Quis vincula dissoluit? ignis. Et quomodo illa comburens, corpora reliquit intacta? totum miraculo tribuit D. Hieronymus, ita fatus. *Grande miraculum, uincti mittuntur in fornacem, & cadunt in medio ignis præcipites: ardent uincula, quibus ligati sunt, & uinctorum corpora timens flamma non tangit*. Mirare diuinam potentiam, quæ ignis vim sic moderata est, vt infantibus minime nocuerit, & vincula dissoluerit. Et verò Pueri illi, antequam in fornacem conijcerentur, Dei potentiam implorarunt, firmiter sperantes, quod ab igne egrederentur intacti. *Ecce enim Deus noster*, inquiunt, *quem colimus potest nos eripere de camino ignis ardentis*. Adfuit igitur Dei potestas. *Et grande*, vt loquitur D. Hieronimus, *miraculum* operara flammas ardentis camini temperauit: atque adeo illa vincula, quibus ligati erant pueri, comburendo corporibus pepercerunt, ad eruditionem seruientes, quod iubente Deo, flamma quosdam torqueat, & alijs ad solatium purificationemque deseruiat.

Dan. 3.

Ignis purgatorij crimina tantum consumit.

D. Hieron. ibidem.

Ignis idem quosdam torquet, alijs ad solatium deseruit, diuina potentia.

Non hic sistendum mihi est, locum magis premo ad Lyrani torcular: tres pueri a militibus robustissimis in fornacem proiecti dicuntur. *Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago interfecit flamma ignis*. Vides, vt ignis infantes in medijs flammis constitutos non læserit, & robustissimos viros, eminus stantes, combusserit. Vndenam hoc prouenit? *Porro*, ait Lyra, Regis superbiam punire Deus statuerat. *Quando Angelus Domini descendit cum pueris post orationem Azariæ excussit flammam de fornace, & combussit eos, qui erant extra: ut sic Rex non solum de miraculo uiso miraretur, sed & per combustionem fortissimorum virorum de suo exercitu puniretur*. Hæc ille: nec miteris. Quod combustis militibus Regem in eorum morte punitum affirmet. Cum potius saluo Rege mortui, supplicium sustinuisse dicendi forent: cæterum, attenta Regis culpa, sic dicendum videtur. Porrò Nabuchodonosor in hoc deliquit, quod diuinam potentiam sibi ausus fuerit arrogare, & diuinos honores sibi impendi in statua præceperit. E contra verò Pueri Dei potentiam prædicabant, cuius proprium est, flammam ita moderari, vt quosdam interficiat & alijs parcat. Rectè igitur, dum Regem punire decernit, viuum reliquit, & ipso præsente ignis milites comburit, & pueros dimittit intactos, vt sic Dei potentiam admiretur, superbiamque compescat, videns, quod humana potentia diuinæ potestatis terminos non attingat, quia hæc sola elemento ignis frænum adhibere potest, vt alijs non noceat, & alios comburat.

Dan. 3.

Lyr. in hunc locum.

Subditi quandoque Principum luunt crimina.

Et vero ex hoc miraculo, non solum edocemur, posse Deum rerum om-

nium

nium naturas ſic inuertere, vt quæ alijs nocent alijs ad remedium proficiant: Verum etiam, vt cenſuit Theodoretus, quod illud idem, quod peccatores torquet, & cruciat, iuſtos ſolatur, & recreat. *Circumiecta ipſis ferrea vincula, vſitato more, ignis natura diſſoluit; indumenta autem quemadmodum facilia ad comburendum eſſet integra conſeruauit: Sanctorum virorum accuſatores, & impios miniſtros, qui foris ſtabant, flamma conſumpſit; verum ijs, qui intus erant terga vertens, contra proprios adoratores procedebat, quaſi pœnas ab ipſis pro Domini cultoribus exigens.* Hæc ille. Igitur ſi Dei potentiæ licet ignem ita moderari, vt quoſdam torqueat, & alios foueat, & recreet; vel rerum naturam inuertere, vt peccatoribus ad pœnam, & iuſtis ad ſolatium proficiant.

Theod. in ca. 3. Dan.

Quis mirabitur, ſi dicam cum Diuo Thoma, & Gregorio, Purgatorij locum eſſe in inferno, & ignem, qui iuſtum purificat, damnatum torquere. *Sicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; ita ſub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur, ergo idem eſt ignis purgatorij, & inferni, & ſic in eodem loco ſunt.*

D. Greg. ap. D. Thom. in 4. diſt. 21. q. 1. ar. 1.

Duo tamen ſuperſunt ſcripturæ loca præſenti inſtituto accomodata: alterum ex Iſaia profero. *Et erunt populi quaſi de incendio cinis ſpinæ congregatæ, igni comburentur.* Alterum ex libro Exodi, Vbi de Moyſi dicitur, quod rubum viderit flammis vndique circumdatum, quæ tamen ipſius virorem non conſumebant. *Videbat, quod rubus ardente, & non combureretur.* At apud Iſaiam dictum reperitur, *ſpinæ congregata igne comburentur.* Quomodo ergo ſpinæ, quas Moyſes videt non comburuntur, cum etiam hæ ſint ignis pabulum, vt ibi aduertit Lyranus dicens: *Quia flamma occupans rubum, rubi viriditatem non minuebat, licet eſſet materia combuſtibilis.* Et ſpinæ aliæ de quibus loquitur Iſaias, omnes conſumuntur, nec vna tantum flammarum actiuitatem euadit. Facilis eſt reſponſio, ſi ſpinarum ſignificatum vtrobique attendamus. Nam ſpinæ, de quibus Iſaias, cum ex peccato pullularint, *Spinas, & tribulos germinabit tibi*, iuxta interlinealem, Iudæorum peccata gehennæ flammis punienda ſignificant, *Spinæ peccata Iudæorum congregatæ, igni gehennæ comburentur.* Accinit Lyra *Igni comburentur, non ſolùm ex percuſſione Angeli, vt dictum eſt, ſed etiam igne inferni:* At verò rubus Dei populum ſignificabat, quem perſecutionum flamma non combuſſit, ſed illuſtriorem reddidit. *Per hoc autem*, ait Lyranus, *deſignabatur, quod labor affligens, qui per ignem deſignatur filios Iſrael, in quibus erat humana infirmitas, non conſumeret, nec deleret, ſed magis mirificè liberarentur.* Ita ille: quod tantundem mihi eſt, ac ſi duos animarum ſtatus in inferno diſtingueret. Quædam enim ibi ſunt propter peccatũ æternis flammis adiudicatæ, has ſignificant ſpinæ ab igne combuſtæ. Aliæ ſunt rubi ſimiles, quæ etſi ſpinas habeant, & proinde flammis circundatæ appareant, Deo tamen gratæ ſunt, vnde ab igne non conſumuntur. *Rubi viriditatem non minuebat*, imò potius flamma illa maculas delebat, & mirificè recreabat, nec aliquod ex igne damnum, ſed purificationem recipiebant, vt ſic a fluminis erutæ ad paradiſum eueherentur, iuxta illud Lyrani. *In quibus erat humana infirmitas, magis mirificè liberarentur:* firmum ergo, & ſtatutum maneat, eundem ignem Dei potentia moderatum quædam abſumere poſſe, & alia illæſe relinquere; alijs ad pœnam, alijs verò ad purificationem deſeruire. Quod in inferno accidit, vbi idem ignis in diuerſis ſitibus ardens, purgatorio ſcilicet, & inferno, quorum vnus eſt locus, damnatos torquet, & Dei amicis medelam confert, & purificationem. Vt verum ſit illud Diui Gregorij. *Sub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur. Ergo idem eſt ignis purgatorij, & inferni, & ſic in eodem loco ſunt.*

Iſai. 33.

Exod. 3.

Lyr in cap. 3. Exod.

Gen. 3.

Gloſ. int.

Lyr. ibi.

Nota:

Lyr. in cap. 3. Exod.

CAPVT III.

Quam magnæ sunt, & terribiles pœnæ Purgatorij.



INGENS mortalium pectora tenet obliuio pœnarum, quæ propter peccata in purgatorio sustinebunt, & vix est, qui illarum acerbitatem contempletur, quæ quanta sit, ex eo satis liquet, quod ignis ille idem sit cum igne inferni: aliqua tamen expendenda sunt, ex quibus pœnarum eiusmodi acerbitas colligatur. Et primò considerandum est, quo pacto anima in carcere admodum tenebroso, flammis vndique circundata sit: *Loca tenebrosa*; Purgatorium dixit Arnoldus, cuius ignis quam terribilis dicendus sit, docuit S. Bernardinus serm. de Purgatorio cap. 3. referens S. Augustinum. *Quanta sit*, inquit, *Purgatorij pœna, Augustinus in quodam sermone inquit Ignis ille durior est, quam quidquam in hoc sæculo pœnarum videre, aut sentire, aut cogitare quis possit*. Quid ergò aget anima, quæ quoque versus aspiciat, nihil, nisi flammas videbit; nihil audiet, præter eiulatus, & lamenta damnatorum, quæ ad eas, propter vicinitatem perueniunt: Visus dæmonum aspectu terretur; Odoratus teterrimi sulfuris grauè olentia offenditur; tactus flammarum acrimoniam, & voracitatem experitur, nihil ibi, nisi fletus, & dentium stridor erit, tenebræque densissimæ, *loca tenebrosa*: Quid plura! *Ignis ille durior est, quam quidquam in hoc sæculo pœnarum, aut videre, aut sentire, aut cogitare quis possit.*

D. Dan. de 7 Ven. Dom. ex t. 1. Bl. SS. DD. D. Aug. apu. D. Ber. Sen. serm. 65. de ver. cap. 3.

Omne cogitabile superat acerbitas ignis Purgatorij.

Descriptio Purgatorij

Ostendit, apud Matthæum, Christus Dominus extremi diei crudelitatem, de qua vaticinatus fuerat Isaias, dicens: *Ecce dies Domini venit crudelis*, & sententiam contra damnatos proferens ait: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius*. Quo loco expendit Origenes, quod non contentus, igni addixisse, in quo sat pœnarum erat, addidit, æternò, *In ignem æternum*: Quod ideo fuit, quia si solum diceret, ignem, non adeo terribilis pœna esset, quia expectare possent, vt aliquando flamma mitesceret, vel vrere desereret, dum tamen addidit, *æternum*, nullam in pœnis requiem habituros designat. *Ignis æternus alterius est generis ab hoc igne, quem habemus in vsu: Nullus enim ignis inter homines æternus; sed nec multi temporis*. Cum ergo ad manifestandam pœnarum acerbitatem, quas damnati patientur, dixit eos igne cruciari debere: magna certè est purgatorij pœna, quæ ex igne constat, & ignis idem est cum igne inferni.

Isai 9.

Matt. 25.

Orig. tract. 14. in Matt.

Ignis Purgatorij idem cum igne inferni.

Apud Hieremiam populo Israelitico pœnas acerbissimas Deus interminauit, atque vt earum grauitatem significaret, indignationem suam igni similem fore testatur, dicens: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda, & habitatores Hierusalem, ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum*. Notandum hic primò est, quod cordium præputia circuncidere iubeat, & verò, per cordis præputia intelligit vitia. Glossa interlinealis ibi: *Circuncidimini Domino, & auferte preputia, idest vitia*: Symmacus legit: *Auferte malitias*. Addit insuper Lyranus; non solum circuncidenda fore peccata, sed radices peccatorum, quas praua consuetudo peccandi in cor agit. *Circuncidimini Domino, & auferte preputia, idest, peccata, & consuetudines peccandi*: Aliter interpretatur D. Hieronymus ita commentatus. *Viris Iudæ, & habitatoribus Hierusalem precipitur, vt deserant occidentem litteram, & sequantur viuificantem spiritum*: Sin minus supplicium minitatur acerrimum. *Ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea: scilicet*, monente Lyrano, *Vindictæ meæ, per ignem æternum duraturum*, & ideo ait: *Non sit qui extinguat*, non vero quod inferni flammas intelligat, vt

Hierem. 4.

Glos. int.

Symac. ibi.

Lyr. ibi.

D. Hierom. de verb. sign cap. 1.

Lyr. ibi.

Glos. mor. ibi

tenet ibi Glossa moralis. *Non, sit qui extinguat, puniendo vos in gehenna.* Cur autem vindictam, quæ ex indignatione procedit, & parum duratura videtur, igne exercendam minatur? Ratio est, quia delicta post Dei correctionem, & admonitionem repetita, non nisi igne puniri debent, quod est maius supplicium; cum vndique circundet miseros, & æternum cruciabit. Nec alia potest pœna infligi, quæ ignis acerbitatem exequet.

Nulla igne pœna durior

Valde notandum est in hanc rem discrimen, quod in puniendis hominum peccatis Deum obseruasse animaduertit Strabo. Nam crescente malitia mundo, diluuio extinxit: vt Genes. 6. perhibetur. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in Terra; & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creaui a facie terræ, ab homine vsque ad animantia, a reptili vsque ad volucres cœli: pœnitet enim me fecisse eos.* Magna certè Dei indignatio, siquidem non insolos delinquentes deseuit; Verum etiam brutis, & volucribus, quæ culpæ sunt incapaces, non parcit.

Gen. 6.

Iam ad tempora Loth recurramus, & videbimus, quo pactò tres Angelos domi hospitio excipiens, ad se accipit à Deo missos, vt sodomitas, propter peccatorum enormitatem, grauiter punirent. *Delebimus enim locum istum, eò quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, ut perdamus eos.* En supplicij comminatio, videamus executionem. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorram Sulphur, & ignem à Domino de cœlo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa Regionem, uniuersos habitatores urbium, & cuncta Terræ uirentia.* Nunc autem videndum est, quod illorum supplicium, qui Deum, vsque ad dolorem cordis intrinsecum irritauerunt, in aquis infictum est. *Adhuc enim post dies septem Ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam, quam feci de superficie terræ.* At verò Sodomitas

Gen. 19.

Gen. 7.

igne combussit. Quæ nam huius discriminis ratio? cum vno, vel altero elemento suam vindictam æquè poterat exequi, & delinquentes punire. Respondet Strabo: *Notandum, quia primos peccatores aqua exterminauit, qui similiter offenderant Deum concupiscentia carnis, Sodomitæ uerò grauiori supplicio, ignis scilicet, & sulphuris diluuio perierunt. Licet enim illi mensuram excederent, quasi naturaliter peccabant: isti uerò contra naturam, ideo grauissimi supplicij exemplo damnati sunt.* Ita ille. Igitur, cum grauius erat hominum delictum, acerbiori supplicio puniuntur, vt autem hæc supplicij acerbitas irrogaretur, ignis ministerio vtitur Dominus, quia ignis tormentum omnibus terribilius iudicatur, & ideo sodomitæ enormius peccantes ignis pœna præ cæteris acerbiori cruciantur, de quo audiendus est S. Gregorius. *Qui ergo,* inquit, *ad peruersa desideria carnis fœtore arserant, iurè sulphure, & igne perierunt, ut ex iusta pœna discerent, quod iniusto desiderio fecissent.*

Strab. Vulg. in Gen. 19.

Ignis propria carnalium pœna.

D. Greg. in Gen. cap. 9.

Huc, ni fallor, respicit illud Dei præceptum in Leuitico cap. 13. quod ita habet. *Vestis lanea, siue linea, quæ lepram habuerit, in stamine, atque subtegmine, aut certè pellis, vel quidquid ex pelle confectum est, si alba, vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostenditurque Sacerdoti: qui consideratam recludet septem diebus, & die septimo rursus aspiciens, si deprehenderit creuisse, lepra perseuerans est: pollutum iudicabit vestimentum, & omne, in quo fuerit inuenta, & idcircò comburetur flammis.* Hanc legem interpretatur Isichius de peccatis, quæ quispiam ob carnis delectationem committit, & his veluti lepra animam inficit. *Lepra,* inquit, *in subtegmine, peccata, quæ per corpus committuntur, anima enim in corpore, velut stamen in subtegmine.* Ignis verò, in quo vestis huiusmodi comburenda est, iuxta Glossam interlinealem, est ignis inferni. *Et idcirco comburetur flammis, significantibus flammas gehennæ.* At dices: quid causæ est, vt Gehennali supplicio afficiatur, qui ita deliquit? quænam huius peccati grauitas, vt sic puniatur? Dicam: hoc loco signifi-

Leuit. 13.

Isich. in Leuit. 13.

Glos. int.

cantur, qui post delictum non statim resipiscunt, sed post Sacerdotis examen, adhuc lepra in eis per septem dies perseuerat: idcircò flammis gehennalibus puniuntur, quia grauiori culpæ, grauius supplicium adhibetur, & nullum est, quod inferno grauius sit. *Et idcircò comburuntur flammis, significantibus flammas Gehennæ*, quæ omnium suppliciorum grauitatem exuperant.

Tandem pro coronide locum profero ex Daniele. Et quoniam diximus purgatorij locum esse instar carceris obscurissimi. *Loca tenebrosa*. Hinc supplicij huiusmodi acerbitas innotescet. Et quidem nō ita miror, quod Nabuchodonosor Dei filium nusquam viderit, & tamen quartum iuuenem, quem in mediis flammis ambulantem viderat, similem esse Dei filio prædicauerit, *species quarti similis filio Dei*, quoniam, vt censuit Theodoretus: qui dixerat: Quis est Deus qui eripiet vos de manu mea, & audieret respondentes Deum omnipotentem eos liberare posse si velit, dum vidit ludentes in igne, quos flammis absumptos putabat, & insuper alium in eorum comitatu inspicit, mirum non est, vt Deum suspicetur. *Discit miser, qui dixerat; quis est Deus, qui eruat vos, & esse Deum ineffabilis potestatis igni imperantem, vt contrariam sanctis ostenderet qualitatem, quem Deum ille appellabat, Deum esse cognouit, & celsissimum Deum*. Quod hic miror est, quia dum scriptura dicit iuisse Angelum (quamquam D. Hieronimus censeat fuisse Christum in Angeli figuratum, vt sanctos Patres ex lymbo eriperet. *Iste Angelus, siue Dei filius, Christus est, qui ad inferni fornacem descendit, in quo sanctorum animæ tenebantur, nec vrebantur, vt ab inferis liberaret*) Siue autem fuerit Angelus, siue Christus, in fornacem descendisse perhibetur, & flammis frænum adhibuisse, ita vt tribus pueris nihil nocuerint. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit*. Hæc ibi textus: addunt verò D. Hieronymus, & Theodoretus Angeli ministerium, quo flammas hinc inde diuisit, & aura temperatissima recreauit. *Angelus itaque flammam dissipabat, & mediam fornacis partem ignis carbonibus nudans, auram quamdam frigidam, ac mediocriter humidam, quæ sanctis adferret voluptatem parabat; atque hanc in sanctorum corpora immittebat*. Hæc illi. At quæres: ad quid Angelus ille descendit, carbones dissipauit, & auram pro refrigerio parauit? Nonne ibi Dei filius ambulabat? Ita quidem: ergo nihil erat quod eis nocere potuisset, nec vlla timoris causa; Hinc est vt Iob, Deo proximus neminem timuerit: ideo dicebat: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*; Igitur superuacaneus videtur Angeli descensus, vt carbones dissipet, & aura recreet, quia vbi Deus aderat, nec ignis vrere, nec ventus recreans poterat deficere: Nihilominus congruum fuit, vt descenderet. Nam cum in fornacem missi sunt, flamma inde egrediens, ministros crudelitatis combussit, & interim fornax tanquam igneus carcer est reddita. Qui ergo propter Deum martyrium sustinebant, & Deo fauente liberandi erant, non satis habuit, si ipse assisteret, sed insuper Angelum misit, qui carbones dissiparet, & ostenderet tormenti ignei atrocitatem, quæ vltra Dei præsentiam Angeli ministerium desiderabat, vt flammas extingueret. *Angelus itaque flammam dissipabat, & mediam fornacis partem ignis carbonibus nudans, auram quandam frigidam, ac mediocriter humidam, quæ sanctis adferret voluptatem parabat: atque hanc in sanctorum corpora immittebat*. Ex quo infertur, quod si ignis cruciatus adeo acerbus est, vt in Dei comitatu, Angeli ministerio opus habeat, qui illum extinguat, ne cruciet: animas purgatorii acerbissimè torqueri, siquidem flamma illic nunquam extinguitur, sed semper ille ignis rediuiuus accenditur, vritque, & durat vna cum tenebris, *loca tenebrosa*, vnde verum est illud supra memoratum. *Ignis ille durior est, quam quicquam in hoc sæculo pœnarum, aut vide-*

Marginal notes: D. Dan. vbi supra. — Dan 3. — Theod. ibi. — Deus tribulatis assistes — D. Hier. ibi. — D. Hier. & Theodor. in hunc locum. — Iob 17. — Deus ipse tribulatis præsens.

D. Bonau. in 4. D. 44. qu. 23. sup. illud ite in ignẽ æte

re, aut sentire, aut quid cogitare quis possit. Nec diuersius abit S. Bonauentura dicens: *con minatur Dominus pœnam ignis tanquam præcipuum tormentum*. Quodsi præcipuum: haud dubium quod reliquis censuerit maius.

Mat. 25. Mar. 9.

D. Angles in 4. D. 49. qui debeat ca. 1.

Deinde ne quid in hac materia indiscussum prætermittam statuto, quod ignis, ille iuxta fidem sit æternus, vt habet Matthæus, *in ignem æternum*, & Marcus, *& ignis non extinguitur*, optimè infertur ignem esse incorruptibilem. Ita] Angles. *Ergo ille ignis incorruptibilis, & inextinguibilis est. Conclusio est de fide*. Iam verò ignis, vt tenet idem Auctor est corporeus. *Ignis*, inquit, *inferni est corporeus, & ab initio mundi creatus*. Nunc autem inquiro: Angeli sunt corporei nec nè? Negatiuè respondent S. Bonauentura Scotus, & D. Thomas hanc statuentes assertionem. *Temerarium esset nunc dicere Angelos corporibus constare*. Et S. Lucas 24. *Spiritus carnem, & ossa non habet*. Psalmographus item. *Qui facit Angelos suos spiritus*. S. Dyonisius, & Gregorius idem censuerunt. *Angeli*, inquiunt, *carent omni materia*, & proinde corporis expertes. At quomodo fieri potest, vt ignis corporeus Angelos incorporeos adurat, & idem de animabus, quas quidem ignis vrit, vt tenet. S. Bernardinus, *Corporeus, ait, ignis animas vrit*. Et quidem animæ cum Angelis conueniunt in eo, quod sicut illi materiæ sunt expertes, vt planum est, & indubitatum in schola Theologorum, & probat illic. S. Augustini diffinitio in libro de spiritu, & anima. *Anima est substantia quadam incorporea, rationis particeps, regendo corpori accommodata*: Expendendæ sunt diffinitionis particulæ. *Substantiam* dicit, vt significet non esse accidens: *incorpoream*, vt corporis expertem denotet. *Rationis participem*, vt brutam, & irrationalem non esse demonstrat. *Regendo corpori accommodatum*, vt Angelis dissimilem significat. Itaque ex huc diffinitione colligitur animam esse Angelis similem. Et ideo nonnunqnam spiritus appellatur: iuxta illud D. Augustini: *Spiritum tuum, dico animam tuam*. Et D. Ioannes, vt significaret Christum in Cruce animam exhalasse, dixit: *Et inclinato capite emisit spiritum*. Quo respexit Cassiodorus, animam ita diffiniendo. *Anima est substantia spiritualis à Deo creata*. Cum ergo hæc ita se habeant, qua ratione ignis corporeus tam animas, quam Angelos corpore carentes adurit. *Corporeus ignis animas vrit*.

D. Bonau. Scotus. D. Thomas Rubeonus. D. Angelus, & omnes ibi. S. Luc. 24. Psal. 102. S. Dion. de Diuin. nom cap. 4. D. Greg Naz l 2 sua Theo... Mag. in 2. dist. 17. Alex qu. 59 D. Thom. 2. 2 q 75. ar. 1. D Bonau. in 2. dist. 18. Scot. in 2. d. 16. Dur. quæst 1. Ricard. ibi. D. Aug de supra, & anima. Ioann. 18. Cassia. ibi.

Antequam respondeam, præmittendum est ex doctrina Scoti; Angelum nullam cum corpore conuenientiam habere: Si tamen Deus Angelo præciperet, vt intra corpus aliquod se teneret, durante Dei voluntate, ibi esset, nec enim posset. Pari ratione Dæmon, qui naturam Angelicam non amisit, etsi nullam habeat conuenientiam ad corpus. Deo tamen volente intra globum ignis corporei continetur, & ibi perpetuo erit, & ignis cruciatum sentiet, nec illum poterit euitare. Ita Scotus ad illud. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. *Ignis*, inquit, *Inferni cruciat malignos spiritus, vt habetur in Euangelio. Ite maledicti in ignem æternum, spiritus autem cruciatur igne, in quantum eum apprehendit, sub ratione disconuenientis*. Et Paulo inferius ait: *Angelus malus habet nolle detineri perpetuo ab igne, & specialiter sub ista ratione ex sententia diuina, vel voluntate diuina illic detinente effectiuè, & ad istud nolle, inclinat affectio commodi, secundum quam appetit liberum usum potentiæ, ut sicut natura sua est indifferens ad quodcumque corpus, sic posse desiderat facere secuicunque corpori præsentem*. Hæc ille, ex quibus optimè deducitur, animam rationalem incorpoream, quæ Angelis in hac parte assimilatur, posse igne corporeo torqueri, non aliter, ac ipsi Angeli; durante Dei voluntate igneo globo, circumdati cruciatur. Et hæc est D. Gregorii sententia. *Si diabolus*, inquit, *& Angeli eius cum sint in corporei corporeo igne sunt cruciandi, quod mirum est, si animæ possint, etiam igne corporeo cruciari*. Optima est D. Gregorii illatio, quam fateamur, necesse est, & proinde cum D. Bernardino dicendum. *Corporeus ignis animas vrit*.

Matt. 25. Scot. in 4. d 44. qu. 2. D. Greg. lib. de Dialog.

Hoc tamen discrimen est adnotandum,

dum, quod ignis vtens dæmones, & animas damnatorum eſt æternus: Non ſic qui animas Purgatorij cruciat, quia ſolummodo eſt temporarius: *Eius* vero acerbitas eſt omnium tormentorum maxima, dum autem vrit eadem virtute purgat, neque enim, vt aliqui cenſuerunt, duas habet virtutes vrendi vnum, & alteram purgandi. *Do* S. Bonauenturam: ita Philoſophantem. *Gregorius, Isidorus, & omnes Doctores noſtri temporis tenent ignem Purgatorij eſſe materialem. Quomodo autem agat in animam diuerſitas eſt inter illis. Quidam enim dicunt, quod preter vim punitiuam, data eſt igni uis ſpecialis purgatiua: ſed melius dicitur, quod ignis per eandem naturam, & punit, & purgat.* Itaquè animæ, etſi incorporeæ ſint, igne corporeo crucientur, & ex ipſo cruciatu, purgationis beneficium conſequuntur.

D. Bonau. In 4. d. 21. q. 2

Prætermittenda non eſt S. Antonij clauſula, propoſito instituto accomodata. Porrò quæ tormentorum erit acerbitas, cum animæ poſt condonaram culpam, carnis delectationis, mundi vanitates ſuperbiam, & oſtentationem, quibus in vita ſe dederunt ignis combuſtione perſoluent. Proh cum rerum huiuſmodi inter flammas pœnitebit, & quam mallent, dum vita manebat, rigoroſam egiſſe peccatorum penitentiam. Illarum ſtatum depinxit, Iſaias dicens: *Confundentur enim ab idolis, quibus ſacrificauerunt, & erubeſcetis ſuper hortis; quos elegeratis, cum fueritis uelut quercus deſfluentibus folijs, & velut hortus abſque aqua: & erit fortitudo veſtra, vt fauilla, & opus veſtrum quaſi ſcintilla, & ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit qui extinguat.* Quamquam de his, qui in iudicio æternæ damnationis pœnam ſubituri ſunt, Vates loquatur. Cum poſt extremum illum pudorem quem culparum manifeſtatione ſuſtinebunt, inſtar foliorum, quæ ſiccitas ex arbore decuſſit, punientem Dei potentiam experientur, iuxta illud Iob: *Contra folium, quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam,* Contra quam nemo præualebit, nec flammas æternum duraturas extinguet, *ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit, qui extingat,* nec eſtiam, qui opem feret, ſed vnuſquiſque onus ſuum portabit, & poenas peccato reſpondentes ſuſtinebit. *In fine vitæ ſuę erubeſcant Carnales, ſuper hortis gulę, & luxuriæ, quos ſibi elegerunt dum viuerent, & erunt nudi, & aridi uelut quercus deſfluentibus folijs, ideſt diuitijs, & delicijs, & uelut hortus abſque aqua, quia omnes delectatio ceſſauit. Amplius enim per canales ſenſuum non decurret aqua mundanæ uoluptatis ad inebriandum concupiſcentiam carnis? Et tunc erit fortitudo, ideſt ſuperbia eorum quaſi fauilla, ideſt nullius momenti, & ſuccendetur a dæmonibus utrumque, ideſt fortitudo ſuperbię, & opus auaritiæ. Et non erit qui extinguat.* Hæc illo; quæ omnibus medditanda velem, & in cor altius infigenda, vt conſiderata eiuſmodi tormentorum acerbitate, reſipiſcant, mundaniſque delectationibus, igne æterno compenſandis, nuntium remittant, qui quidem ignis tormentum eſt ante omnia acerbiſſimum. *Comminatur Dominus pęnam ignis, tanquam pręcipuum tormentum,* vt dixit S. Bonauentura. Quanta verò ſit huius tormenti acerbitas humanæ cogitationis vires ſuperat. *Ignis ille durior eſt, quam quicquam in hoc ſaculo pœnarum, aut uidere, aut ſentire, aut quid cogitare quis poſſet.* Qui ergo euadere cupit, pœnitentiam ſerio agat, & pœnas æternas temporarijs, pœnitendo, redimat, vt gloriam, æternum duraturum, conſequatur.

Iſai. 1.

Iob. 13.

D. Ant. Pad ser. 1. aduc.

CA-



CAPVT IV.

Quod nulla in hac vita est pœnitentia quæ parua non sit, nec in Purgatorio pœna quæ magna dici non debeat.



PROVERBIORVM 25. vnumquemque nostrũ diuina horratur sapientia dicens. *Auser rubiginem de argento, & egredietur uas purissimum.* Facile est, quid per rubiginem intelligatur percipete, si quid vas significet videamus. Porrò vasa hominis sunt iuxta illud D. Pauli. *Habemus autem thesaurum istum in uasis fictilibus.* At verò rubigo macula est, quæ ex peccato relinquitur. Contulit ergo Dei spiritus, ex mente D. Bernardini, vt qui voluerit, ab omni inquinamento liber, non gustatis Purgatorij pœnis, in Dei conspectum se dare in vita præsenti pęnitentiæ, & macerationis beneficio maculas peccatorum abstergat. *Leua,* inquit, *rubiginem de argento, & eris uas purissimum, ita accidit in anima purgata, quæ relucet absque ulla macula.* Audiant hoc, qui satisfactionem reseruant in purgatorio reddendam, & ignorant quanta sit ignis illius acerbitas, de qua ita philosophatur S. Bernardinus. *Tantum interest inter ignem nostrum naturalem, ab igne purgatorij quantum differt ignis pictus a uero igne naturali.* Qui ergo vel minimam nostri ignis scintillam sustinere possunt, quomodo Purgatorij flammas perferent. Cum vero nulla sit in hac à vita pœnitentiæ ad ignem hunc composita leues non sint, & ignis hic in comparatione Purgatorij sit depictus; demens planè est, qui dum viuit pœnitentiam non agit, & satisfactionem ad Purgatorium reseruat, quia ibi nulla est leuis pœna, & nulla pœnitentia quæ grauis sit iudicanda. *Ideo gaudeatis,* ait S. Bernardinus, *quando datur uobis magna pœnitentia: quia si confessor tantam dat pœnitentiam, quanta sufficit: tunc non u..d:t in Purgatorium.* Quid ad hæc respondebunt, qui confessores sollicitant, vt lauescis pœnitentias imponant cum grauiores ab eis petere debuissent, vt absterſa peccatorum macula in paradisum admittantur. *Leua rubiginem de argento, & egredietur uas purissimum.*

Prou. 25.

2. Cor. 4.

D. Bern. Ser. 16. de pur

Nota.

S. Bern. vbi sup.

Vbi sup.

Nota.

Dicebat olim patientissimus Iob, vt doloris seu acerbitatem explicaret. *Manus Domini tetigit me*: per tactum verò manus, afflictionem intelligit, vt interpretatur D. Thomas quam vt potè magnam non nisi ex Dei manu procedere posse arbitrabatur. *Intelligebat enim se à Deo percussum,* & meritò, *quia* sicut dixit Philippus Presbyter, *Tangere est affligere.* Et vero adeo grauis est Dei manus, vt solus tactus Iob vehementer afflixerit, sed qui nunc afflictionem deplorat, antea quasi de illa gratulabundus, & exultans dicebat. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Et in 2. cap. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* En in afflictionibus gaudet, & de his etiam conqueritur quasi magnam sentiat molestiam. Quare hoc? dicam. Vbi nam sentit dolores, quibus cruciatur? In corpore, quia Deus non permisit Diabolo, vt animam cruciaret. *Dixit ergo Dominus ad Sathan: Ecce in manu tua est commentatur D. Thomas: idest potestatem tibi trado eum in corpore affligendi: Verum tamen animam illius serua.* In Purgatorio autem tormenta ad animam transeunt, & ijs torquetur. Et cum ibi nullum sit nisi magnum propter ignis acerbitatem Iob, pœnis corporeis contentus, quia cum acerbiores sunt, leues reputantur: dicit se tantummodo diuinæ manus tactum sustinuisse. *Manus Domini tetigit me*, & de temporarijs præsentis vitæ afflictionibus gratulor, & Deum propter huiusmodi glorifico, *Sit nomen Domini benedictum*. Quia hic maior pœnitentia leuissima est, & in Purgatorio leue tormentum reputare debet acerbissimũ.

Iob 19.

D. Thom. in Iob c. 19. Phil. Presb. ibi.

Iob 1.

Iob 2.

D. Thom. in Iob cap. 2.

Iob. 19. Verba Iob. *Manus Domini tetigit me*. Iterum verso, quibus se vehementer cruciatum lamentatur: nec sine causa, quod vt planum fiat, ponderandum est, quid Regi Balthasari inter cœnandum acciderit. Nam, vt dicit scriptura, manum hominis, in pariete scribentem inspexit vnde, turbari cæpit, & magno timore concuti. Dan. 5. *Rex aspiciebat articulos manus scribentis, tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur, exclamauit itaque Rex fortiter*. Porrò nihil iste plusquam tres digitos scribentes vidit, & quid scriberent non intellexit. Vnde ergo tantus pauor, & ingens turbatio? Nam, vt ait Lyranus ad illa Verba, Lyr. ibi. *tunc facies Regis immutata est, quia ex timore reuersus factus est sanguis ad cor, & per consequens factus est pallor in facie, & tremor in membris exterioribus, & statim exclamauit, quia non solum fuit turbatus in corde, sed etiam in voce*. Hæc ille, & Theodoretus. Theod. ibi. *Metus enim*, inquit, *vocem excutiebat, & animi perturbatio stimulabat; vt sententiam intelligeret*. Rationi præualebat timor, & morti se adiudicatum suspicabatur, vnde ad motum digitorum ipse concutiebatur. Glos. int. ibi. Glossa interlinealis. *Compages renum eius soluebantur nimio timore*. Hic sistendum, ac in Ægyptum considerатione transeundum. Nam cum grauissimis à Deo plagis afficerentur dicebant: Exod. 8. *Digitus Dei est hic*. Quid ergo mirum, vt tres digiti Balthasarem, ita concutiant, cum vnus tantum digitus AEgyptios sic affligebat? Et Iob afflictionis suæ magnitudinem exaggerat, quia tota Dei manus ipsum oppressit. *Manus Domini tetigit me*. *Et tangere est affligere*. At vnde nam tanta grauitas in Dei manu, vt ita vehementer cruciet, an exterreat? Dicam, vbi primum, vel Dei manus, vel tres digiti, vel vnus tantum mouetur, sapientiæ, & iustitiæ decreta intelliguntur, quæ Deus in hoc mundo exequitur. Vt ergo nos doceat grauiter curare, dum recusamus pœnitentiam, quia maior huius vitæ parua est, & in Purgatorio nulla, quæ magna non sit, quando aliquam tormentorum vmbram incutit, tactum manus appellat. *Manus Domini tetigit me*, vel trium digitorum solummodo. *In illa hora apparuerunt digiti quasi manus hominis*. Vel tandem vnius digiti cuius, & si minimus sit tanta est ad affligendum potestas, vt in eo Dei potentia, videatur esse constituta, idcirco in AEgypto dicebatur. *Tigitus Dei est hic*. Ex quo datur intelligi nullam esse pœnitentiæ afflictionem, quæ magna sit. Nec in Purgatorio pœnam quæ leuis censeri debeat. Nulla in hac vita pœna magna, si purgatorii comparetur

Proh flammarum Purgatorij atrocitatem! quæ omnem exuperant tolerantiam, quis poterit ardores illos sustinere? Quis pœnarum rigorem pati fallitur? qui sibi de patientia adhoc blanditur; satius esset pœnitentiam præmittere, & temporalibus vitæ huius afflictionibus ignis illius tormenta redimere. Audiant quicumque hanc prouidentiam obliti, in hac vita satisfactionem negligunt, quid Regius Vates Deum allocutus precabatur. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Psal. 6. Porrò quid veretur Dauid? Quid commisit, vt Deum absque furore, & iracundia supplicium sibi addere exposcat? Vriæ homicidium, ait S. Basilius, & Bersabee adulterium timet. Quasi dicens: *Ne succenseas propter Vriam, aut commouearis propter Bersabeam*. D. Basil. in psal. 6. At iam peccati huiusmodi Veniam fuerat adeptus, sic enim, Theodoreto attestante, dicebat: *Per Nathan veniam mihi dedisti*. Theod. in Ps. 50. Quid igitur timet, si iam obtinuit veniam? Primò petit non argui in hac vita, cum Deus furorem suum, iramque expromit, *Domine ne in furore tuo arguas me*. Et vt e vita decedens ira diuinæ rigorem non experiatur., *Neque in ira tua corripias me*. Quidnam vero in hoc intendit? Porrò in quolibet reatu duo inueniuntur vnum culpa, alterum pœna ipsi respondens. Cum ergo postulat furorem euadere intendit, vt condonata culpa etiam pęna remittatur, quam ad Purgatorium reseruari non vult. Forsan huc attendit Glossa interlinealis dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me, idest, hic seca, hic vre*. Glos. int. ibi. Addit Innocentius

Ter.

[...]m. 3. ibi. Tertius. *Neque in ira tua corripias me, id est non me punias in purgatorio igne*. Vt autem huius ignis atrocitatem euadat, pœnitentijs, & afflictionibus in vita præsenti extenuari desiderat, & hic tribulationis igne comburi, vt à Purgatorio liberetur. *Hic seca, hic vre, & non me punias purgatorio igne*. Itaque dum mente tractat, quod pœnam culpæ suæ correspondentem, vel in hoc mundo, vel in purgatorio soluere debeat, & flammarum illarum ardorem considerat, at cum præsentis vitæ calamitatibus confert, purgatorij tormenta immensum mundi huius pœnas excedere animaduertit, & ideo hic pati, & non in igne purgatorio torqueri exposcit. *Hic seca &c.*

Purgatorij [...]ne imen[...] [...]s mundi [...]cedunt.

Facit in hanc rem quod accidit Israelitis ex Tribu Ruben, & quod, ac dimidiæ tribus Manasses. Nam cum propè Iordanem accederent, in colle ibi vicino altare ædificerunt, in quo Idolis sacrificia obtulerunt, vt censuit Testatus, cuius rei conscij Israelitæ, indicto bello, crimen vindicare statuerunt. Quod cum delinquentibus innotuisset, culpæ veniam postularunt, per ignorantiam se accusantes, & pœnitentiam acturos promiserunt, dicentes. *Fortissimus Deus Dominus ipse nouit, & Israel simul intelliget, si præuaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos sed puniat nos in præsenti*: Mira sanè petitio, quis puniendus supplicijs dilationem non poposcit, & in ipsa dilatio ne liberari non spectauit; hi autem statim puniri contendunt. *Puniat nos*, hoc est ait Lyranus, *in præsenti pœna publica, & patenti*. Quod quidem non parum dedecoris afferre poterat, si toto populo inspectante punirentur. Cæterum hi prudenter se gesserunt; nam præmissa culpæ confessione, veniam consecuturos fidebant: obtenta autem venia sola pœna pro satisfactione soluenda in purgatorio supererat. Quid igitur agunt vt purgatorium euadant, vbi nulla est pœna lenis, in hac vita pęnam, quæ grauis non est, sustinere contendunt. Do Abulensem ita differentem. *Puniat nos in præsenti scilicet inferat nobis pœnas, & hoc in præsenti, id est non expectet nos per hoc ad aliquam pœnitentiam, sed in præsenti, id est immediatè puniat*. Quasi dixerint: ne pęnam differas in purgatorio soluendam: hic absque dilatione volumus, & parati sumus culpæ satisfactionem exhibere, quia quamlibet vitæ præsentis pœnam credimus leuem, & in Purgatorium omnem esse acerbissimam iudicamus.

Iosue 22.

Lyr. ibi.

[...]ræsentanea [...]rmenta [...]uit.

Abul. in Io[...] q. 22. in [...]plis. lit.

Quid ad hæc dicent, qui ad confessariorum pedes proiecti, post peccatorum confessionem leues pœnitentias sibi imponi sollicitant, in quo grauiter errant, & dum pœnæ grauitatem effugiunt, in pœnas incidunt longè grauiores, nam quælibet purgatorij pœna grauior est, quam quæcunque in hoc mundo sustineri potest. Audiant isti D. Bernardinum dicentem: *Si confessor dat paruam pœnitentiam, & non tantam, quanta est condigna pro satisfactione tuorum peccatorum: tunc tua anima vadit in Purgatorium, & ibi stat donec purgetur. Et ideo gaudeatis, quando datur vobis magna pœnitentia*. Quia hoc summoperè conducit, vt ab igne Purgatorio liberemur, cuius pœnam omnes vitæ huius afflictiones, & tormenta superare statuimus.

D. Bern. Ser. serm. 15. de purg.

Morale.

Aptissimo exemplo rem hanc illustrat D. Bernardinus in hunc modum. *Exemplum duorum, quorum vnus est filius Regis, qui sperat succedere in Regno patris: alter esset filius vnius rustici, qui semper speraret esse fatigatus circa opera ruralia. Et vterque eorum captiuaretur, & poneretur vniformiter in eodem carcere, & in eodem aculeo tormenti, vterque haberet labores, & pœnas. Quis putas haberet maiorem pœnam, an rusticus, vel filius regis? Certè rusticus, qui semper fuit solitus circa labores, & cibaria grossa, non tantum curabit de huiusmodi pœnis, quantum filius Regis, qui plus dolebit de regno gloriæ maiestatis suæ deperdito, & de pœnis illius acerrimi carceris*. Ita ille. Pariter ergo de igne Purgatorii, & inferni Philosophandum nobis est; nam vnus, idemque est ignis, & carcer idem, vt probatum reliquimus. Qui ergo acerbiores sentient cruciatus? Damnati qui per totam vitam in dæmonis seruitute transegerunt, an animæ purgatorij, quæ regni cælestis

D. Bern. vbi supra.

Nota.

hære-

hæredes sunt? Planè Purgatorij animæ, quæ tormentis detentæ Regnum cæleste expectant. Nam damnatus, vt potè dæmoni seruiens iam nouerat, se pœnis æternis mancipatum, & à Regni cælorum hæreditate exclusum: vndè inferes, acerbiorem esse pœnam Purgatorij illa, quam damnati in inferno sustinent.

Purgatorij acerbior pœna inferni aliquo modo dicitur.

Rem hanc illustro illa Dauidis obsecratione, qua Ioab, & alios contra Absalon pugnaturos, sic adhortabatur. *Et præcepit Rex Ioab, & Abisai, & Ethai dicens: seruate mihi puerum Absalon.* Mirum certè est, vt tanto studio filij liberationem procuraret, cum tamen ille Patrem bello persequeretur, & Regnum inuadere contenderet, vt eo mortuo pacem haberet, & regnum pacificè possideret. Adde, quod alij essent in exercitu, de quorum vita sollicitus esse poterat, eorũ tamen obliuiscitur, & pro solo Absalon pugnatores obtestatur, sic aduertit D. Chrysostomus. *Eum enim, qui causa fuerat malorum omnium, & quo mortuo, aduersa omnia finiebantur, hunc ducibus suis tota cura Dauid commendabat, ista illis iugiter replicans: Parcite filio meo Absalon.* At cur solius Absalonis vitam seruari adhortatur: Cum eo moriente vitam suam à periculo eximebat? In promptu causa est. Princeps erat Absalon, & ideo illius mors, & calamitas magis dolenda, quam aliorum, qui vtporè milites gregarij, moriendi periculo certius erant expositi, & eorum infelicitas non ita grauis, & deploranda. Ita Chrysostomus. *Filius Regis plus dolebit de Regno gloriæ maiestatis suæ deperdito, & de pœnis illius acerrimi carceris.* Non aliter Purgatorij animæ, cum sint regni cælestis hæredes, dum in carcere illo igneo detinentur, & gloria carent, necesse est, vt acerbius crucientur, quam animæ damnatorum, quæ in Domini gaudium nunquam sunt intraturæ, & quo ad hanc partem leuius, si fas est dicere, quàm animæ Purgatorij, cruciantur. *Certè rusticus, qui semper fuit solitus circa labores, & cibaria grossa, non tantum curabit de huiusmodi pœnis.* Cum ergo Purgatorij pœna tam acerba sit, vt inferni pœnas videatur excedere. Prorsus nulla in vita præsenti pœnitentia erit, quæ parua non sit. Atque adeo fidelium votis experenda, & omni studio procuranda erit, & cum à confessore iniungitur hilariter suscipienda. *Ideo gaudeatis, quando datur vobis magna pœnitentia.* Si quænam sit, quæ in hac vita magna debeat appellari.

2. Reg. 18.

D. Io. Chrys. 3. de prouid.



CAPVT V.

Quod pœnæ Purgatorij sua acerbitate pœnas superent, quas mors suis angustijs efficit, & in Christo passio eius tormentis suis operata est.



QVAMQVAM ex his, quæ superiori capite diximus, pœnarum Purgatorij crudelitas satis apparet; nihilominus adhuc nonnulla supersunt, quibus eadem crudelitas non mediocriter exprimitur, & in primis mors ipsa, quæ secundum naturam spectata, omnes vitæ dolores excedit. Item Christi passio, quæ tormenta omnia superauit. Quod si purgatorij pœnæ, mortis, & Christi passionis pœnas vincant, haud dubium illarum acerbitatem magnam esse, declaratur. Igitur, quod Purgatorij tormenta mortis pœnam excedant, sic demonstro. Peccante Adamo, Dominus ad paradisum descendisse perhibetur, vt inde expelleret, & apposito flammeo gladio, ingressum prohiberet. *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Et quidem, vt censuit D. Augustinus, hoc ita factum iuxta literam debet intelligi. *Hoc*, inquit, *per cælestes potestates, etiam in paradiso visibili factum esse credendum est, vt per Angelicum ministerium ibi esset quadam*

Gen. 3.

S. Aug. lib. 11. de ciu. c. 11

ignea custodia. Cæterum sufficiens videbatur ad custodiam, si Cherubinus gladium haberet, vt quid voluit Deus, vt igneus esset gladius? Et verò, vt notat Abulensis, flamma illa. *Vocatur gladius, quia sicut gladius acutus est, ita ignis in extremitate acuitur*. Ergo flamma illa gladio similis erat, & perbellè igneus ensis ad custodiam adhibetur, quia Deus ingressum paradisi prohibere intendebat. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*. Quid verò agit gladius? mortem minitatur. Quid item flamma? purgatorij pœnas designat. Congruè igitur, vt hominem ab ingressu in paradisum retardaret, & gladium, & flammam intentauit, hoc est mortem, & purgatorij pœnas. Et quasi mors ad terrendum non sufficeret, maiorem pęnam adhibuit, & ideo non contentus gladio, voluit insuper vt esset flammeus, & ignem purgatorij designaret, *Quia sicut gladius acutus est, ita ignis in extremitate acuitur*. Et grauioris tormenti acerbitate hominem deterreret, ne in paradisum auderet intrare. *Et flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*. Ex quo rectè infertur, purgatorij pænas mortis angustias excedere.

Psal. 6. Illud iterum Psalmographi in hanc rem produco. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Cur timet à Deo argui? & cuius criminis accusari veretur? Plane adulterij, S.Basil.ibi. & homicidij, quod comiserat. *Ne succenseas*, ait D. Basilius, *propter Vriam, aut commouearis propter Bersabeam*. At hoc iam fuerat condonatum, vt ipse fatetur. Theod. in Ps. 50. *Per Nathan veniam mihi dedisti*. Cæterum licet culpæ remissionem obtinuerat, nihilominus soluenda erat pœna, quæ in satisfactionem pro culpa debebatur, & de hac sollicitus est, & non in furore sibi à Deo in- D.Thom. in Psal.6. fligi exorat. *Modo autem*, vt loquitur S. Thomas, *arguit, sed non in furore, quia ad emendandum arguit, & non ad condemnandum: & hoc petit Dauid, cum dicit: neque in ira tua corripias me: quasi dicat: corripe me, sed non in ira, vel in furore, sed per flagella temporalia*. Deus modo punit, sed nõ in furore.

Itaque temporaliter hic affligi postulat, vt alibi seruetur illæsus. *Hic seca, hic vre*, dicit, & mortis si placet supplicium infer, vt in purgatorio parcas; D.Aug. in Glos. int. quia huius mundi pœnas, & ipsam mortem, si cum purgatorij pęnis comparentur, ita leues existimo, vt non in furore adhibitæ videantur. *Modo autem arguit, sed non in furore. Item corripe me, sed non in ira, vel furore, sed per flagella temporalia*. Etiam si sit mors igne data, cuius angustiæ, & tormentum, licet maius cæteris huius vitæ pęnis censeatur, attamen Purgatorij pœna illud excedit. Et ideo Dauid postulat: *Hic vre, hic seca*, vt à pœnis purgatorij liber euadam, iuxta illud Innocentij Tertij. Innoc. 3. *Non me punias in Purgatorio igne*. In quo non mediocriter sibi consuluit, siquidem omnes vitæ præsentis afflictiones, etiam quas mors efficit, à pœnis purgatorij superantur: vnde quas Deus hic infert, non in furore datas. *Modo autem arguit, sed non in furore*. Sed misericorditer illatas existimandum est, & de fęlici pœnarum comutatione gratulandum. Etsi acriter, misericorditer modo punit Deus. Vidimus qua ratione purgatorij pœna, mortis afflictiones excedat: nunc videndum, quod etiam tormenta passionis dominicæ vincat.

Cum iam Christi passio instaret, in hortum Gethsemani, orandi gratia se recepit: cumque ibi inter orandum mors se illi obijcerer, cæpit pauere, tædere, & mœstus esse; ita quod calicem passionis à se transire postulauerit, quamquam statim hoc carnis imbecillitati attribuens, dixit. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, Matt. 26. & deinde patrem sic est allocutus. *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*. S. Lucas rem hanc enarrans, Christum præ agonia sanguineo sudore perfusum asseuerat. Luc. 22. *Et factus*, inquit, *in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Huius autem sudoris causam existimat Lyranus fuisse ingentem tristitiam, quæ tunc Christi animum occupauit. *Ex vehementi enim anxietate, factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, & quidem sudor Lyr. ibi.

iste

iste sanguineus, non ex imbecillitate, sed ex animositate processit; vnde monet egregiè Beda: *Nemo sudorem huac infirmitati deputet, quia contra naturam est sudare sanguinem, sed potius intelligat per hoc nobis declaratum, quod effectum iam sua precis obtineret*, Ita ille, vbi vides, sudorem illum esse fructum orationis. At cur ex hac potius, quam ex alia fructus iste succreuit? Nec mors casu euenit, sed in oratione prima fuit meditata, & ibi ad subeundam mortem se obtuletat, dicens: *fiat voluntas tua*. Rationem affert Raulinus ex D. Augustino, & in horto Christum ter orasse testatur, Primo pro peccatoribus, Secundo pro perseuerantia iustorum, Tertio pro animabus purgatorij. Et tunc sudore sanguineo fuit respersus. *Orante autem*, inquit, *pro fidelium animabus tunc factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*. Nunc autem quæro: cur tunc vehementius cruciatur, & sudat? Quia plus dolet de pœnis alienis, quam de proprijs affligitur, in hoc enim verus consistit amantis affectus; ideo ait S. Ambrosius. *Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum*. Hinc est, vt obiecta ei morte adeo crudeli, & ignominijs plena, non sudat, sed dicit: *fiat voluntas tua*, cum autem purgatorij pœnæ obijciuntur, affligitur, & pro afflictione in sudorem abit. *Ex vehementi enim anxietate*, sudor ille prouenit. *Nam contra naturam est sudare sanguinem*. Hinc iam apparet, quam terribilis sit purgatorij pœna; siquidem cum oranti Christo mors sua, & tormenta passionis meditationeoccurrerent, tantum absuit, vt imbecillitatem ostenderet, quod potius ad moriendum se obtulerit, dicens: *fiat voluntas tua*. At verò cum purgatorij pœnæ illi ante oculos obuersarentur, propter earum acerbitatem, ideo fuit afflictione oppressus, vt in sudorem sanguineum abierit. *Orante autem pro fidelium animabus, tunc ex vehementi anxietate, factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*.

Bed ca. 92. sup fact. iud.

Sanguineus sudor, orationis fructus.

D. Aug. l. de cur. ger. pro mor. ap. Ioan. Paul. trac. 1. c. 7. de dottr. mort.

Amans plus de aliena quã de propria pœna affligitur.

D. Ambr. li. 10. in Luc. tom. 5.

Pergo vlterius: Cum orante Christo carnis infirmitas appareret, cœpit, *Caro autem infirma*, Pater æternus Angelum e cælo demisit, qui confortaret. *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum*. Ista verò apparitio facta est, vt ait Lyranus, *Visione Corporali in specie humana*. Hæc in horto: sed in cruce, inter moriendi angustias, ad Patrem conqueritur, dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Hoc est, versat Origenes, *Dereliquisti me pater, idest, talibus examinatum calamitatibus tradidisti*. Et verò huiusmodi quetela non ostendit Christum à Patre derelictum, quia hoc nefas est dicere, sed, teste D. Hilario, infirmitatis in moriente indicium est. *Nam querela derelicti morientis, infirmitas est*. At vbinam maiori angustia oppressus est Christus in horto, an in Caluario? Planè in Caluario, quia ibi tormentorum vi spiritum emisit, & tamen Angelus ei non mittitur, sicut in horto, vt morientem confortet. *Apparuit autem Angelus de cælo confortans eum, visione corporali in specie humana*: Quæ discriminis ratio? Vis videre? pęnarum differentiam expende; acerbiores enim sunt, quas anima patitur, quam corpus, & in horto anima patiebatur. *Tristis est anima mea*. Et ideo infert benè D. Hieronymus. *Anima est, qua timet, & tristatur*. Et hoc est, vt tenet Glossa interlinealis. *Pondus tribulationis*. At in Caluario corpus patiebatur. Cum ergo grauiores sint animæ afflictiones quam corporis, congrue cum anima patitur, Angelus mittitur ad confortandum, non sic cum in corpore pęnas sentiret. Ita Neotericus quidam. *Vnde cum maiores sint dolores animæ, quam corporis, de illis solatur Angelus Dominum, non de his*. Nunc ergo si pœnæ, quas in horto sustinuit, quia ad animam pertinent, illas excedunt, quas mors, & passio Christo attulerunt, quia in corpore sustinuit: Plane purgatorij pęna omnia mundi tormenta, quæ concipi possunt absque dubio exuperant. S. Bernardini Senensis placitum refero. *Omnes*, inquit, *pœna, qua possunt excogitari in hoc mundo, & pœna Christi, & omnium aliorum martyrum, caterarumque personarum, & creaturarum, nihil sunt respectu pœna purgatorij*. Quod

Matt. 26.

Luc. 22.

Lyr. ibi.

Matth. 27.

D. Hila. tractat. 35.

Tribulatio non indiget cæli confortatione.

D. Hier. in c. 26. Matth. Glos. int. ibi

Mensfo. in ser. de purg.

D. Bern. Sen. serm. 15. de purg.

adeò verum est, vt vbicunque pœnæ, ac tormenta inueniuntur sustinenda, nihil in eis ita graue, quam vbi quædam purgatorij vmbra cernitur, vt videre est apud Iob cap. 41. dicentem: *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Quod tantundem valet, iuxta glossam moralem, ac si diceret. *Peracto iudicio*, Angeli timore correpti, per ignem purgatorij transibunt. Non equidem per purgatorium, quod communiter vocamus, sed Angeli tunc temporis, vt tenet Lyranus, quoddam purgatorij genus habebunt, quod eis per diuinam illuminationem, earum rerum ignorantiam, quam hactenus habebant, absterget, & de hoc loquitur Iob, dicens: *Territi purgabuntur*. Ergo Lyranus ex sententia D. Thomæ. *Licet*, inquit, *in Angelis non sit purgatio ab immunditia, tamen est ibi purgatio à nescientia, in quantum per illuminationes diuinas, seu effectus eius mirabiles, immediatè ab eo procedentes, Angeli sancti aliqua cognoscunt, quæ prius nesciebant.* Ita ille. Vbi vides illuminationem diuinam, qua Angelorum nescientia tollitur, dici purgationem. Et cum illuminatio quandam præseferat suauitatem; nihilominus, quia speciem purgationis præfert, adeo terribilis est, vt Angelos terrefaciat. *Territi purgabuntur*. Vnde conijcies quanta sit pœnarum purgatorii terribilitas, vt Angelos, qui nec mori possunt, nec maculas habent, à quibus purgari debeant, sola purgatorii quædam species, & vmbra perterreat. *Licet in Angelis non sit purgatio ab immunditia, tamen est ibi purgatio à nescientia*, quæ propter purgationis vmbram terrorem incutit: *Territi purgabuntur*. Expendant huiusmodi pœnarum acerbitatem; quos vel punctio acus leuissima sic excruciat, vt intolerabilem exclament: Et disciplinam apprehendant, corpus pœnitentia macerent, ieiuniis extenuet, flagellis torqueant, & quando præmissa confessione magna iniungitur à confessore pœnitentia, hilariter suscipiant, & promptè exequantur, vt monebat S. Bernardinus: *Ideo gaudeatis, quando datur vobis magna pœnitentia. Quia si confessor tantam dat pœnitentiam, quanta sufficit, tunc non vadit ad Purgatorium.*

[Marginalia: Iob 41. — Glos. mor. — Angeli purgabuntur, & quomodo. — Lyr. ibi. D. Thom. in Iob 41. — Nota. — D. Bern. Sen. ser. 15. de purgat.]



CAPVT VI.

Quod in Purgatorio iuxta culpæ mensuram vnicuique pœna infligitur, & leues culpæ terribilibus pœnis castigantur.



ARDVVM nimis videtur, & rigorosum, vt quis propter leue delictum, pœnas exoluat acerbissimas: maximè, quia Purgatorii pœna omnibus modis vitæ huius pęnas excedunt. *Oportet*, inquit, S. Bernardinus, *quod purgatorij pœna, & cruciatus, quantum ad damnum, & quantum ad sensum, excedat omnem cruciatum, & præsentis vitę pœnam*, quam animæ in Purgatorio propter venialia sustinebunt. *Secunda veritas est, quod illi uadunt in purgatorium, qui sunt in aliquo peccato veniali*; quod ita facilè committunt homines, vt nihil se egisse putent, cum tamen propter illud grauissimarum pęnarum rei efficiantur. Vt autem propositum institutum illustremus, ordiendum est ab illo, Ioannis testimonio, ex Apoc. 14. vbi ita. *Amodo iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* Hoc est vniuscuiusque opera pręadicant, qualem in futura vita statum sit obtenturus. Miraberis; Cur operum testimonio adscribat, quod ipse propter infinitam scientiam, quàm res nulla effugit, prædicare debeat. Verum maluit operibus hoc iudicium attribuere, quia, qualia sunt cuiusque opera, talis eum manet exitus, vel ad paradisum euehitur, vel in infernum detruditur, vel in purgatorio constituunt, vbi anima, pro operum qualitate, pęnas sustinet. Hinc est illud D. Bernardini. *Porrò hic, uel ille, Purgatorius ignis plus, uel*

[Marginalia: D. Bern. Sen. ser. 65. de purg. c. 3. — D. Bern. Sen. ser. 12. de purgat. — Nota. — Apoc. 14. — Qualia opera, exitus talis. — D. Bern. Sen. ser. 63. de purg. c. 3.]

uel minus cruciat, secundum quod plus, uel minus quisque de cremabili secum adduxit: ideò prædictę pœnæ diuersitas est, non ex diuersitate ignis agentis, sed subiecti patientis. Hæc ille: ex quibus intelliges, opera cuiusque esse maioris, vel minoris pęnæ causam. Et ideo Dei spiritus nobis testimonium perhibuit, opera sua vnumquemque comitari, & iuxta culpam, adhiberi ignis torturam, cuius incendio, vel etiam leuis culpa castigatur.

Vel leuis culpa in Purgatorio punieda.

Facit in hanc rem, illud Apocalypsis, vbi iustitiæ diuinæ executoribus præcipitur, vt metricem illam tantum puniant, quantum deliquit. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Quam sententiam interpretatur S. Bernardinus, & animis in purgatorio degentibus accommodat, & particulas. *Tantum, & quantum*, ad explicandam pœnæ grauitatem aptissimè coniungit. *Sicut*, inquit, *sub eodem sole vnus plus æstuat, alter verò minus, vt ait Gregorius; necesse est enim, sicut ait Augustinus, quod tantum vrat dolor, quantum inhæserat amor, & tanto quisque torquea:ur diutius, quanto eius affectus venialius plus adhęrebat.* Itaque ignis ille, pro delicti mensura, grauius, seu leuius torquet delinquentem; semper tamen verum est, quod culpa leuis, flammatum acrimonia castigetur, quasi hoc sit proprium flammarum officium, delinquentes torquere, sicut ait Andreas Cretensis. *Vindictam meam de vobis, qui purgamini exercuit: sic vos iniuriam meam vindicate in illis.* Vnde manifestum euadit, iuxta culpam cuique pœnam adhiberi: & hoc est. *Quantum glorificauit se, tantum date illi tormentum.*

Apoc. 18.

D. Bern. Sen loco cit.

Andr. Cret in Apoc. c. 18

Affert etiam ad præsens institutum D. Thomas illa D. Pauli verba ad Corinth. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.* Porrò, vt ait S. Thomas. *Secundum Augustinum, per aurum significatur Dei contemplatio, per argentum dilectio proximorum, per lapides pretiosos bona opera.* De alijs tribus, videlicet, ligna, fœnum, & stipulam, expendendum est, quare Apostolus in tres species diuisit; cum illa omnia sint ignis materia, & vnum tantummodo assignare sufficiens videbatur. Cæterum ait D. Thomas; propter rerum consonantiam hoc egit: sicut enim aurum Dei contemplationem, argentum proximi charitatem, lapides pretiosi bona opera designant; sic etiam ligna, fęnum, & stipula peccata venialia ostendunt, in quibus est diuersitas; nam sicut illæ materiæ tardius, aut citius ab igne consumuntur, sic etiam peccata quædam modico tempore, quædam longiori spatio purgantur. Et quia, inquit, *quanto aliquid peccatum est grauius, tanto difficilius purgatur: in peccatis autem uenialibus inuenitur alterum altero grauius; ideò conuenienter eorum diuersitas signatur per diuersitatem eorum, quæ facilius, uel tardius consumuntur ab igne: & quia perfectio cuiuslibet quantitatis ternario comprehenditur, propter principium, medium, & finem: ideo triplex differentia ponitur, quia quædam sunt grauissima in genere uenialium, & difficillimè purgabilia; & hæc per lignum signantur, quædam minima, quæ per stipulam, quædam media, quæ per fœnum signantur.* Hactenus ille; Et sententiarum Magister adstipulatur dicens: *In illo autem igne purgatorio, alij tardius, alij citius pugnat, secundum, quod ista pereuntia magis, uel minus amauerunt.* Et statim: *unde non frustra illa tria distinxit Apostolus, lignum, fœnum, stipulam, quæ illi ædificant, qui & si aliena non rapiant, rebus tamen infirmitati concessis, aliqua dilectione inhærent. Qui secundum suos amandi modos, uel diutius ut lignum, uel minus, ut fęnum, uel minimum, ut stipulam, ignem sustinebunt.* Hactenus ille: vbi vides, quamlibet culpam, etsi leuem, *ut stipulam*, igne purgandam, nec aliud esse discrimen in pęnarum tolerantia, quam penes temporis spatium, quod pro culpæ qualitate, alijs minus, alijs magis protogatur. Omnes tamen vim ignis sustinent, quamuis leuiter deliquerint.

1. Cor. 3.

Ignis opera probabit.

D. Tho. in 4 dis. 21. qu. 1. art. 2.

D. Thom. vbi supra.

Diuersa crimina diuerse puniūtur

Nota.

Mag. sent. 4 dist. 21.

Huc trahi potest illud Leuitici de sacrificio Turturum, de quibus ita præcipitur

Leuit. 1. pitur: *Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit Domino de turturibus, aut pullis columbæ, offeret eam sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris, vesiculam verò gutturis. & plumas proijciet propè altare ad orientalem plagam in loco, in quo cineres effundi solent*. Duo hic sunt aduertenda: primum effusio sanguinis *super crepidinem altaris*. Secundum proiectus plumatum, & vesiculæ, *prope altare ad orientalem plagam in loco, in quo cineres effundi solent*. Et verò sanguis ad altare admittitur, plumæ verò, & vesicula ab eodem relegantur, & cineribus inuoluta combu. runtur. Quænam huius discriminis ratio? optimam assignat S. Antonius de Padua: dum plumarum, & vesicæ significationem exponit. *In vesicula*, inquit, *gutturis notatur ardor, & sitis auaritiæ; in pluma leuitas superbiæ*: Fauet huic interpretationi Glossa interlinealis, quæ legit, *inflationem vero gutturis*. Benè autem auaritia in gutturis vesica designatur, ibi grana congeruntur, vt aduertit Lyranus. *Vesiculam vero gutturis, vbi congregatur cibus*. Et plumæ superbiam, vanitatemque designant, vt idem Auctor est cum Salomone Rabbino. *Plumas proijciet, quia volauerunt ad capiendum cibum de alieno;* Vt autem detur intelligi, simile sacrificium Deo gratum non esse, plumæ ab altari remouentur. *Per hoc*, inquit, *designabatur, quod sacrificium de rapina non placet Deo*. Adhuc tamen inquiro: Nonne naturale est auibus, vt grana ad vescendum rapiant, & in gutture recondant? planè est: in quo ergo delinquunt, vt in pœnam ab altari expellantur, & in cineribus concrementur? Cur sicut sanguis iuxta altare effunditur, non ibi etiam plumæ, & vesicæ reponuntur? Ratio est, quia depositio iuxta altare, iustorum receptionem in beatitudine significat. Et quamquam auium volatus, & rapina ad vescendum naturalis sit, aliquam tamen culpæ speciem habet, ideo ab altari repelluntur: vt nouerimus, vnicuique pœnam culpæ respondentem irrogari ideo sanguis, in quo iusti significantur, *Super crepidinem altaris*. hoc est ad beatitudinem deferuntur. At vesicæ, & alæ, hoc est animæ purgatorij, quia adhuc illis purganda superest culpa, etsi leuis existat, extra altare in loco cinerum, hoc est in Purgatorio, flammis comburendæ, detinentur. Ex quo infertur, non solum irrogari pœnam cuiusque delicto proportionatam, sed etiam culpas leuissimas terribilibus flammarum incendijs castigari. *Vesiculam verò gutturis, vbi congregatur cibus, & plumas proijciet: Quia volauerunt ad capiendum cibum de alieno: quia sacrificium de rapina non placet Deo*.

D. Ant. Pad. ser. Dom. 4. qua. Glos. int.

Lyr. ibi.

Nota.

Rab. Sal. ap. Lyr.

Rab. Salo. vbi supra.

Deus plumas, id est vanitatem a sacrificio iubet remoueri.

Sacrificium de rapina nó placet Deo.

Duo veteris testamenti loca, inter se diuersa produco, ac in idem institutum verto. Primum ex Isaia, cuius labia cum essent polluta, seraphinus, arrepto calculo de altari, purificauit. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*. Hęc de purificatione Isaiæ. Cum verò Deus statueret Hierosolymam purgare, & pęnam iuxta peccatorum mensuram imponere decreuisset; Ezechieli præcepit. *Imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem*. Glossa plurali numero legit. *Imple manus tuas*. Vides, vt ad Isaiæ purificationem, vnus tantum calculus adhibeatur, vt autem ciuitas purificetur, ambas manus prunis iubet impleri, ac in ciuitatem effundi, vbique tamen ignis ministerio vtitur, quia teste D. Hieronymo, ad purificandum est accommodatior. *Imple*, inquit, *manus tuas prunis, vt post interfectionem, cadauera mortuorum mundet Hierusalem, secundum illud Isaiæ. Sanctificauit cum igne ardente, & deuorauit sicut feni materiam*. Quamquam diuersimodè ad purificationem applicetur. Prophetæ namque calculus solummodo, Hierusalem manus plenæ prunarum adhiberetur. *Notandum*, ait D. Hieronymus, *quod in Isaia, qui tantum in sermone peccauerat, & immunda labia se habere dicebat, ad purgandum vnus forcipe carbo comprehenditur. Hic verò, quia ciuitas plena est iniquitate, & post supplicia cadaue-*

Isai. 6.

Ezech. 10

Glos. ibi.

D. Hier. ibi.

daueribus mortuorum plures assumuntur carbones, nec vna manu, sed ambabus. Ita ille: vt autem detur intelligi, in Purgatorio (quod ille ignis Solymæ purificatorius designabat) non solum pœnam cuiusque delicto correspondentem irrogari, sed insuper leues culpas pœnis terribilibus castigari, voluit, vt ad purificationem Hierusalem ignis adhiberetur. *Sanctificauit eum igne ardente, & deuorauit sicut fœni materiam.*

Matt. 5. Addo illud ex D. Matthæo: cum seruo in carcere propter debitum cõiecto, minitatus est pater familias, dicens: *Amen dico tibi, non exies inde, donec red das nouissimum quadrantem.* Nimis rigorosa videtur eiusmodi exactio; nam, vt ait D. Hieronymus. *Quadrans genus nummi est, qui habet duo minuta.* Et ob paruam adeo quantitatem miser in carcere detinetur. Quis non paueat ad iudicis, & Patris familias seueritatem? Cæterum attendenda est quadrantis significatio, in quo culpa designatur, ob quam anima in purgatorio detinetur, vt autem notum omnibus sit, ibi pœnam culpæ proportionatam imponi, & insuper leuem culpam, grauissima pœna castigari: dicitur debitori e carcere non exiturum, vsque ad minuti extremi solutionem. *Hoc est ergo non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata persoluas.* Expendant iudicis in puniendo seueritatem fideles Animæ, & videant, quanto rigore culpas leuissimas ardentissimi ignis flamma castigat; vnde graues minimè impunitas relinquet; quinimò instar illius, qui vas igne purgat, vel minimam in eo fœcem extinguit; sic cum animabus purgatorij se geret, vt nulli parcat: hinc est illud D. Augustini. *Pro eo positum est quod nihil relinquitur impunitum, sicut cum volumus exprimere aliquid ita exactum, vt nihil relinquatur, dicimus: vsque ad fæcem.*

D. Hier. in Cat. aur.

Et minima in Purgatorio soluẽda.

D. Aug. l. 2. de fer. cap. 22

Postremò expendenda sunt pro hac re duæ Prophetarum visiones, altera Ieremiæ, cui Deus loquebatur dicens: *Quid tu vides, & dixit, ollam succensam ego video.* Altera vero ex Ezechiele, cui præcepit Deus. *Pone quoque eam super prunas vacuam,* idest ollam, *vt incalescat, & liquefiat æs eius, & conflетur in medio eius inquinamentum eius, & consumatur rubigo eius.* Deinde per Amos vaccas pingues minitatur, quod earum carnes in ollis feruentibus coquendæ sint. *Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, eleuabunt uos incontis, & reliquias uestras in ollis feruentibus.* Magna est, & mirabilis hæc puniendi varietas: quia huiusmodi vaccis præfatas ollas minitatur, quæ tamen inæquales sunt; etenim vna dicitur ardens. *Ollam succensam.* Altera dicitur vacua, super prunas costituta. *Super prunas uacuam.* Quodnam in hac varietate mysterium absconditur? Magnum certè, quod Glossa interlinealis aduertit dicens: *Ollam succensam. Regem Babylonium, & Vrbem Hierusalem significat.* Olla vero Ezechielis significat cor hominis, quod in igne omnem debet malitiam expurgare, vt innuit lectio Glossæ, pro eo, quod vulgatus dicit. *Et consumatur rubigo eius*: legendo, *& consumatur malitia eius.* At verò olla, quam vaccis Amos interminat, ignem tribulationis denotat, in quo mirificè cruciabuntur. *Reliquias uestras in ollis igne tribulationis decoquamini.* Quid causæ est, vt cum in his ollis quædam iustitiæ diuinæ in puniendis peccatis species eluceat, non sint æqualia vbique tormenta, sed olla Regis Babylonis, & Hierusalem, non ita ardet? Et vaccæ solo igne tribulationis torquentur, & non vbique eadem est tormentorum grauitas? Porrò discriminis ratio est, quia vaccæ Purgatorij animas designant, & ignis, quo torquentur, incendium illud manifestat. Cum autem ibi pœna iuxta culpam mensuretur, pro Rege Babylonio, qui grauius deliquit, olla magis succensa præuenitur. *Ollam succensam ego uideo.* Illa verò, quam vidit Ezechiel, non ita grauem hominis malitiam significat, & ideo vacua, nec ita ardens describitur. *Super prunas uacuam, ut incalescat, & liquefiat as eius, & consumatur rubigo eius.* Vaccæ, quarum culpa non sic enormis describitur, igne tribulationis decoquuntur. *Reliquias uestras in ollis igne tribulationis decoquamini*: Et

Iere. 1.

Ezech. 24.

Amos 5.

Glos. interl. in Ier. 1.

Glos. interl. in Ezec. 24.

Glos. int. in Amos. 4.

Varius in Purgatorio puniẽdi modus.

quam-



CAPVT IV.

Quod nulla in hac vita est pœnitentia quæ parua non sit, nec in Purgatorio pœna quæ magna dici non debeat.


ROVERBIORVM 25. vnumquemque nostrũ diuina hortatur sapientia dicens. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur uas purissimum.* Prou. 25. Facile est, quid per rubiginem intelligatur percipere, si quid vas significet videamus. Porrò vasa hominis sunt iuxta illud D. Pauli. *Habemus autem thesaurum istum in uasis fictilibus.* 2. Cor. 4. At verò rubigo macula est, quæ ex peccato relinquitur. Contulit ergo Dei spiritus, ex mente D. Bernardini, vt qui voluerit, ab omni inquinamento liber, non gustatis Purgatorij pœnis, in Dei conspectum se dare in vita præsenti pœnitentiæ, & macerationis beneficio maculas peccatorum abstergat. D. Bern. Ser. 16. de pur. *Leua,* inquit, *rubiginem de argento, & eris uas purissimum, ita accidit in anima purgata, quæ relucet: absque ulla macula.* Nota. Audiant hoc, qui satisfactionem reseruant in purgatorio reddendam, & ignorant quanta sit ignis illius acerbitas, de qua ita philosophatur S. Bernardinus. S. Bern. vbi sup. *Tantum interest inter ignem nostrum naturalem, ab igne purgatorij quantum differt ignis pictus a uero igne naturali.* Qui ergo vel minimam nostri ignis scintillam sustinere possunt, quomodo Purgatorij flammas perferent. Cum vero nulla sit in hac vita pœnitentiæ ad ignem hunc composita leues non sint, & ignis hic in comparatione Purgatorij sit depictus; demens planè est, qui dum viuit pœnitentiam non agit, & satisfactionem ad Purgatorium reseruat, quia ibi nulla est leuis pœna, & nulla pœnitentia quæ grauis sit iudicanda. *Ideo gaudeatis,* ait S. Bernardinus, *quando datur uobis magna pœnitentia: quia si confessor tantam dat pœnitentiam, quanta sufficit: tunc non u[a]dit in Purgatorium.* Vbi sup. Quid ad hæc respondebunt, qui confessores sollicitant, vt lauescis pœnitentias imponant cum grauiores ab eis petere debuissent, vt absterfa peccatorum macula in paradisum admittantur. Nota. *Leua rubiginem de argento, & egredietur uas purissimum.*

Dicebat olim patientissimus Iob, vt doloris seu acerbitatem explicaret. Iob 19. *Manus Domini tetigit me*: per tactum verò manus, afflictionem intelligit, vt interpretatur D. Thomas quam vt potè magnam non nisi ex Dei manu procedere posse arbitrabatur. D. Thom. in Iob c. 19. *Intelligebat enim se à Deo percussum,* & meritò, *quia* sicut dixit Philippus Presbyter, Phil. Presb. ibi. *Tangere est affligere.* Et vero adeo grauis est Dei manus, vt solus tactus Iob vehementer afflixerit, sed qui nunc afflictionem deplorat, antea quasi de illa gratulabundus, & exultans dicebat. Iob 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Et in 2. cap.* Iob 2. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* En in afflictionibus gaudet, & de his etiam conquæritur quasi magnam sentiat molestiam. Quare hoc? dicam. Vbi nam sentit dolores, quibus cruciatur? In corpore, quia Deus non permisit Diabolo, vt animam cruciaret. D. Thom. in Iob cap. 2. *Dixit ergo Dominus ad Sathan: Ecce in manu tua est commentatur D. Thomas: id est potestatem tibi trado eum in corpore affligendi. Verum tamen animam illius serua.* In Purgatorio autem tormenta ad animam transeunt, & ijs torquetur. Et cum ibi nullum sit nisi magnum propter ignis acerbitatem Iob, pœnis corporeis contentus, quia cum acerbiores sunt, leues reputantur: dicit se tantummodo diuinæ manus tactum sustinuisse. *Manus Domini tetigit me,* & de temporarijs præsentis vitæ afflictionibus gratulor, & Deum propter huiusmodi glorifico, *Sit nomen Domini benedictum.* Quia hic maior pœnitentia leuissima est, & in Purgatorio leue tormentum reputare debet acerbissimũ.

Ver-

Iob. 19. Verba Iob. *Manus Domini tetigit me*. Iterum verso, quibus se vehementer cruciatum lamentatur: nec sine caufa, quod vt planum fiat, ponderandum eft, quid Regi Balthafari inter cœnandum acciderit. Nam, vt dicit fcriptura, manum hominis, in pariete fcribentem infpexit vnde, turbari cæpit, & magno timore concuti. *Rex afpiciebat articulos manus fcribentis, tunc facies Regis commutata eft, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius foluebantur, & genua eius ad fe inuicem collidebantur*, exclamauit itaque Rex fortiter. Porrò nihil ifte plufquam tres digitos fcribentes vidit, & quid fcriberent non intellexit. Vnde ergo tantus pauor, & ingens turbatio? Nam, vt ait Lyranus ad illa Verba, *tunc facies Regis immutata eft, quia ex timore reuerfus factus eft fanguis ad cor, & per confequens factus eft pallor in facie, & tremor in membris exterioribus, & ftatim exclamauit, quia non folum fuit turbatus in corde, fed etiam in voce*. Hæc ille, & Theodoretus. *Metus enim*, inquit, *vocem excutiebat, & animi perturbatio ftimulabat; vt fententiam intelligeret*. Rationi prænalebat timor, & morti fe adiudicatum fufpicabatur, vnde ad motum digitorum ipfe concutiebatur. Gloffa interlinealis. *Compages renum eius folutbantur nimio timore*. Hic fiftendum, ac in Ægyptum confideratione tranfeundum. Nam cum grauiffimis à Deo plagis afficerentur dicebant: *Digitus Dei eft hic*. Quid ergo mirum, vt tres digiti Balthafarem, ita concutiant, cum vnus tantum digitus AEgyptios fic affligebat? Et Iob afflictionis fuæ magnitudinem exaggerat, quia tota Dei manus ipfum oppreffit. *Manus Domini tetigit me. Et tangere eft affligere*. At vnde nam tanta grauitas in Dei manu, vt ita vehementer cruciet, an exterreat? Dicam, vbi primum, vel Dei manus, vel tres digiti, vel vnus tantum mouetur, fapientiæ, & iuftitiæ decreta intelliguntur, quæ Deus in hoc mundo exequitur. Vt ergo nos doceat grauiter curare, dum recufamus pœnitentiam, quia maior huius vitæ parua eft, & in Purgatorio nulla, quæ magna non fit, quando aliquam tormentorum vmbram incutit, tactum manus appellat. *Manus Domini tetigit me*, vel trium digitorum folummodo. *In illa hora apparuerunt digiti quafi manus hominis*. Vel tandem vnius digiti cuius, & fi minimus fit tanta eft ad affligendum poteftas, vt in eo Dei potentia, videatur effe conftituta, idcirco in AEgypto dicebatur. *Tigitus Dei eft hic*. Ex quo datur intelligi nullam effe pœnitentiæ afflictionem, quæ magna fit. Nec in Purgatorio pœnam quæ leuis cenfeti debeat.

Dan. 5.

Lyr. ibi.

Theod. ibi.

Glof. int. ibi.

Exod. 8.

Nulla in hac vita pœna magna, fi purgatorii comparetu

Proh flammarum Purgatorij atrocitatem! quæ omnem exuperant tolerantiam, quis poterit ardores illos fuftinere? Quis pœnarum rigorem pati fallitur? qui fibi de patientia adhoc blanditur; fatius effet pœnitentiam præmittere, & temporalibus vitæ huius afflictionibus ignis illius tormenta redimere. Audiant quicumque hanc prouidentiam obliti, in hac vita fatisfactionem negligunt, quid Regius Vates Deum allocutus precabatur. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Porrò quid veretur Dauid? Quid commifit, vt Deum abfque furore, & iracundia fupplicium fibi addere expofcat? Vriæ homicidium, ait S. Bafilius, & Berfabee adulterium timet. Quafi dicens: *Ne fuccenfeas propter Vriam, aut commouearis propter Berfabeam*. At iam peccati huiufmodi Veniam fuerat adeptus, fic enim, Theodoreto atteftante, dicebat: *Per Nathan veniam mihi dedifti*. Quid igitur timet, fi iam obtinuit veniam? Primò petit non argui in hac vita, cum Deus furorem fuum, iramque expromit, *Domine ne in furore tuo arguas me*. Et vt e vita decedens ira diuinæ rigorem non experiatur., *Neque in ira tua corripias me*. Quidnam vero in hoc intendit? Porrò in qnolibet reatu duo inueniuntur vnum culpa, alterum pœna ipfi refpondens. Cum ergo poftulat furorem euadere intendit, vt condonata culpa etiam pęna remittatur, quam ad Purgatorium referuari non vult. Forfan hnc attendit Gloffa interlinealis dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me, ideft, hic feca, hic vre*. Addit Innocentius,

Pfal. 6.

D. Bafil. in pfal. 6.

Theod. in pf. 50.

Glof. int. ib.

Ter-

uno. 3. ibi. Tertius. *Neque in ira tua corripias me, idest non me punias in purgatorio igne.* Vt autem huius ignis atrocitatem euadat, pœnitentijs, & afflictionibus in vita præsenti extenuari desiderat, & hic tribulationis igne comburi, vt à Purgatorio liberetur. *Hic seca, hic vre, & non me punias purgatorio igne.* Itaque dum mente tractat, quod pœnam culpæ suæ correspondentem, vel in hoc mundo, vel in purgatorio soluere debeat, & flammarum illarum ardorem considerat, ac cum præsentis vitæ calamitatibus confert, purgatorij tormenta immensum mundi huius pœnas excedere animaduertit, & ideo hic pati, & non in igne purgatorio torqueri exposcit. *Hic seca &c.*

Purgatorij pœnæ immensis mundi excedunt.

Facit in hanc rem quod accidit Israelitis ex Tribu Ruben, & quod, ac dimidiæ tribus Manasses. Nam cum propè Iordanem accederent, in colle ibi vicino altare ædificerunt, in quo Idolis sacrificia obtulerunt, vt censuit Tostatus, cuius rei conscij Israelitæ, indicto bello, crimen vindicare statuerunt. Quod cum delinquentibus innotuisset, culpæ veniam postularunt, per ignorantiam se accusantes, & pœnitentiam acturos promiserunt, dicentes. *Fortissimus Deus Dominus ipse nouit, & Israel simul intelliget, si præuaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos sed puniat nos in præsenti:* Mira sanè petitio, quis puniendus supplicijs dilationem non poposcit, & in ipsa dilatio ne liberari non sperauit; hi autem statim puniri contendunt. *Puniat nos,* hoc est ait Lyranus, *in præsenti pœna publica, & patenti.* Quod quidem non parum dedecoris afferre poterat, si toto populo inspectante punirentur. Cæterum hi prudenter se gesserunt; nam præmissa culpæ confessione, veniam consecuturos fidebant: obtenta autem venia sola pœna pro satisfactione soluenda in purgatorio supererat. Quid igitur agunt vt purgatorium euadant, vbi nulla est pœna leuis, in hac vita pęnam, quæ grauis non est, sustinere contendunt. Do Abulensem ita differentem. *Puniat nos in præsenti scilicet inferat nobis pœnas, & hoc in præsenti, idest non expectet nos per hoc ad aliquam pœnitentiam, sed in præsenti, idest immediatè puniat.* Quasi dixerint: ne pęnam differas in purgatorio soluendam: hic absque dilatione volumus, & parati sumus culpæ satisfactionem exhibere, quia quamlibet vitæ præsentis pœnam credimus leuem, & in Purgatorium omnem esse acerbissimam iudicamus.

Iosue 22.

Lyr. ibi.

Præsentanea tormenta ... uit.

Abul. in Io. q. 22. in ... plis. lit.

Quid ad hæc dicent, qui ad confessariorum pedes proiecti, post peccatorum confessionem leues pœnitentias sibi imponi sollicitant, in quo grauiter errant, & dum pœnæ grauitatem effugiunt, in pœnas incidunt longè grauiores, nam quælibet purgatorij pœna grauior est, quam quæcunque in hoc mundo sustineri potest. Audiant isti D. Bernardinum dicentem: *Si confessor dat paruam pœnitentiam, & non tantam, quanta est condigna pro satisfactione tuorum peccatorum: tunc tua anima vadit in Purgatorium, & ibi stat donec purgetur. Et ideo gaudeatis, quando datur vobis magna pœnitentia.* Quia hoc summoperè conducit, vt ab igne Purgatorio liberemur, cuius pœnam omnes vitæ huius afflictiones, & tormenta superare statuimus.

D. Bern. Son. serm. 15. de purg.

Morale.

Aptissimo exemplo rem hanc illustrat D. Bernardinus in hunc modum. *Exemplum duorum, quorum vnus est filius Regis, qui sperat succedere in Regno patris: alter esset filius vnius rustici, qui semper speraret esse fatigatus circa opera ruralia. Et vterque eorum captiuaretur, & poneretur vniformiter in eodem carcere, & in eodem aculeo tormenti, vterque haberet labores, & pœnas. Quis putas haberet maiorem pœnam, an rusticus, vel filius regis? Certè rusticus, qui semper fuit solitus circa labores, & cibaria grossa, non tantum curabit de huiusmodi pœnis, quantum filius Regis, qui plus dolebit de regno gloria maiestatis suæ deperdito, & de pœnis illius acerrimi carceris.* Ita ille. Pariter ergo de igne Purgatorii, & inferni Philosophandum nobis est; nam vnus, idemque est ignis, & carcer idem, vt probatum reliquimus. Qui ergo acerbiores sentient cruciatus? Damnati qui per totam vitam in dæmonis seruitute transegerunt, an animæ purgatorij, quæ regni cælestis

D. Bern. vbi supra.

Nota.

hæredes sunt? Planè Purgatorij animæ, quæ tormentis detentæ Regnum cæleste expectant. Nam damnatus, vt potè dæmoni seruiens iam nouerat, se pœnis æternis mancipatum, & à Regni cælorum hæreditate exclusum: vnde inferers, acerbiorem esse pœnam Purgatorij illa, quam damnati in inferno sustinent.

Purgatorij acerbior pœna inferni quo modo dicitur.

Rem hanc illustro illa Dauidis obsecratione, qua Ioab, & alios contra Absalon pugnaturos, sic adhorrabatur. *Et præcepit Rex Ioab, & Abisai, & Ethai dicens: seruate mihi puerum Absalon.* Mirum certè est, vt tanto studio filij liberationem procuraret, cum tamen ille Patrem bello persequeretur, & Regnum inuadere contenderet, vt eo mortuo pacem haberet, & regnum pacificè possideret. Adde, quod alij essent in exercitu, de quorum vita sollicitus esse poterat, eorũ tamen obliuiscitur, & pro solo Absalon pugnatores obtestatur, sic aduertit D. Chrysostomus. *Eum enim, qui causa fuerat malorum omnium, & quo mortuo, aduersa omnia finiebantur, hunc ducibus suis tota cura Dauid commendabat, ista illis iugiter replicans: Parcite filio meo Absalon.* At cur solius Absalonis vitam seruari adhorratur: Cum eo moriente vitam suam à periculo eximebat? In promptu causa est. Princeps erat Absalon, & ideo illius mors, & calamitas magis dolenda, quam aliorum, qui vtpotè milites gregarij, moriendi periculo certius erant expositi, & eorum infelicitas non ita grauis, & deploranda. Ita Chrysostomus. *Filius Regis plus dolebit de Regno gloriæ maiestatis sua deperdito, & de pœnis illius acerrimi carceris.* Non aliter Purgatorij animæ, cum sint regni cælestis hæredes, dum in carcere illo igneo detinentur, & gloria carent, necesse est, vt acerbius crucientur, quam animæ damnatorum, quæ in Domini gaudium nunquam sunt intraturæ, & quo ad hanc partem leuius, si fas est dicere, quàm animæ Purgatorij, cruciantur. *Certè rusticus, qui semper fuit solitus circa labores, & cibaria grossa, non tantum curabit de huiusmodi pœnis.* Cum ergo Purgatorij pœna tam acerba sit, vt inferni pœnas videatur excedere. Prorsus nulla in vita præsenti pœnitentia erit, quæ parua non sit. Atque adeo fidelium votis expetenda, & omni studio procuranda erit, & cum à confessore iniungitur hilariter suscipienda. *Ideo gaudeatis, quando datur vobis magna pœnitentia.* Si quænam sit, quæ in hac vita magna debeat appellari.

2. Reg. 18.

Io. Chrys. de prouid. ...



CAPVT V.

Quod pœnæ Purgatorij sua acerbitate pœnas superent, quas mors suis angustijs efficit, & in Christo passio eius tormentis suis operata est.



QVAMQVAM ex his, quæ superiori capite diximus, pœnarum Purgatorij crudelitas satis apparet; nihilominus adhuc nonnulla supersunt, quibus eadem crudelitas non mediocriter exprimitur, & in primis mors ipsa, quæ secundum naturam spectata, omnes vitæ dolores excedit. Item Christi passio, quæ tormenta omnia superauit. Quod si purgatorij pœnæ, mortis, & Christi passionis pœnas vincant, haud dubium illarum acerbitatem magnam esse, declaratur. Igitur, quod Purgatorij tormenta mortis pœnam excedant, sic demonstro. Peccante Adamo, Dominus ad paradisum descendisse perhibetur, vt inde expelleret, & apposito flammeo gladio, ingressum prohiberet. *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Et quidem, vt censuit D. Augustinus, hoc ita factum iuxta literam debet intelligi. *Hoc*, inquit, *per cælestes potestates, etiam in paradiso visibili factum esse credendum est, vt per Angelicum ministerium ibi esset quædam*

ignea custodia. Cæterum sufficiens videbatur ad custodiam, si Cherubinus gladium haberet, vt quid voluit Deus, vt igneus esset gladius? Et verò, vt notat Abulensis, flamma illa. *Vocatur gladius, quia sicut gladius acutus est, ita ignis in extremitate acuitur*. Ergo flamma illa gladio similis erat, & perbellè igneus ensis ad custodiam adhibetur, quia Deus ingressum pradisi prohibere intendebat. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*. Quid verò agit gladius? mortem minitatur. Quid item flamma? purgatorij pœnas designat. Congruè igitur, vt hominem ab ingressu in paradisum retardaret, & gladium, & flammam intentauit, hoc est mortem, & purgatorij pœnas. Et quasi mors ad terrendum non sufficeret, maiorem pęnam adhibuit; & ideo non contentus gladio, voluit insuper vt esset flammeus, & ignem purgatorij designaret. *Quia sicut gladius acutus est, ita ignis in extremitate acuitur*. Et grauioris tormenti acerbitate hominem deterreret, ne in paradisum auderet intrare. *Et flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*. Ex quo rectè infertur, purgatorij pœnas mortis angustias excedere.

Illud iterum Psalmographi in hanc rem produco. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. (*Psal. 6.*) Cur timet à Deo argui? & cuius criminis accusari veretur? Plane adulterij, & homicidij, quod comiserat. *Ne succenseas*, ait D. Basilius, (*S. Basil. ibi.*) *propter Vriam, aut commouearis propter Bersabeam*. At hoc iam fuerat condonatum, vt ipse fatetur. *Per Nathan veniam mihi dedisti*. (*Theod. in Ps. 50.*) Cæterum licet culpæ remissionem obtinuerat, nihilominus soluenda erat pœna, quæ in satisfactionem pro culpa debebatur, & de hac sollicitus est, & non in furore sibi à Deo infligi exorat. (*D. Thom. in Psal. 6.*) *Modo autem*, vt loquitur S. Thomas, *arguit, sed non in furore, quia ad emendandum arguit, & non ad condemnandum: & hoc petit Dauid, cum dicit: neque in ira tua corripias me: quasi dicat: corripe me, sed non in ira, vel in furore, sed per flagella temporalia*. (Deus modo punit, sed nō in furore.)

Itaque temporaliter hic affligi postulat, vt alibi seruetur illæsus. *Hic seca, hic vre*, dicit, & mortis si placet supplicium infer, vt in purgatorio parcas; (*D. Aug. in Glos. int.*) quia huius mundi pœnas, & ipsam mortem, si cum purgatorij pęnis comparentur, ita leues existimo, vt non in furore adhibitæ videantur. *Modo autem arguit, sed non in furore. Item corripe me, sed non in ira, vel furore, sed per flagella temporalia*. Etiam si sit mors igne data, cuius angustiæ, & tormentum, licet maius cæteris huius vitæ pęnis censeatur, attamen Purgatorij pœna illud excedit. Et ideo Dauid postulat: *Hic vre, hic seca*, vt à pœnis purgatorij liber euadam, iuxta illud Innocentij Tertij. *Non me punias in Purgatorio igne*. (*Innoc. 3.*) In quo non mediocriter sibi consuluit, siquidem omnes vitæ præsentis afflictiones, etiam quas mors efficit, à pœnis purgatorij superantur: vnde quas Deus hic infert, non in furore datas. *Modo autem arguit, sed non in furore*. Sed misericorditer illatas existimandum est, & de fęlici pœnarum comutatione gratulandum. (Etsi acriter, misericorditer modo punit Deus.) Vidimus qua ratione purgatorij pœna, mortis afflictiones excedat: nunc videndum, quod etiam tormenta passionis dominicæ vincat.

Cum iam Christi passio instaret, in hortum Gethsemani, orandi gratia se recepit: cumque ibi inter orandum, mors se illi obijceret, cæpit pauere, tædere, & mœstus esse; ita quod calicem passionis à se transire postulauerit, quamquam statim hoc carnis inbecillitati attribuens, dixit. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, (*Matt. 26.*) & deinde patrem sic est allocutus. *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*. S. Lucas rem hanc enarrans, Christum præ agonia sanguineo sudore perfusum asseuerat. *Et factus*, inquit, *in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. (*Luc. 22.*) Huius autem sudoris causam existimat Lyranus fuisse ingentem tristitiam, quæ tunc Christi animum occupauit. *Ex vehementi enim anxietate, factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, (*Lyr. ibi.*) & quidem sudor

iste

iste sanguineus, non ex imbecillitate, sed ex animositate processit; vnde monet egregiè Beda: *Nemo sudorem hunc infirmitati deputet, quia contra naturam est sudare sanguinem, sed potius intelligat per hoc nobis declaratum, quod effectum iam sua precis obtineret*. Ita ille, vbi vides, sudorem illum esse fructum orationis. At cur ex hac potius, quam ex alia fructus iste succreuit? Nec mors casu euenit, sed in oratione prima fuit medirata, & ibi ad subeundam mortem se obtulerat, dicens: *fiat voluntas tua*. Rationem affert Raulinus ex D. Augustino, & in horto Christum ter orasse testatur, Primo pro peccatoribus, Secundo pro perseuerantia iustorum, Tertio pro animabus purgatorij. Et tunc sudore sanguineo fuit respersus. *Orante autem*, inquit, *pro fidelium animabus tunc factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*. Nunc autem quæro: cur tunc vehementius cruciatur, & sudat? Quia plus dolet de pœnis alienis, quam de proprijs affligitur, in hoc enim verus consistit amantis affectus; ideo ait S. Ambrosius. *Minus enim contulerat mibi, nisi meum suscepisset affectum*. Hinc est, vt obiecta ei morte adeo crudeli, & ignominijs plena, non sudat, sed dicit: *fiat voluntas tua*, cum autem purgatorij pœnæ obijciuntur, affligitur, & pro afflictione in sudorem abit. *Ex vehementi enim anxietate*, sudor ille prouenit. *Nam contra naturam est sudare sanguinem*. Hinc iam apparet, quam terribilis sit purgatorij pœna; siquidem cum oranti Christo mors sua, & tormenta passionis meditatione occurrerent, tantum absuit, vt imbecillitatem ostenderet, quod potius ad moriendum se obtulerit, dicens: *fiat voluntas tua*. At verò cum purgatorij pœnæ illi ante oculos obuersarentur, propter earum acerbitatem, ideo fuit afflictione oppressus, vt in sudorem sanguineum abierit. *Orante autem pro fidelium animabus, tunc ex vehementi anxietate, factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*.

Pergo vlterius: Cum orante Christo carnis infirmitas apparere cœpit, *Caro autem infirma*, Pater æternus Angelum e cælo demisit, qui confortare. *Apparuit autem illi Angelus de calo, confortans eum*. Ista verò apparitio facta est vt ait Lyranus, *Visione Corporali in specie humana*. Hæc in horto: sed in cruce, inter moriendi angustias, ad Patrem conqueritur, dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Hoc est versat Origenes, *Dereliquisti me pater idest, talibus examinatum calamitatibus tradidisti*. Et verò huiusmodi querela non ostendit Christum à Patre derelictum, quia hoc nefas est dicere, sed, teste D. Hilario, infirmitatis in moriente indicium est. *Nam querela derelicti morientis, infirmitas est*. At vbinam maiori angustia oppressus est Christus in horto, an in Caluario? Planè in Caluario, quia ibi tormentorum vi spiritum emisit, & tamen Angelus ei non mittitur, sicut in horto, vt morientem confortet. *Apparuit autem Angelus de calo confortans eum, visione corporali in specie humana*: Quæ discriminis ratio? Vis videre? pœnarum differentiam expende; acerbiores enim sunt, quas anima patitur, quam corpus, & in horto anima patiebatur. *Tristis est anima mea*. Et ideo infert benè D. Hieronymus. *Anima est, qua timet, & tristatur* Et hoc est, vt tenet Glossa interlinealis. *Pondus tribulationis*. At in Caluario corpus patiebatur. Cum ergo grauiores sint animæ afflictiones quam corporis, congrue cum anima patitur Angelus mittitur ad confortandum non sic cum in corpore pęnas sentiret Ita Neotericus quidam. *Vnde cum maiores sint dolores animæ, quam corporis de illis solatur Angelus Dominum, non de his*. Nunc ergo si pœnæ, quas in horto sustinuit, quia ad animam pertinent, illas excedunt, quas mors, & passio Christo attulerunt, quia in corpore sustinuit: Plane purgatorij pęna omnia mundi tormenta, quæ concipi possunt absque dubio exuperant. S. Bernardini Senensis placitum refero *Omnes*, inquit, *pœna, qua possunt excogitari in hoc mundo, & pœna Christi, & omnium aliorum martyrum, cæterarum que personarum, & creaturarum, nihil sunt respectu pœna purgatorij*. Quo

Bed ca.92. sup Luc.

Sanguineus sudor, oratio nis fructus.

D. Aug. l. de ... pro ... Paul. trac. 1. ... 7. de doctr. ...

Amans plus de aliena quã de propria pœna affligitur.

D. Ambr. li. 10. in Luc. cap. 5.

adeò verum est, vt vbicunque pœnæ, ac tormenta inueniuntur sustinenda, nihil in eis ita graue, quam vbi quædam purgatorij vmbra cernitur, vt videre est apud Iob cap. 41. dicentem: *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur*. Quod tantundem valet, iuxta glossam moralem, ac si diceret. *Peracto iudicio*, Angeli timore correpti, per ignem purgatorij transibunt. Non equidem per purgatorium, quod communiter vocamus, sed Angeli tunc temporis, vt tenet Lyranus, quoddam purgatorij genus habebunt, quod eis per diuinam illuminationem, earum rerum ignorantiam, quam hactenus habebant, absterget, & de hoc loquitur Iob, dicens: *Territi purgabuntur*. Ergo Lyranus ex sententia D. Thomæ. *Licet*, inquit, *in Angelis non sit purgatio ab immunditia, tamen est ibi purgatio à nescientia, in quantum per illuminationes diuinas, seu effectus eius mirabiles, immediatè ab eo procedentes, Angeli sancti aliqua cognoscunt, quæ prius nesciebant*. Ita ille. Vbi vides illuminationem diuinam, qua Angelorum nescientia tollitur, dici purgationem. Et cum illuminatio quandam præseferat suauitatem; nihilominus, quia speciem purgationis præfert, adeo terribilis est, vt Angelos terrefaciat. *Territi purgabuntur*. Vnde conijcies quanta sit pœnarum purgatorii terribilitas, vt Angelos, qui nec mori possunt, nec maculas habent, à quibus purgari debeant, sola purgatorii quædam species, & vmbra perterreat. *Licet in Angelis non sit purgatio ab immunditia, tamen est ibi purgatio à nescientia*, quæ propter purgationis vmbram terrorem incutit: *Territi purgabuntur*. Expendant huiusmodi pœnarum acerbitatem; quos vel punctio acus leuissima sic excruciat, vt intolerabilem exclament: Et disciplinam apprehendant, corpus pœnitentia macerent, ieiuniis extenuēt, flagellis torqueant, & quando præmissa confessione magna iniungitur à confessore pœnitentia, hilariter suscipiant, & promptè exequantur, vt monebat S. Bernardinus: *Ideo gaudeatis, quando datur vobis magna pœnitentia. Quia si confessor tantam dat pœnitentiam, quanta sufficit, tunc non vadis ad Purgatorium*.

Iob 41. — Glos. mor. — Angeli purgabuntur, & quomodo. — Lyr. ibi. D. Thom. in Iob 41. — Nota. — D. Bern. Sen. ser. 15. de purgat.



CAPVT VI.

Quod in Purgatorio iuxta culpæ mensuram vnicuique pœna infligitur, & leues culpæ terribilibus pœnis castigantur.



ARDVVM nimis videtur, & rigorosum, vt quis propter leue delictum, pœnas exoluat acerbissimas: maximè, quia Purgatorii pœna omnibus modis vitæ huius pęnas excedunt. *Oportet*, inquit, S. Bernardinus, *quod purgatorij pœna, & cruciatus, quantum ad damnum, & quantum ad sensum, excedat omnem cruciatum, & præsentis vitę pœnam*, quam animæ in Purgatorio propter venialia sustinebunt. *Secunda veritas est, quod illi uadunt in purgatorium, qui sunt in aliquo peccato veniali*; quod ita facilè committunt homines, vt nihil se egisse putent, cum tamen propter illud grauissimarum pęnarum rei efficiantur. Vt autem propositum institutum illustremus, ordiendum est ab illo, Ioannis testimonio, ex Apoc. 14. vbi ita. *Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos*. Hoc est vniuscuiusque opera prędicant, qualem in futura vita statum sit obtenturus. Miraberis; Cur operum testimonio adscribat; quod ipse propter infinitam scientiam, quàm res nulla effugit, prædicare debeat. Verum maluit operibus hoc iudicium attribuere, quia, qualia sunt cuiusque opera, talis eum manet exitus, vel ad paradisum euehitur, vel in infernum detruditur, vel in purgatorio constituuntur, vbi anima, pro operum qualitate, pęnas sustinet. Hinc est illud D. Bernardini. *Porrò hic, uel ille, Purgatorius ignis plus, uel*

D. Bern. Sen. ser. 65. de purg. c. 3. — D. Bern. Sen. ser. 12. de purgat. — Nota. — Apoc. 14. — Qualia opera, exitus talis. — D. Bern. Sen. ser. 63. de purg. c. 3.

uel minus cruciat, secundum quod plus, uel minus quisque de cremabili secum adduxit: ideò prædictæ pœna diuersitas est, non ex diuersitate ignis agentis, sed subiecti patientis. Hæc ille: ex quibus intelliges, opera cuiusque esse maioris, vel minoris pœnæ causam. Et ideo Dei spiritus nobis testimonium perhibuit, opera sua vnumquemque comitari, & iuxta culpam, adhiberi ignis torturam, cuius incendio, vel etiam leuis culpa castigatur.

Vel leuis culpa in Purgatorio punie-la.

Facit in hanc rem, illud Apocalypsis, vbi iustitiæ diuinæ executoribus præcipitur, vt metricem illam tantum puniant, quantum deliquit. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Quam sententiam interpretatur S. Bernardinus, & animis in purgatorio degentibus accommodat, & particulas. *Tantum, & quantum*, ad explicandam pœnæ grauitatem aptissimè coniungit. *Sicut*, inquit, *sub eodem sole vnus plus æstuat, alter verò minus, vt ait Gregorius; necesse est enim, sicut ait Augustinus, quod tantum vrat dolor, quantum inhæserat amor, & tanto quisque torquea:ur diutius, quanto eius affectus venialius plus adhærebat.* Itaque ignis ille, pro delicti mensura, grauius, seu leuius torquet delinquentem; semper tamen verum est, quod culpa leuis, flammarum acrimonia castigetur, quasi hoc sit proprium flammarum officium, delinquentes torquere, sicut ait Andreas Cretensis. *Vindictam meam de vobis, qui purgamini exercuit: sic vos iniuriam meam vindicate in illis.* Vnde manifestum euadit, iuxta culpam cuique pœnam adhiberi: & hoc est. *Quantum glorificauit se, tantum date illi tormentum.*

Apoc. 18.

D. Bern. Sermo eis.

Andr. Cret in Apoc. c. 18

Affert etiam ad præsens institutum D. Thomas illa D. Pauli verba ad Corinth. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.* Porrò, vt ait S. Thomas. *Secundum Augustinum, per aurum significatur Dei contemplatio; per argentum dilectio proximorum, per lapides pretiosos bona opera.* De alijs tribus, videlicet, ligna, fœnum, & stipulam, expendendum est, quare Apostolus in tres species diuisit; cum illa omnia sint ignis materia, & vnum tantummodo assignare sufficiens videbatur.

1. Cor. 3.

Ignis opera probabit.

D. Tho. in 4 dist. 21. qu. 1. art. 2.

Cæterum ait D. Thomas; propter rerum consonantiam hoc egit: sicut enim aurum Dei contemplationem, argentum proximi charitatem, lapides pretiosi bona opera designant; sic etiam ligna, fœnum, & stipula peccata venialia ostendunt, in quibus est diuersitas; nam sicut illæ materiæ tardius, aut citius ab igne consumuntur, sic etiam peccata quædam modico tempore, quædam longiori spatio purgantur. *Et quia*, inquit, *quanto aliquid peccatum est grauius, tanto difficilius purgatur: in peccatis autem uenialibus inuenitur alterum altero grauius; ideò conuenienter eorum diuersitas signatur per diuersitatem eorum, quæ facilius, uel tardius consumuntur ab igne: & quia perfectio cuiuslibet quantitatis ternario comprehenditur, propter principium, medium, & finem: ideo triplex differentia ponitur, quia quædam sunt grauissima in genere uenialium, & difficillime purgabilia; & hæc per lignum signantur, quædam minima, quæ per stipulam, quædam media, quæ per fœnum signantur.* Hactenus ille: Et sententiarum Magister adstipulatur dicens: *In illo autem igne purgatorio, alij tardius, alij citius pugnat, secundum, quod ista pereuntia magis, uel minus amauerunt.* Et statim: *unde non frustra illa tria distinxit Apostolus, lignum, fœnum, stipulam, quæ illi ædificant, qui & si aliena non rapiant, rebus tamen infirmitati concessis, aliqua dilectione inhærent. Qui secundum suos amandi modos, uel diutius ut lignum, uel minus, ut fœnum, uel minimum, ut stipulam, ignem sustinebunt.* Hactenus ille: vbi vides, quamlibet culpam, etsi leuem, ut stipulam, igne purgandam, nec aliud esse discrimen in pœnarum tolerantia, quam penes temporis spatium, quod pro culpæ qualitate, alijs minus, alijs magis prorogatur. Omnes tamen vim ignis sustinent, quamuis leuiter deliquerint.

D. Thom. supra.

Diuersa c mina diu se puniri

Nota.

Mag. sent dist. 21.

Huc trahi potest illud Leuitici de sacrificio Turturum, de quibus ita præcipitur:

Leuit. 1. pitur: *Si autem de auibus holocausti oblatio fuerit Domino de turturibus, aut pullis columbæ, offeret eam sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto uulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris; uesiculam verò gutturis, & plumas proijciet propè altare ad orientalem plagam in loco, in quo cineres effundi solent.* Duo hic sunt aduertenda: primum effusio sanguinis *super crepidinem altaris*. Secundum proiectus plumarum, & vesiculæ, *prope altare ad orientalem plagam in loco, in quo cineres effundi solent*. Et verò sanguis ad altare admittitur, plumæ verò, & vesicula ab eodem relegantur, & cineribus inuoluta combu. runtur. Quænam huius discriminis ratio? optimam assignat S. Antonius de Padua; dum plumarum, & vesicæ significationem exponit. *In vesicula*, inquit, *gutturis notatur ardor, & sitis auaritiæ; in pluma leuitas superbiæ*: Fauet huic interpretationi Glossa interlinealis, quæ legit, *inflationem vero gutturis*. Benè autem auaritia in gutturis vesica designatur, ibi grana congeruntur, vt aduertit Lyranus. *Vesiculam vero gutturis, vbi congregatur cibus*. Et plumæ superbiam, vanitatemque designant, vt idem Auctor est cum Salomone Rabbino. *Plumas proijciet, quia volauerunt ad capiendum cibum de alieno*; Vt autem detur intelligi, simile sacrificium Deo gratum non esse, plumæ ab altari remouentur. *Per hoc*, inquit, *designabatur, quod sacrificium de rapina non placet Deo*. Adhuc tamen inquiro: Nonne naturale est auibus, vt grana ad vescendum rapiant, & in gutture recondant? planè est: in quo ergo delinquunt, vt in pœnam ab altari expellantur, & in cineribus concrementur? Cur sicut sanguis iuxta altare effunditur, non ibi etiam plumæ, & vesicæ reponuntur? Ratio est, quia depositio iuxta altare, iustorum receptionem in beatitudine significat. Et quamquam auium volatus, & rapina ad vescendum naturalis sit, aliquam tamen culpæ speciem habet, ideo ab altari repelluntur: vt nouerimus, vnicuique pœnam culpæ respondentem irrogari ideo sanguis, in quo iusti significantur, *Super crepidinem altaris*. hoc est ad beatitudinem deferuntur. At vesicæ, & alæ, hoc est animæ purgatorij, quia adhuc illis purganda superest culpa, etsi leuis existat, extra altare in loco cinerum, hoc est in Purgatorio, flammis comburendæ, detinentur. Ex quo infertur, non solum irrogari pœnam cuiusque delicto proportionatam, sed etiam culpas leuissimas terribilibus flammarum incendijs castigari. *Vesiculam verò gutturis, vbi congregatur cibus, & plumas proijciet: Quia volauerunt ad capiendum cibum de alieno: quia sacrificium de rapina non placet Deo*. Sacrificium de rapina nō placet Deo.

D. Ant. Pad. ser. Dom. 4. qua. Glos. int.

Lyr. ibi.

Nota.

Rab. Sal. ap. Lyr.

Rab. Salo. vbi supra.

Deus plumas, idest vanitatem à sacrificio iubet remoueri.

Duo veteris testamenti loca, inter se diuersa produco, ac in idem institutum verto. Primum ex Isaia, cuius labia cum essent polluta, seraphinus, arrepto calculo de altari, purificauit. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*. Hęc de purificatione Isaiæ. Cum verò Deus statueret Hierosolymam purgare, & pęnam iuxta peccatorum mensuram imponere decreuisset; Ezechieli præcepit. *Imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem*. Glossa plurali numero legit. *Imple manus tuas*. Vides, vt ad Isaiæ purificationem, vnus tantum calculus adhibeatur, vt autem ciuitas purificetur, ambas manus prunis iubet impleri, ac in ciuitatem effundi, vbique tamen ignis ministerio vtitur, quia teste D. Hieronymo, ad purificandum est accommodatior. *Imple*, inquit, *manus tuas prunis, vt post interfectionem, cada uera mortuorum mundet Hierusalem, secundum illud Isaiæ. Sanctificauit cum igne ardente, & deuorauit sicut feni materiam*. Quamquam diuersimodè ad purificationem applicetur. Prophetæ namque calculus solummodo, Hierusalem manus plenæ prunarum adhiberetur. *Notandum*, ait D. Hieronymus, *quod in Isaia, qui tantum in sermone peccauerat, & immunda labia se abere dicebat, ad purgandum vnus forcipe carbo comprehenditur. Hic verò, quia ciuitas plena est iniquitate, & post supplicia cadaue-*

Isai. 6.

Ezech. 10

Glos. ibi.

D. Hier. ibi.

daue.

daueribus mortuorum plures assumuntur carbones, nec vna manu, sed ambabus. Ita ille: vt autem detur intelligi, in Purgatorio (quod ille ignis Solymæ purificatorius designabat) non solum pœnam cuiusque delicto correspondentem irrogari, sed insuper leues culpas pœnis terribilibus castigari, voluit, vt ad purificationem Hierusalem ignis adhiberetur. *Sanctificauit eum igne ardente, & deuorauit sicut fœni materiam.*

Addo illud ex D. Matthæo: cum seruo in carcere propter debitum cōiecto, minitatus est pater familias, dicens: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Nimis rigorosa videtur eiusmodi exactio; nam, vt ait D. Hieronymus. *Quadrans genus nummi est, qui habet duo minuta.* Et ob paruam adeo quantitatem miser in carcere detinetur. Quis non paueat ad iudicis, & Patris familias seueritatem? Cæterum attendenda est quadrantis significatio, in quo culpa designatur, ob quam anima in purgatorio detinetur, vt autem notum omnibus sit, ibi pęnam culpæ proportionatam imponi, & insuper leuem culpam, grauissima pęna castigari: dicitur debitori e carcere non exiturum, vsque ad minuti extremi solutionem. *Hoc est ergo non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata persoluas.* Expendant iudicis in puniendo seueritatem fideles Animæ, & videant, quanto rigore culpas leuissimas ardentissimi ignis flamma castigat; vnde graues minimè impunitas relinquet; quinimò instar illius, qui vas igne purgat, vel minimam in eo fęcem extinguit; sic cum animabus purgatorij se geret, vt nulli parcat: hinc est illud D. Augustini. *Pro eo positum est quod nihil relinquitur impunitum, sicut cum volumus exprimere aliquid ita exactum, vt nihil relinquatur, dicimus: vsque ad fæcem.*

Matt. 5.

D. Hier. in Cat. aur.

Et minima in Purgatorio solueda.

D. Aug. l. 2. de ser. cap. 11

Postremò expendenda sunt pro hac re duæ Prophetarum visiones, altera Ieremiæ, cui Deus loquebatur dicens: *Quid tu vides, & dixit, ollam succensam ego video.* Altera vero ex Ezechiele, cui præcepit Deus. *Pone quoque eam super prunas vacuam*, idest ollam, *vt incalescat, & liquefiat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentum eius, & consumatur rubigo eius.* Deinde per Amos vaccas pingues minitatur, quod earum carnes in ollis feruentibus coquendæ sint. *Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, eleuabunt uos incontis, & reliquias uestras in ollis feruentibus.* Magna est, & mirabilis hæc puniendi varietas: quia huiusmodi vaccis præfatas ollas minitatur, quæ tamen inæquales sunt; etenim vna dicitur ardens. *Ollam succensam.* Altera dicitur vacua, super prunas costitūta. *Super prunas uacuam.* Quodnam in hac varietate mysterium absconditur? Magnum certè, quod Glossa interlinealis aduertit dicens: *Ollam succensum Regem Babylonium, & Vrbem Hierusalem significat.* Olla vero Ezechielis significat cor hominis, quod in igne omnem debet malitiam expurgare, vt innuit lectio Glossæ, pro eo, quod vulgatus dicit. *Et consumatur rubigo eius*: legendo, *& consumatur malitia eius.* At verò olla, quam vaccis Amos interminat, ignem tribulationis denotat, in qno mirificè cruciabuntur. *Reliquias uestras in ollis igne tribulationis decoquamini.* Quid causæ est, vt cum in his ollis quædam iustitiæ diuinæ in puniendis peccatis species eluceat, non sint æqualia vbique tormenta, sed olla Regis Babylonis, & Hierusalem, non ita ardet? Et vaccæ solo igne tribulationis torquentur, & non vbique eadem est tormentorum grauitas? Porrò discriminis ratio est, quia vaccæ Purgatorij animas designant, & ignis, quo torquentur, incendium illud manifestat. Cum autem ibi pęna iuxta culpam mensuretur, pro Rege Babylonio, qui grauius deliquit, olla magis succensa pręuenitur. *Ollam succensam ego uideo.* Illa verò, quam vidit Ez echiel, non ita grauem hominis malitiam significat, & ideo vacua, nec ita ardens describitur. *Super prunas uacuam, ut incalescat, & liquefiat æs eius, & consumatur rubigo eius.* Vaccæ, quarum culpa non sic enormis describitur, igne tribulationis decoquuntur. *Reliquias uestras in ollis igne tribulationis decoquamini*: Et quam-

Ier. 1.

Ezech. 24.

Amos 4.

Glos. interl. in Ier. 1.

Glos. interl. in Ezec. 24.

Glos. int. in Amos. 4.

Varius in Purgatorio puniēdi modus.

quamquam, pro culpæ diuerſitate, maius, minuſue tormentum ſentiant, omnes tamen igne purgantur, & torquentur, quia in Purgatorio leues culpę teiribilibus flammarum incendijs puniuntur. Do Auguſtinum, cuius eſt illud, *Quantum ſtulta iniquitas ſuggeſſit, tantum ſapiens pęna deſeruiet*. *Et quia ſermo diuinus quodam loco aneæ ollæ animam peccatricem comparat dicens: pone ollam ſuper prunas. Illic ſermones otioſi, & cogitationes iniquæ, illic multitudo leuiorum peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant exudabunt*. Proh quanta eſt mortalium incuria? qualis eos tenet tanti rigoris obliuio? vt non videant vel minimas culpas ignis atrocitate puniendas, & ſicut ſole ſub ardenti corpora ſudore liqueſcunt, ſic purgatorius ignis animas vrēdo cruciabit, quouſque omnis malitiæ rubigo exeat. *Exudabunt, donec incaleſcat, & liqueſiat æs eius, & conſumatur malitia eius*. Vt autem hunc rigorem poſſimus euadere, præſentiſſimum nobis remedium reliquit Sanctus Franciſcus dicens, in quadam Epiſtola; *Faciamus inſuper fructus dignos pęnitentiæ, & diligamus proximum, ſicut noſmetipſos*. Si enim Charitas in nobis erit, vt egenis opitulemur, & de peccatis dolebimus; vnde purgatorij pęnas euadere poterimus: ſicut monet D. Auguſtinus. *Quæ omnia hic ab anima ſeparari per eleemoſinas, & lacrymas, compendioſa tranſactione potuiſſent*. Faciendum plane eſt, vt poſſimus has flammas euadere, quæ iuxta culpæ qualitatem, vnicuique menſurantur. *Et quantum ſtulta iniquitas ſuggeſſit, tantum ſapiens pęna deſæuiet; donec conſumatur malitia eius*.

D. Aug. l. 50 hom. 16.

D. Frac eu. 5. ma epiſtol.

Charitas Purgatorij remedium.

D. Aug. vbi ſupra.

CAPVT VII.

Quod cum adeò terribilia ſint purgatorij tormenta: pœna damni exuperat pœnam ſenſus.



DVPLICEM in Purgatorio pœnam ſuſtinent animæ, quandiu ibi detinentur. Alteram dicunt damni, ſenſus alteram. Pęna damni in carentia beatificæ viſionis conſiſtit. Pœna ſenſus ex doloribus, ac tormentis enaſcitur, quibus animæ cruciantur. Sic tenet commune Theologorum placitum, pro quo D. Bernardinum produco. *In ipſo purgatorio*, inquit, *duplex eſt cruciatus: Vnus eſt damni, quia ſcilicet retardantur à viſione diuina. Secundus eſt ſenſus, ſecundum quod à corporali igne inſtrumento diuinæ iuſtitiæ puniuntur*. Ita ille. Aſſentitur in libro de Purgatorio Bellarminus. *Certum eſt*, inquit, *unam Purgatorij pœnam, eſſe carentiam diuinę uiſionis. Certum eſt etiam, præter hanc pœnam damni, eſſe etiam aliam pęnam, quam Theologi uocant pęnam ſenſus, quæ conſiſtit in aliquo dolore prouueniente aliunde, quam ex carentia uiſionis diuinę*. Et verò ex his duabus pœnis, vt ex D. Hieronymo probat S. Bernardinus, longè maior eſt pœna damni, quam ſenſus, quia grauius eſt Dei viſione carere, quam quouis alio dolore torqueri. Deinde per pęnam damni, anima redditur incapacior videndi Deum, quam per pęnam ſenſus, vt per ſe patet: Nam vbi primum pęna ſenſus terminatur, anima diuinæ viſionis capax efficitur: At verò pęna damni, ex natura ſua, ad priuationem viſionis diuinæ ordinatur; & ideo pęnam ſenſus exuperat. Totum à D. Bernardino mutuatum huc transfero. *Maior eſt pęna*

D. Bern. Sen. ſer. 65. de pur ar. 1. c. 3. §. 2. Ricar. de Med. Vil. in 3. diſt. 20.

Bellar. lib. de pur. con. 1.

Duplex Purgatorij pœna, dāni ſcilicet, & ſenſus.

D.Bern. Ser. serm. 65. de pur. c.3. §. 4. art.1.

na damni, quam sensus, secundum Hieronymum, cuius ratio est, quia magis obuiat æternæ felicitati; eo quod cum pęna damni beatitudo incompassibilis est: non autem cum pęna sensus, sicut patet in passione Domini nostri Iesu Christi, cuius anima in passione, & semper beata fuit. Ita ille, & D. Thomas ait. *Pęna damni maxima est pęnarum, quæ in purgatorio repertri possunt.* Vnde se quitur, esse maiorem pęna sensus, quia in Purgatorio hæ solum reperiuntur.

D.Tho. in 4. d. 20. q.1. a.2.

Eccl. 21.

Glos. Bel'ua. in spe. mor. 1. 2. p. dis. 11.

Huiusmodi pęnas respicit, ni fallor, illud sancti Spiritus Oraculum. *Supra mortuum plora; deficit enim lux eius.* Quæ verba sic legit Beluacensis: *Supra mortuum in Purgatorio plora: quia deficit lux beatificans.* Porrò dicere potuit, vt mortuum in purgatorio ploraremus, quia ibi flammarum terretur incendio, & acerbissimis cruciaribus affligitur: maluit tamen dicere, quia visione beatificaret, vt ostenderet, hanc pœnam esse longè maiorem pœna sensus, quæ ad pęnam damni comparata, quodammodo pęna non est reputanda, vt duplici ratione ostendit. S. Bernardinus. *Prima*, inquit, *ratio est respectu damni, quia quanto aliquis magis desiderat, tanto eius absentia molestior est. Et quia affectus, quo summum bonum desideratur, post hanc vitam in animabus sanctis intensissimus est, magis quam aliquis alius affectus temporalis rei præsentis vitæ; quia non retardatur affectus corporis sui mole, & terminus fruendi summo bono iam aduenisset, nisi illud impediret; ideo eius carentia molestius toleratur.* Quod cum ita sit, meritò Spiritus sanctus, tacita pœna sensus tanquam leuiori, pro sola pœna damni animabus purgatorij compati adhortatur. *Supra mortuum in Purgatorio plora; quia deficit lux beatificans.*

Pœna sensus, si pœnæ damni comparetur, non est pena.

D. Bern Sen. vbi sup. S. 3.

Apud Hieremiam aduersum duas tribus indignatione commotus Deus, eo quod iuxta eius legem non ambularent, ita minitatur facturus: *Et proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, vniuersum semen Ephraim.* Et quamquam Lyranus hoc de captiuitare Babylonica intelligit, dicens: *Quando de terra vestra in Babylonicam captiuitatem, &c. Decem tribus, iam enim erant in captiuitate inter Assyrios.* Terribilis comminatio, & nobis valde timenda, si eisdem peccatis nos infectos reperiamus; vnde dicebat egregiè D. Hieronymus: *Quidquid illi populo minatur, timeamus & nobis, ne similia faciamus.* Verum hic aduertere oportet, quod non ipsa captiuitaris miseria, & seruitutis infelicitas tantum deploranda est, quantum quod à Dei præsentia repellantur. *Et proijciam vos à facie mea.* Quia reliqua omnia, etsi grauissima sint, & toleratu difficillima, pœnæ sensus terminos non excedunt: At verò diuina præsentia priuari, ad pœnam damni spectat, quæ omnes alias vitæ pœnas euincit, & ideo hortatur egregie S. Hieronymus. *Quidquid illi Populo minatur, timeamus, & nobis, ne similia faciamus.*

Hiere. 7.

Lyr. ibi.

D. Hier. ibi.

A Dei præsentia repelli timendū.

Facit in hanc rem illa sponsæ adiuratio, cum pœnitens, quod pulsanti sponso non aperuerat, domo egressa, illum quærens, in custodes incurrit, à quibus vulnerã esse sic conquerebatur. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi Custodes murorum. Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Quo tendit hæc adiuratio? Cur vt sponsum sibi amplius obstringat, se vulneratam à Custodibus; & spoliatam non commemorat? sed illud tantum, vt nuntient desiderat, ac exposcit, quod amore langueat? Perbellè quidem, nam omnia alia vis amoris excusserat: huc respicit lectio interlinealis, quæ habet: *Præ amoris magnitudine omnia temporalia sunt mihi fastidio.* Et verò quidquid à Custodibus sustinuerat, pallij raptus, vulnera, Vrbis circuitus, si cum doloris sensu, quem sponsi absentia expresserat, comparentur, quasi nihil reputabuntur, & ideo cœterorum oblita, solius amoris meminit, quo in sponsi absentia conflagrabat. Per bellè in hanc rem D. Thomas. *Benè autem se amore languere dicit, quanto enim superna desiderare cœpit, tanto magis erga ea, quæ mundi sunt, infirmatur, & languescit.* Ita ille. Hinc iam intelliges, quanta fuerit sponsæ discretio, dum vulnera non sentit, nec de illis conqueritur, sed

Cant. 5.

Glos. int. ibi.

Christi absentia iusti grauissima.

S. Thom. in Cant. 5.

Ff pro

pro sola sponsi absentia dolet; quia hæc ad pœnam damni spectat, & vulnera inter sensus pœnas referuntur, vt autem demonstret, quæ pro dilecto sustinet, pęnam sensus tacet, & solam damni pœnam commemorat, dicens: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo*. Qua adiuratione tormentum, quod in dilecti sustinebat absentia, elegantius exprimebat. D. Thomas dicebat. *Bene autem, &c.*

Confirmari potest hoc idem assumptum illa Regij Vatis attestatione, cum inter persecutionum angustias, quas ab aduersarijs sustinebat, hinc inde impulsus, & agitatus dicebat: *Ego autem dixi in excessu mentis meæ: proiectus sum à facie oculorum tuorum*. Vides, vt persecutiones sustinens, varijs calamitatibus, & laboribus afflictus, nequaquam de huiusmodi rebus conqueritur, sed illud solummodo meminit, quod Dei præsentia careat. Proiectus sum à facie oculorum tuorum: quia, licet bella premerent, calamitates vrgerent: Non ita dolebat, quam dum Deum sentiebat absentem, qui, si adesset, omnem molestiam sua aufferret præsentia. Hinc est illud Glossæ interlinealis. *Si enim me respiceres, non ita pati sineres*. Quandiu enim Deus aderat, & Dauidem suo recreabat aspectu, etsi multa alia pateretur, quia hæc ad pœnam sensus spectabant, quasi nihil essent, nihil faciebat. Deo autem faciem suam ab eo auertente, grauissimè torquebatur, quia hoc ad pœnam damni spectat: Etsi Deus adesset, nihil pati arbitrabatur. *Si enim me respiceres, non ita pati sineres*. Et verò, tunc solum pati credebat, cum Dei aspectu fraudabatur, ideoque dicebat: *Ego autem dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum*.

Ps. 30.

Dei absentia tultis moestissima.

Glos. int. ibi.

Huc etiam respicit illa Ionæ Oratio, cum in ventre cæti conclusus, Deum ita alloquebatur: *Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi, abiectus sum à conspectu oculorum tuorum*. Attende, qua ratione fluctibus summersus, à bellua deuoratus, in ventre ipsius detentus, nihil de his conqueritur, omnia hæc leuia putat, & illud solummodum intolerabilè malum existimat, quod à Dei præsentia sit relegatus: Quinimò illud, quod sustinet, ex diuini conspectus carentia sibi prouenire existimat. *Ego dixi, abiectus sum a conspectu oculorum tuorum*: hoc est, tua sum præsentia viduatus, & ideò hęc mala me torquent, quæ, si adesses, minimè sentirem. Theophilactus ita vatis Orationem versat. *Cogitabam, me ab oculis tuis, a visitatione, ab inspectione proiectum esse, ac hæsitabam, viuam ne? & posthac apponam intueri templum sanctum tuum Hierosolymis*. Difficilis certe dicendi modus, quia Ionas in ventre cœti ingentem adeò pœnam sustinuit, vt inferni pęnis æquipararuerit, dicens. *Et proiecisti me in profundum in corde maris, id est in inferno*. At, cur in tali pœnarum acerbitate, vt cum inferni cruciatibus conferri possent, de illis non conqueritur, sed de sola Dei absentia dolet, seque aspectu oculorum eius fraudatum lamentatur? Ratio est, quia pœnæ illæ, etsi nimis crudeles sint, ad sensum tantummodo attinent. At verò Dei præsentia carere, pęna damni est, quam vt grauiorem indicaret, de illa solummodo queritur. *Ego dixi: abiectus sum à conspectu oculorum tuorum*.

Iona 2.

Ad pœnam damni, nihil inferius.

Hoc idem se prodit in illa Dei sententia, qua propter transgressionem mandati puniuit Adamum: Cum enim ipsum conueniret, e paradiso expulit, vt extra illum victum sibi quæreret per laborem: *In sudore vultus tui uesceris pane*, ac pro huius sententiæ executione. *Eiecit Dominus Adam, & collocauit eum contra paradisum voluptatis*: vt legunt septuaginta: quamquam pœna hæc non videtur pro delicto comminata, sed illa: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*. Cur ergo vitam reseruat, & Orbi datur in exilium, vt ibi diutius viuat? Respondet Abulensis; vt in illa vitæ longitudine, pœnam delicto suo æqualem à paradiso eiectus lueret. *Finis ergo eiectionis Adæ fuit, vt in terra lueret pœnas debitas sceleri suo*. Cæterum adhuc congruentius videbatur, vt longè à pa-

ra-

radiso expelleret, & non propè illum constituerit, in quo sui exilij solatium habere posset è paradisi conspectu. Fallor, si non ad pœnarum augmentum voluit, vt paradisum, è quò fuerat eiectus, præ oculis semper haberet, vt dolens perdidisse, quod habuerat, grauius torqueretur, quæ pęna adeò grauis putabatur, vt pro morte potuerit commutari. Dum enim quotidie locum voluptatis aspiciebat, et se exulem considerabat, perditi boni memoria mirum in modum torquebatur.

Peccator voluptate deperdita cruciatur.

Hinc est, vt dixit S. Chrysostomus, propterea contra paradisum fuisse collocatum, *Vt iugem dolorem haberet, quotidie cogitans, vnde exciderit.* Quasi dicat: Puniendus erat Adam, & grauissimo afficiendus supplicio: igitur vita illi seruetur, prope paradisum, in quo figurata est beatitudo, constituatur, non tamen ingredi liceat, quia illius fruitione carere, ad pœnam damni attinet, & mortem pati pœna est sensus, quæ minor est. Et ideo Adamus paradisum aspiciens, quo frui non dabatur, grauius sentiebat tormentum, quam si mortem sustineret. Ideo Deus *collocauit eum contra paradisum voluptatis.* Et quidem ista eiectio ad punitionem ipsius grauiorem ordinabatur, *finis ergo eiectionis Adæ fuit, ut in terra lueret pœnas debitas sceleri suo.* Et qua ratione lueret? planè paradisum præ oculis assiduò habens, è quo propter peccatum exciderat; *Vt iugem dolorem haberet, quotidie cogitans, vnde exciderit.*

D. Io. Chris. cit. à Lipom. in sua Cat.

Pergo adhuc, & Caim punitionem hanc illustro. Igitur fratricidæ signum posuit Deus, vt à nemine occideretur. *Posuitque Dominus Caim signum, vt non interficeret eum, omnis, qui inuenisset eum.* Et verò dum Caim vita seruatur, cum propter fratris mortem morte puniri debueat, non misericordiæ attribuenda est huiusmodi indulgentia: quoniam Caim (si Lyrano credendum est) mori potius vellet, quam à Deo derelictus, vitam producere tot miseriis obnoxiam. *Caim,* inquit, *videns, se derelictum à Domino, & in tanta miseria constitutum, desiderabat citò mori, vt sua miseria terminaretur.* Mirum sanè est huius fratricidæ desiderium, vt viuere permissus, vitam fastidiet, & mortem, quam omnes fugiunt, exposcat. Quæ nam pœna morte grauior est, vt propter illam euitandam, mors eligatur? Sanè Dei conspectu carere, ac ab illius oculis eijci. Quod fratricidæ datum fuerat in pœnam, & ideo dicebat: *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar:* addit interlinealis, *Tanquam indignum tuo conspectu.* Hæc autem eiectio à facie Dei pertinet ad pœnam damni, & quia hanc longe grauiorem existimat; idcirco, vt illam euadat, mori non dubitat: quia mors est pœna sensus, & consequenter non ita crudelis. Iurè igitur. *Caim videns, se derelictum à Domino, & in tanta miseria constitutum, desiderabat citò mori, vt sua miseria terminaretur.*

Gen. 4.

Lyr. ibi.

Damnatus mallet annihilari, quam Dei præsentia carere.

Glos. interl. in ver. 14.

Consideret ergo fidelis anima pœnarum huiusmodi acerbitatem, quæ adeò magna est, vt pœna sensus, quæ in igne sentitur, omnem exaggerationem superet, quemadmodum restatur S. Bernardinus. *Tanta est damnatorum pœna sensitiua, purgatiua, & dolor, & sensus omnis generis tormentorum, quod in hoc mundo cogitari non potest, nec pensari, nec aliter considerari, quia omnes pœnę, quæ possunt excogitari in hoc mundo, & pęnæ Christi, & omnium aliorum martyrum, cæterarumque personarum, & creaturarum, nihil sunt, respectu pœnæ purgatorij.* Et videat, qualis sit pœna damni, quam longè grauiorem esse hactenus comprobauimus.

D. Aug. apud D. Bern. Sen. serm. 15. de purg.

Vnde Purgatorij tormentum, quod ex his duabus pœnis conflatur, sic crudele est, vt omnes mundi huius cruciatus euincat. Iterum D. Bernardinus. *Oportet,* inquit, *quod purgatorij pœna, & cruciatus, quantum ad damnum, & quantum ad sensum, excedat omnem cruciatum, & præsentis vitæ pœnam.* Vnde animabus purgatorij compari debemus, & pro subleuatione pœnarum, quas ibi sustinent, suffragia frequenter offerre. Siquidem pœna damni, non solum pœnam sensus excedit, sed sola ipsius cogitatio pœnas omnes, quæ cogitari possunt, antecellit.

D. Bern. Sen. ser. 65. de purg. ar. 1. c. 3. § 2.

Pœna damni summè grauis.

Hoc mihi videtur probari Christi verbis in cruce prolatis, vbi Patrem allocutus, dicebat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Quo tendit hæc Christi ad Patrem conquestio? Nam ipse non potuit ab eo derelinqui; siquidem ab instanti Incarnationis anima ipsius Dei visione fruebatur; & humanitas ad verbi vnionem fuerat assumpta: Quinimò animæ gloriam miraculosè repressit, ne in corpus redundaret, quò pro hominibus pati posset, nisi enim corpus passibile relinqueret, pati minime posset. Hinc est, vt quærat Origenes, vbi nam sita sit talis derelictio? *Requirendum est, quid est, quod à Deo derelictus est Christus?*

Matth. 27.

Orig. trac. 35

Christus in cruce conqueritur de quadam apparentia pœnæ damni, dicens: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me

Nonnulli hoc ad Christi humilitatem referunt, vt auctor est idem Origenes, *Et quidam*, inquit, *quia non possunt exponere, derelinqui Christum à Deo, dicunt; quod per humilitatem dictum est.* Non tamen credidit auctor, Christum à Deo derelictum, quidquid Glossa interlinealis dixerit de humanitate, quæ derelicta erat. *Humana natura erat derelicta, sed non Dei filius*, Quod per exaggerationem dictum videtur, vt patiendi extremum declararet, quasi in illa pœnarum tolerantia derelictus à Deo quodammodo appareret. Vnde monet Origenes, dicens: *Sed manifestè intelligere poteris, quid sit, quod dicit, faciens comparationem gloriæ illius, quam habuit apud Patrem, ad confusionem, quam contemnens, sustinuit crucem.* Cæterum adhuc miror, quare, dum talia sustinet tormenta, de his non conqueritur, sed quod derelictus sit, exclamat, cum tamen non potuerit derelinqui: iuxta Glossam. *Dicitur autem Deus eum deseruisse in morte, quia potestati persequentium eum exposuit, subtraxit enim protectionem, sed non soluit vnionem.* Quid igitur conquestus agit? pęnæ suæ acerbitatem exponit: & quid est, quod ait, se à Patre derelictum? Quod illius aspectu careat? Minimè quia hoc esset damni pęnam sustinere, à qua liber omnino extitit, vt autem exponeret dolorum acerbitatem, quos patiebatur, non de pęna sensus, sed de pœna damni, qua quoad speciem afficiebatur, apud Patrem conqueritur.

Glossa int. ibi.

Nota,

Ibi supra.

Glos. ibi.

Subtraxit enim protectionem, sed non soluit vnionem. In quo non pœna damni, sed quædam eius species apparebat; & cum hæc adeò acerba sit, vt sola illius cogitatio omnem excedat cruciatum, Iure optimo Christus, vt pęnarum suarum acerbitatem exponeret, non de pęna sensus, sed de quadam apparentia pęnæ damni conqueritur; dicens: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Non quia in morte deseruerit, *sed quia potestati persequentium eum exposuit.* Quis ergo erit ita immanis, vt animabus purgatorij non compatiatur, quæ duplici in eo loco pęnarum genere, damni, & sensus cruciantur, quæ acerbitate sua omnes mundi pœnas exuperant. *Oportet, quod purgatorij pœna, quantum ad damnum, & quantum ad sensum, excedat omnem cruciatum, & præsentis vitæ pœnam.*



CAPVT VIII.

Si animæ, quæ sunt in Purgatorio Deum pro illis rogare valeant, qui ipsis benefaciunt.



DVAE in hac propositione sunt auctorum sententiæ, altera, quæ negat animas in Purgatorio detentas pro suis benefactoribus Deum rogare: Altera verò, quæ id affirmat: licet animæ non sint in statu merendi, benè tamen pro suis benefactoribus precabuntur. Vtraque sententia proponenda est, & suis rationibus confirmanda.

Conclusio negatiua.

PRo hac stat *Durandus* in 4. dist. 45. quæst. 3. Sotus ibid. quæst. 3. art. 1. *Certum est enim*, ait, *quod viui pro* Dur. in 4. d. 45. quæst. 3. Sot. in 4. d. 45. q. 3. ar. 1.

sint

sint defunctis per modum meriti. Quale meritum potest esse hominis ad Deum, supposita diuina acceptatione, & sic possunt viui prodesse defunctis: non autem defuncti viuis, nisi sint beati: Nec vnus defunctus alteri, quia status merendi de congruo, vel de condigno solum est in hac vita. Hæc ille: cum igitur animæ Purgatorij ab hac vita iam excesserint, & extra merendi statum sint positæ, nequaquam nec sibi, nec benefactoribus mereri poterunt, & proinde nec pro illis rogare, quamquam sint in Dei gratia. Quod aliter euenit in Beatis, qui vident in Verbo necessitates nostras; quod animabus purgatorii non datur, & pro illis Deum rogant, vt planè fatentur omnes.

Animæ in purgatorio non possunt prodesse viuis.

Hinc sequitur, iuxta securiorem D. Thom. opinionem, animas Purgatorij non esse in auxilium inuocandas, eodem modo, quò beatorum patrocinium imploramus. *Qui enim*, inquit, *petit ab aliquo, indiget illo, ac per hoc se subijcit illi, petendo. Rursus, qui petit profitetur, petendo, in illo, à quo petit, esse potentiam ad adiuuandum.* Qui verò sunt in Purgatorio, nec illis egemus, nec ipsi nobis valent opitulari, & Deum pro nobis orare, quemadmodum beati, quinimò ipsi nostris suffragijs, & Orationibus indigent. In hac sententia fuit Sotus. *Quia*, inquit, *existentes in Purgatorio non sunt Beati, ideò Orationes nostras non audiunt: Et fort ffetormenta, quibus affliguntur, facultatem eis non faciunt orandi pro nobis, sicut illi, qui erant in limbo.* Si ergo animæ purgatorij Orationes nostras non audiunt, rectè colligitur, nequaquam pro nobis Deum rogaturas: quomodò enim pro his orabunt, quos suum petere auxilium non agnoscunt: nec si agnoscerent patrocinium, ipsis mereri possent. Placet assumptum hoc aliquibus scripturę locis confirmare.

D. Thom. 2.2. q.83. ar.2. & q.83. ar. 3.

Animæ purgatorij non sunt in auxilium inuocandæ.

Sot in 4. dist. 45. q. 2. ar. 2. in fine.

Memoranda est Samariæ obsidio, qua Benadad Rex Syriæ regnante, ibi Ioram Vrbem ita pressit, vt ciues præ fame alij alios comederent, & iumentorum carnes deuorarent. *Factaque est fames magna in Samaria, & tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis.* Quæ rerum inopia regem ipsum, teste Iosepho opprimebat: is enim coactus est præfato pretio caput asini emere. *Tanta fuit Ioram necessariorum inopia, vt propter magnitudinem famis in Samaria, octoginta argenteis numismatis caput asini venderetur:* Neque hic solum stetit necessitas, sed vlterius progressa, Columbarum stercora vendebantur. *Et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.* Quærit ad hunc locum Theodoretus: *Cui vsus erat stercus columbarum?* Et respondet: *Necessitas Obsidionis, & magnitudo famis eos cogebat stercore vti pro sale:* Magna certa necessitas, quæ obsessos tali ciborum condimento vti constringebat. Aliter respondet Comestor, Videlicet: *Tradunt quidam nomine stercoris dici vesicam columbæ, in qua recipiebantur grana de foris allata.* Dum autem sic premerentur, Rex super vrbis murum ambulabat, quem fœmina quædam, cum aspexisset, tantæ calamitati auxilium petijt. Cui Rex respondit. *Non te saluat Dominus; Vnde te possum saluare? de area, vel de torculari?* Quasi dicat: Nihil mihi supetest vnde tuæ succurrere possim indigentiæ, & quando Deus tibi non opitulatur, ineptè auxilium ab homine aquæ inopia laborante auxilium exposcis. *Vnde te possum saluare? de area, vel de torculari?*

4. Reg. 6.

Ioseph. de an. lib. 9. 4.

Theod. q. 22.

Comest. in 4. Reg. cap. 6.

Sed iam ad præsens institutum locum huiusmodi accómodare fas est. Igitur quænam potest esse strictior obsidio, quæ maior necessitas, illa, quam purgatorij animæ in eo carcere detentæ patiuntur? Auscultandus est hac de re lacrymosus vates, dicens. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus.* Si ergo dum sic oppressæ amaritudine ingemiscunt, ad quamlibet illarum accederet ex oratoribus aliquis, dicens, Salua me. Rectè quidem responderet: *Vnde te possum saluare? de area, an de torculari?* Quasi dicat, Nihil in hoc loco nisi flamma vorax, ignis inextinguibilis, & tormenta omnem cogitatum excedentia reperiuntur. Vnde ergo præstabo auxilium petenti? Tu qui petis ab eo, qui extra merendi statum est positus, in te ipsum reflecte,

Tren. 1.

&

& Deum apprecator, et si hoc non agis, cur ad nostrum recurris auxilium, quibus opitulari alijs non conceditur?

Ad huius rei confirmationem trahi potest illa mali latronis expostulatio cum Christo, dicentis: *Si tu es Christus, saluum fac teipsum, & nos.* Vbi expendendum est, qualiter in hac petitione Christum considerauerit? An Dei filium, vel hominem tantum? Angelus à Pace ait: *Adde, quod Christum non confitebatur absolutè.* Quare ergo, si hominem credebat, solummodo Christum compellat, qui ex ipsis operibus Dei filius, & Saluator prodebatur? etenim in aliorum saluatione, non autem in propria, sicut dixit Athanasius, suam manifestauit potentiam... *Dominus autem verè Saluator, non saluando se ipsum, sed creaturam liberando, volebat cognosci Saluator.* Cur igitur latro iste Christi demonstrationem ex aliorum salute exposcit, & quem alios saluando Christum agnoscere, & fateri debuerat, nunc vt Christum fateatur, & se ipsum, & alios saluet obtestatur? iterum Angeli Responsum refero. *Neutrum tamen vnus iste latronum visus est credere, dum conditionatè orauit: neque enim Christum admisit Deum, neque mediatorem confessus est, quem salute egentem notauit. Ergo quia aliter de Christo, & homine sensit, quam par erat, postulabatque integra, & sincera precatio, blasphemus reputabatur.* Quid iste latro aspexit in Christo, vt hominem iudicet, ac ad suæ petitionis effectum Dei, ac hominis potentiam exercere reposcat? Quid ibi difficultatis inuenit, quam sola hominis potestas superare non posset? Dicam. Christum cruci affixum doloribus vndique circundatum, & potentia destiturum, vt se liberaret aspexit: Petit ergo vt se, & petentem liberet. Christus, vt homo, se absque Dei potentia liberare non poterat: Ait igitur latro; si te in præsenti statu considero, & purum hominem contemplor, nec tibi, nec mihi opem ferre potes, vt ergo vtrumque liberes, Christum te exhibe, hoc est, Deum, & hominem ostende, & diuina potestate vtendo, teipsum, & me ab his tormentis vendicabis. *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos.* Igitur locum huiusmodi ad præsens institutum adaptans. Quæro: quis a libertate alienior animabus Purgatorij? Quæ pœnæ grauiores sunt ijs, quas ibi sustinent? nullæ: quoniam. *Omnes pœnæ quæ possunt excogitari in hoc mundo, & pœnæ Christi, & omnium aliorum martyrum, cæterarumque personarum, & creaturarum nihil sunt, respectu pœnæ purgatorij.* Si ergo in tali statu, vt Christus seipsum, & latronem liberaret, opus ei erat, vt diuinam potentiam exprimeret; quomodo poterunt animæ Purgatorij nobis opitulari, quæ humanis etiam viribus destituuntur? Et quæ sibi, ipsis prodesse nequeunt, qua ratione alijs auxilium præstiterint? Minimè quidem; nam solus pœnarum, quas sustinēt, aspectus, ita omnem cogitationem, & conatum absorbet, vt animas reddat impotentes, quò sibi, & nobis auxilientur.

Huius rei exemplum in infelici Absalonis casu elucet, qui è prælio fugiens, coma ad arborem irretitus expendens, tribus lanceis à Ioab transfixus, vitam miserabili exitu conclusit, vt 3. Reg. perhibetur. *Talit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.* Quærit Abulensis, an Absalon in eo casu auxilio sibi esse potuerit? Et affirmanter respondet: poterat enim mulum deflectere, comam frondibus impexam extricare, vel scindere, & ita mortem euitare potuisset. *Nam potuisset*, inquit, *tenere equum ne introisset subter quercum ramosam, etiam post quam introiuit, & alligati sunt capilli eius, poterat ipse tenens mulum soluere illos, & fugere, etiam dato, quod mansisset pendens, poterat capillos amputare, vel si non habebat gladium, poterat, manibus tenens arborem, illos soluere, vel rumpere; sed nihil horum fecit.* Et qui sibi auxilio non fuit, quomodo alicui è suis auxilium ferret, si tunc temporis illud petiturus adfuisset? Rectè enim responderet: qui mihi non præsto auxilium, nec alijs præstare possum. Cæterum vnde nam hæc inertia, vt tot euadendi remedia oblitus, pro tuenda vita nul-

Marginal notes: Luc. 23. — Fr. Ang. a Pac. s. 39. in Luc. 23. — D. Atha. ser. de cru. & pass. — Fr. Ang. a Pac. vbi sup. — D. Ber. i. Serm. ser. 15. le par. — 3. Reg. 18 — Impius consuetudinem habet pro carnifice. — Abul in 2. Reg. 18. q. 12

Tost. vbi sup.

nullum adhibuerit. *Respondet Rabbi Salomon*, ait Tostatus, *Quod Absolon pendens voluit sibi amputare capillos, vt cadens fugeret; sed vidit sub se apertam Gehennam, & ne caderet in abyssos voluit potius pendere in arbore*. Mirum est, quam terribile sit Gehennę tormentum, vt illius tantummodo conspectus ità turbauerit Absalonem, vt penè fuerit oblitus, de vitæ remedio cogitare, quin potius, vt tormenta illa tantisper euaderet, in arbore voluit statim moriturus pendere. Quod ergo contigit Absaloni, hoc animabus purgatorij accidit; nam sicut ille conspecta Gehenna, seipsum fuit oblitus, ita illæ non solum flammas videntes gehennales, sed illarum vim, & ardorem sentientes, non solum nos obliuiscuntur, sed nec sibi ipsis consulunt. Vnde non benè agit, qui earum fidit orationibus, qui enim sibi non prodest, quomodò alijs prodesse poterit? Ad Deum ergo in nostris necessitatibus occurrendum est, B. Virginis & sanctorum auxilium implorandum. Et qui aliter faciunt, vt parum Religiosi, *ex sententia* Angles, argui poterunt. *Hinc* inquit, *qui in suis necessitatibus sperant, et petunt præsidium animarum existentium in purgatorio, non religiosè faciunt: neque enim pro alijs orare possunt*.

D. Angl. in 2. dist. 11. vni. de art. dif. 6. tom. 2.

Conclusio affirmatiua.

S. Bern. Sen. t. 4. ser. 15. de purg.

Alij, & bonæ notæ doctores, opinantur, Purgatorij animas, dum ibi existunt, preces pro nobis ad Deum effundere: præeat S. Bernardinus Senensis, sic adhortatus: *Non cesses orare pro defunctis, & facere Eleemosynas, & alia bona pro eorum animabus, quia etiam orabunt pro te, quod Deus det tibi gratiam pœnitendi, & conterendi de tuis peccatis*. Quod si opponas, Purgatorij animas ignorare preces, quæ hic pro ipsis effunduntur: atque adeo non posse gratiam orando pro benefactoribus rependere, vtpote, quæ in verbo talia non vident, & quomodo pro ijs, quorum habent ignorantiam, sollicitæ erunt? Hinc vrget S. Bernardinus. *Sed quæro, qualiter animæ possunt scire, si fiunt legata, & relicta per eas, & si commissarij fraudant eas, & quæ eleemosynæ fiunt pro eis?* Cui obiectioni ita respondet: *Ad hæc dico, quod hæc possunt scire quadrupliciter, vel per illuminationem diuinæ inspirationis infusæ in ipsis animabus, vel per reuelationem Angelorum, vel quia eis referuntur per alias animas, quę de hoc sæculo recedunt scientes prædicta: quia dicunt filius tuus noluit mihi dare legatum, quod mihi reliquisti &c. Quarto modo possunt scire per experientiam: quia sentiunt sibi alleuiare pœnas, quemadmodum gamba debilis sentit, quando tu comedisti, & es refectus, quia est fortior, & melius itinerat, & sic portator oneratus lignis, dum exoneratur de aliqua parte lignorum sentit, leuamen*. Hæc ille: & tom. 2. sermon. 65. de statu Purgatorij a. cap. 2. circa finem breuius, & magis dillucide idem proponit. *Quartum verò gaudium est proximorum subuentio, quæ quidem eis quadrupliciter innotescit. Primò, diuina inspiratione; Secundo, Angelica reuelatione: Tertio nouiter morientium annuntiatione. Quartò experientiæ cognitione, quia propter suffragia, quæ impenduntur eis, experiuntur sibi diminui pœnam*. Nec solius D. Bernardini sententia est, sed etiam Augustini, quem ipse refert. Augustinus ait. *Fatendum, est nescire quidem mortuos, quid hic agatur, sed dum agitur hic, postea verò audire ab eis, qui hinc ad eos pergunt moriendo: non quidem omnia, sed quæ sinuntur etiam isti meminisse, & quæ illos, quibus hoc indicant, oportet audire. Possunt etiam ab Angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præsto sunt, audire aliquid mortui, quæ vnumquemque illorum audire debere iudicat, cui cuncta subiecta sunt. Hæc ex Augustino*. D. Bernardinus, & lib. de immortalitate animæ S. Augustinus in eadem est sententia dicens: *Animę purgatorij sciunt, quæ apud nos geruntur, vel per reuelationem Angelorum, vel per reuelationem ab alijs animabus, quę post ipsas ex eadem patria ex hac vita migrare contingit*. Ita ille: subscribit Belarminus li. de Purgat. q. 2. cap. 15. *Non est incredibile animas Purgatorij pro nobis orare, & impetrare*. Ex his planè sequitur, animas Purgatorij, quamuis in verbo preces nostras, &

S. Bern. Sen. t. 2. serm. 65. de stat. purg ar. 2. ca. 2.

D. Aug. ap D. Bernard vbi supra.

D. Aug. l. d in mort. ani cap. 1.

Bellar. l. d pur. q 2. c. 1

ne-

necessitates non videant, quia tamen quolibet ex supradictis quatuor modis hæc omnia poterunt videre, iuxta gratitudinis leges, pro suis benefactoribus Deum erunt rogaturæ. Neque enim fide caret, vt benefactores suos agnoscentes, gratiam, Deum orando, non rependent cum possint, & reuera posse videntur. *Non est incredi &c.*

Cæterum iam dico: Vnus ex quatuor modis, quibus animę certiores redduntur de his, quæ in hoc sæculo pro earum iuuamine fiunt a Diuo Bernardino numeratus est, diuina illuminatio. *Per illuminationem diuinæ inspirationis infusę in ipsis animabus.* Quænam autem illuminatio isthæc est? Scotus sic illam definit in 2. d. 6. q. 1. Scot. in 2. dist. 6 quæst. 1. *Illuminatio Angeli, est quędam loquutio de vero profectu in esse secundo.* Quam definitionem ita exposuit Angles. Angeli illuminatio quę *Illuminatio actiua est quędam locutio alicuius propositionis veræ, per quam Angelus audiens perficitur in esse secundo, idest accidentaliter.* P. Angl. in 2. d 9. q. 5. dif. 6 Itaque quoties Angelus illuminat, actiuam habet illuminationem, & anima, quæ illuminatur, passiuam. V.G. si Angelus sciret, quendam a suis parentibus in paupertate relictum, à Rege locupletatum fuisse, vel prædiuiti matrimonio nobilitatum; Huiusmodi veritatem, quam scit Angelus animabus Patris, vel matris illius in Purgatorio detentis manifestat, quæ audito Angelo, *perficiuntur in esse secundo, idest accidentaliter.* Quoniam, licet pœnæ purgatorij non imminuantur, accidentaliter tamen propter felicem filij euentum recreantur. Idem censuit D. Thomas dum ait, D. Thom. *illuminare, est manifestare alijs veritatem illuminanti cognitam.* Cum igitur Angeli Custodis nouerint verum esse, quod accidit parentibus manifestant, atque adeò per illuminationem, quæ in hoc mundo fiunt, agnoscere dicimus, & subinde, cognitis benefactorum necessitatibus, pro eis Deum rogant. Angeli non etiant parentibus bona viuorum.

Non est incredibile, animas purgatorij pro nobis rogare, & impetrare.

Obstat huic assertioni, quod animæ extra mœrendi statum, vt aiunt, sunt constitutæ: vnde, etsi nostram agnoscant indigentiam, pro ea tamen rogare nequeunt, quia earum oratio non est meriti capax, siquidem status ille solum est capax satisfactionis, vt docuit Caietanus. *Animæ*, inquit, *existentes in purgatorio extra statum merendi, & demerendi sunt, non autem satisfaciendi.* Caie. in opusc. tra. 32. qu. 1. Et qui mereri non potest, nec etiam rogare, aut impetrare. Respondendum tamen est, quod licet animæ purgatorij sibi ipsis non mereantur, propter statum incapacitatem, quia tamen iustæ sunt, & in Dei gratia, pro nobis, qui viatores sumus, & merendi capaces, Dei fauores, & beneficia consequi valent, quod non est incredibile, sed valdè congruum, & rationi consentaneum.

Probatur deinde nonnullis scripturæ locis. Primò ex D. Luca cap. 16. vbi introducit diuitem auatum cum Abrahamo loquentem, & postulantem, vt Lazarum mitteret, qui linguam, extremo digito in aqua intincto, refrigetaret; Deinde, vt ipsum nuntium ad fratres mitteret, qui eos hortaretur, & ad meliorem vitam traduceret, ne damnati similibus pœnis subijcerentur. Luc. 16. *Pater Abraham.* Patrem vocat, orationem suam appellationis blandimento temperans, tui, vicissim: *Abraham dixit: Fili recordare.* D. Io. Chrys. Con. 2. de Laz. Filium vocans, quem damnatum videbat. Quo loco ait Chrysostomus. *Aspice patriarcha bonitatem, vocat illum filium. Quis mansuetudinem eius potest exprimere, nullum tamen prabet auxilium, qui se remedio priuauerat.* Nota. Ita ille. At verò diues, vt se in statum aduertit constitutum, in quo sibi mereri non poterat, pro fratribus cœpit rogare. *Et ait: Rogo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, nè & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Animæ in Purgatorio orant pro viuis. Vide, vt mortuus pro viuis roget, & Abrahamum obsecret, hoc est Deum, à quo benignè auditus; quando sibi impetrare non potuit, pro fratribus rogauit, primò sibi, deinde, illis petens, vt aduertit D. Gregorius. D. Greg. hom. 40. in euang. *Postquam ardenti diuiti de se spes tollitur, eius animus ad propinquos, quos reliquerat, incurrit;* Et verò dum diues ille pro alijs rogat, postquam vidit, quod sibi non impetrauerat, no-

bis

Purgatorij animæ pro nobis rogāt.

bis datur intelligi purgatorij animas, licet extra statum merendi sint, pro alijs rogare, & impetrare posse, Deo illas audiente; si enim diuiti damnato sic amanter respondit, vt filium dixerit, vnde animum ille resumpsit, vt pro fratribus obsecraret. *Postquam ardenti diuiti de se spes tollitur, eius animus ad propinquos, quos reliquerat, incurrit.* Multo facilius credendum est, purgatorij animas auditurum, & quamuis illæ pro se nihil mereantur; benè tamen suis benefactoribus auxilium merebuntur: & quoties de eorum necessitatibus quolibet ex numeratis modo fuerint edoctæ. *Non est incredibile, animas purgatorij pro nobis orare, & impetrare.*

Iob 39. Lyr. ibi.

Faciunt in hanc rem illa Iobi verba ex cap. 39. *Penna struthionis similis est pennis herodij, & accipitris.* Obscurus videtur dicendi modus, cui lucem affert Lyra, dicens: *Hic consequenter ponitur exemplum de Struthione, quæ est auis in pluribus mirabilis; in corpore enim quantum ad grauitatem assimilatur animalibus, quia per alas non erigitur in altum, sed fortius iuuatur ad fortius currendum super duos pedes.* Hæc est litteralis expositio, ex qua egregium propositi instituti Hieroglyphicum enascitur. Duo, vt ait Lytanus, habet struthio, vnum, quia secundum alas est auis, alterum, quia secundum corpus animal est.

Anima in Purgatorio duos habet status.

Sic etiam anima, quæ in purgatorio detinetur, duos habet status. Nam si Deo gratam, & amicam inspiciamus, iustis assimilatur, qui volatu ad beatitudinem subleuantur: si inter flammas ardentes viderimus; adeo grauis est, vt volare non posse ad iustorum societatem fateamur. Ad quid ergo inseruiunt alæ, quæ Herodij pennis similes dicuntur? Hoc est, quam ex gratia, & amicitia Dei vtilitatem percipit? siquidem cum alijs iustis ante ipsius conspectum volando, apparere non potest: Respondet Lyra. *Solum iuuatur ad fortius currendum:* Scilicet, quia non sunt in statu merendi, benefactores iuuant, pro illis rogant, & auxilium à Deo obtinent. Atque adeo partim beatis assimilantur, partim ab eis dissident. Quia sibi non merentur, alijs tamen impetrare possunt, & benefactoribus fauorem adipisci, *Solum iuuatur ad fortius currendum.*

Non deuiat ab hoc instituto, quod D. Ambrosius de Abel interitu disertè expendit. Nam postquam Deus fratricidam conuenerat, & delicti negantem inuenerat, sic cum eo expostulauit. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Miratur hoc loco D. Ambrosius, quod Deus dixerit, se tribunal in terra constituisse, indeque iustitiam postulasse. At me tenet admiratio, quod defuncti sanguis clamet, & audiatur à Deo. Nonne aderant mortui Parentes, qui vindictam peterent? Certè aderant, cur ergo illis tacentibus mortui sanguis clamat, & auditur? Dupliciter respondet S. Ambrosius. Primò ait attendendum est, è qua parte sanguis clamorem edat. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, & benè ait clamat de terra, non dixit de fratris corpore, sed de terra clamat:* ideoque auditur, quasi meritum auditionis è terra sanguine illo madefacta, prouenerit: Præterea *non mediocre etiam dogma in hoc, quia Deus iustos suos audit, etiam mortuos, quoniam Deo viuunt.* At quænam prærogatiua sanguinis Abel, vt clamans audiatur? quia de terra clamat An quia iustus erat? dixisset ergo auditum fuisse, quia iusti sanguis erat, non quia de terra clamabat. *Et benè ait clamat de terra*, dixisset item ideò auditum, *quoniam Deus iustos suos audit, etiam mortuos, quoniam Deo viuunt.* Verum, quod dicat ideò auditum, quia de terra clamabat, mirabile est. Cæterum cesset admiratio: si locus, in quo erat Abel inuestigetur. Et quidem ille, vtpotè iustus, erat in Limbo, pœnam damni soluens, vsque ad Christi aduentum: & iam statuimus Purgatorium, Limbum puerorum, & sanctorum Patrum, omnia in eodem loco existere, vt iam probatum reliquimus; quod si idem est omniū locus, ille, in quo erant, dicendus est terræ centrum, vt cum D. Bonauentura sustinet Angles. *Purgatorium, & limbus puerorum, quod in inferioribus terræ partibus existant, id enim canit Ecclesia, libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu.* Sed iam in qui-

Gen. 4.

D. Ambr. l. de Cain & Abe cap. 9.

Deus iusto audit etiam mortuos.

D. Bona in 4. 44. q. 2. ap D. Bern. Ser Angl. in 4: 55 ar. 1. co 41.

quiro, qui nam sunt iusti, qui post mortem in Dei gratia, & amicitia versantur, etsi ad beatitudinem non intrauerint? Animæ purgatorij, quæ in centro terræ detinentur. Vt ergo nouerimus, quod licet extra statum merendi sint, non proinde audiri desinunt, cum pro suis benefactoribus rogant. Et ideo S. Ambrosius autumat Vocem sanguinis Abel auditam, non solum quia iustus ille erat, sed quia e terra vox illa prodibat. *Et benè ait clamat de terra: Non dixit de fratris corpore, sed de terra clamat.* Quia verò clamor inde resonabat, auditus à Deo est; etenim *Deus iustos suos audit, etiam mortuos, quoniam Deo viuunt.*

Deus & mortuos audit.

Iuuat iterum eadem verba aliter versare: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Mirum certè est, vt sanguis effusus clamorem edat, & necis pœnam exposcat. Cur vox ista non e corpore; aut ex anima emittitur? quare omnes conticescunt, & solus sanguis in terram effusus clamat? Respondet S. Ambrosius. *Non accusat frater, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius: sed vox sanguinis accusat.* Quid verò clamando postulat? planè iustitiam, & de occisore vindictam. Vnde ait Ambrosius. *Magna virtus iustitię, quæ vindictam expetit pro sanguine innocentis.* Et verò vindictam e terra, hoc est, vt iam exposuimus ex purgatorio expetit pro Abel, & quia iusti sanguis est, auditur. *Nam Deus iustos suos audit, etiam mortuos, quoniam Deo viuunt.*

Gen. 34.

S. Ambr. vbi supra.

Vbi sup.

Iusti sanguis auditur.

Vide igitur, vt quamuis anima in Purgatorio detenta sit, *extra statum merendi*: nihilominus à Deo auditur, & suis benefactoribus fauores obtinet, & propterea vox illa non à corpore, non ab anima editur, sed à sanguine, qui sibi mereri non poterat; dum autem e terra erumpit, Purgatorii animam repræsentat, quę non sibi meretur, aliis tamen impetrat; ideo non clamauit Abel, nec ipsius anima ex Limbo, sed sanguis de terra. *Non accusat frater, ne videatur parricida: Non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat:* Vt dum auditur, ostendat animas Purgatorij pro alijs rogantes audiri, quodque sibi non merentur, alijs promereri: *Deus iustos suos audit, etiam mortuos, quoniam Deo viuunt.*

Pergo vlterius, & illam Baruch petitionem expendo. *Et nunc*, inquit, *Domine Deus omnipotens, Deus Israel; anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te: audi Domine, & miserere, quia Deus es misericors, & miserere nostri, quia peccauimus ante te, quia tu sedes in sempiternum, & nos periuimus in æuum: Domine omnipotens Deus Israel audi nunc orationem mortuorum Israel.* Ita ille. Et ni fallor animarum purgatorii nomine Deum alloquitur, quarum pœnæ adeo crudeles sunt, vt nulla oratione explicari possint. Cæterum videamus, quid petunt: Lyra sic interpretatur hanc petitionem. *Deus Israel anima in angustijs posita, & spiritus anxius ex afflictione durâ clamat ad te, vt possit aliquantulum respirare.* Ergo solatium, & animæ respiratio pendet ex Dei concessione, qui animæ postulatibus annuat. Ita quidem est, sic enim leuamen aliquod vnaquæque accipit, vt possit aliquantulum respirare. Verum cum, vt docuit Caietanus; *Animæ existentes in purgatorio extra statum merendi, & dimerendi sint, non autem satisfaciendi.* Quid, & quibus petunt, vt inde pœnarum leuamen consequantur? Planè subsidium suffragiorum, quæ Deo offerantur, vt ergo hi multiplicata offerant, quando sibi mereri non possunt, pro eis rogant, diuinam misericordiam implorando, & hoc est quod dicit: *Audi nunc orationem mortuorum Israel, quia animà in angustijs posita, & spiritus anxius ex afflictione dura clamat ad te, vt possit aliquantulum respirare.* Cum igitur animæ certitudinem habeant, quod merendi incapaces existant, & tamen orant: *Audi Domine orationem mortuorum Israel*; planè à Deo fore audiendas, & pro deuotis fauores, ac beneficia assecuturas confidunt; ideo ait Bellarminus, *Non est incredibile animas purgatorij pro nobis orare, & impetrare,* Quod eo libentius faciunt, quo solatium suum inde pendere conspiciunt, *vt possint aliquantulum respirare.*

Baruch. 3.

Lyr. ibi.

Caie. in opusc. tra. 3. 2. q. 1.

Animæ in Purgatorio sunt extra statum merendi.



CAPVT IX.

Quod animæ Purgatorij non solum pro suis deuotis Deum rogant, sed promptissimæ sunt vt ipsis in necessitate constitutis subueniant: Quoniam ille solum in labore compatitur, qui quid sit premi necessitate cognoscit.



NEMINEM amplius necessitas premit, quam animæ in purgatorio existentes. Vnde facilius nobis in labore constitutis compatiuntur, siquidem necessitatis tolerantia edoctæ, alijs promptius condolent. Illustranda est huiusmodi propositio pulcherrimo D. Zenonis cogitato, qui solito acumine verba illa expendit, quibus Angelus Abraham in Isaac iugulum iamiam gladium vibrantem retardauit. *Abraham, Abraham, qui respondit adsum; dixitque ei. Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.* Si liberandus erat Isaac, cur tandiu expectat? vtrum iam penè occidendus esset, ab interitu redimitur, si probandæ fidei causa hoc fecerat; tum iam Deo nota esset, quare cum tanto doloris sensu probare voluit? Certè vt veniam largiendo amplius faueret, ac cum pro Isaac arietem immolare præriperet, Patrem à dolore, & angustia liberaret. *Respice retro dixit Deus, & antequam respicias, parce.* Zenonis Verba sunt. Itaque parcere iubet, quem occidi præceperat. Quia, vt ait idem Zenon. *In illo sacrificio solus Deus doluit, quia aliam victimam procurauit.* Cum ergo Deus filium suum pro hominibus mori destinauerat, & quam ingens dolor esset filium vnicum videre morientem expertus, ait: Si ille compatitur laboranti, qui laborem sustinuit; cum ego nouerim doloris magnitudinem, quæ ex filij morte concipitur, planè Abrahamo compati debeo, videns, quod filium cogatur ad meum imperium de medio tollere; ideoque pro Isaac arietem eligo immolandum, quia laboris non ignarus laborantibus libenter compatior. *In illo sacrificio solus Deus doluit, quia aliam victimam procurauit.* Et procurando notum fecit, illos in calamitatibus alijs succurrere, qui calamitatem aliquando sustinuerunt.

Gen. 22.

D. Zen. Verb. ser. 5. de Abra.

Secunda huius assumpti probatio deducenda est ex diuitis auari petitione, quæ parum prudens videri poterit, meo tamen iudicio disertissima est. Igitur diues ille gehennali incendio conflagrans sic Abrahamum obsecrabat: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma,* Petitione hac audita, cum diuite sic expostulat D. Chrysostomus. *Erras miser: Lazarum videre non dignabaris, & nunc digitum eius videre desideras?* Sic mutata est rerum vicissitudo; vt nunc pauperis auxilio egeat, qui olim inedia premebatur? *Ecce,* inquit, *diues indiget paupere, qui quandoque esuriebat.* Vides, quod iam non errer, pauperis auxilium implorando, ea tantum ratione, quia pauper est. Errauit ergo, quoniam dum aderat Abraham, qui adeo promptè egentibus succurrebat, vt ad exitus viarum se conferret, & domum pertraheret, conuiuioque reficeret ad Lazari auxilium currere non debuerat, sed quoniam Abrahamo fuerat locutus, dicens. *Pater Abraham,* perperam egit addendo: *Mitte Lazarum*: Et in hoc error constitisse videtur. *Erras miser.* Cæterum disertè fecit Lazari auxilium postulando, quia vt pauper miseriam edoctus, misero facilius opitularetur. Ecce diues indiget paupere, qui quandoque esuriebat. Melius cum D. Gregorio dixeris, in eo errasse, quia. *In inferno positus, vsque ad minima quærenda peruenit: nam guttam aquæ petiuit, qui micas panis negauit.* Et quantum hic errat, tam disertum se præbet, dum Lazarum ad se mitti postulat, quia li-

cet Abraham misericors esset, promptior tamen est pauper necessitatem aliquam expertus auxilium præbere, quam dices; ideoque dum Abrahami misericordiam implorat, *Pater Abraham miserere mei*, non vt ipse veniat, sed vt Lazarum mittat disertè rogat. *Mitte Lazarum*, quia iste mali non ignarus, misero promptius succurreret. *Ecce diues indiget paupere*, *qui quandoque esuriebat*. Reuera enim ille solus necessitate oppressis subuenit, quem aliquando necessitas oppressit.

Facit in hanc rem illa Dei dispositio, qua esurienti Eliæ coruorum ministerio præbuit alimoniam. *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, Coruisque præcepi, vt pascant te ibi*. En diuina præceptio: in qua expendendum est, quod famelico prophetæ aues mittat voracissimas, cum aliæ plures essent, quarum ministerio vti posset, quia hæ ad ferendum ipsi auxilium aptiores erant: Nam ex auibus corui recenter educti, necessitatem experti sunt; siquidem in nido positi, propter plumarum cādorem à parentibus deseruntur: vnde cæli auxilium crocitando implorant, iuxta illud Dauidicum, *& pullis coruorum inuocantibus eum*, vbi Lytanus cum S. Isidoro. *Dicit enim*, inquit, *Isidorus, quod corui non ministrant cibum pullis suis, donec videant illos nigrescere plumis, quia tunc recognoscunt eos tanquam suos; sed antequam habeant plumas nigras, nutriuntur rore cælesti, & sic dicuntur à Deo nutriri*. Benè ergo Eliæ mittit coruos, vt eum pascant, quoniam si is, qui necessitatem fuit expertus, alijs in necessitate constitutis auxilium præstat, corui, qui à parentibus derelicti necessitatem experti fuerant, promptè Eliæ necessitate oppresso auxiliarentur. Do Sanctum Chrysostomum hac de re pulcherrimè locutum. *Deus Prophetam vna cum populo punit, vel dum etiam ipse in famis supplicio comprehenditur, aliquid misericordiæ in relaxando sententiæ suæ iuramento addiscat. Et paulo post Prophetam per illas potissimum aues, quibus sui fœtus inuisi, nutrit. Odit enim prolem suam coruus, & natam non educat. Id quod Propheta insinuans dixit. Et pullis coruorum inuocantibus eum*.

3. Reg. 17.

Illi pietate experiuntur, ut necessita... [illegible] nouere

Ps. 146.

Lyr. ibi.

D. Io. Chrys. hom. 2. de Elia.

Rem adhuc magis illustro. Cum Deus Eliæ præcepit, vt in torrentem Carith secederet, ei dixit. *Ibi de torrente bibes, coruisque præcepi, vt pascant te ibi*. Nonnullis tamen diebus transactis. *Siccatus est torrens*: Vnde Elias non habebat aquam, qua sitim extingueret, nec tamen miraculo ministratur, sicut ministrabatur & cibus, quem corui deferebant. *Quæretur*, inquit Abulensis, *cum Deus supernaturaliter benefaceret Eliæ, mittendo ei cibum per coruos apud torrentem Carith; quare etiam non fecit supernaturaliter, quod torrens ille non siccaretur?* Responsionem alia quæstio ministrabit, videlicet, Cur Eliæ potius defuit potus; quam cibus, cum Deus vtrumque promiserit, & magis pronum videbatur, vt corui non deferrent alimentum, quam vt torrentis aqua deficeret; in hoc enim apertè monstrabatur, Deum non velle aquam ministrare; siquidem, vt siccaretur permisit. Dum autem corui, vtpotè voraces, itemque iam ab arca egressi, non redire didicerant, potius eorum voracitati, quam Deo nolenti Eliæ succurrere, cibi defectus attribuendus erat. Cum ergo hæc ita sint, quare Deus aquam potius deesse voluit quam panem? Respondeo, Periculosum magis esse panis defectum, attenta coruorum, per quos mittebatur, voracitate, quos ideo Deus ad hoc ministerium elegit, vt Eliam edoceret, quod sicut illo, vtpotè qui nouerant necessitatem, ipsi compatiebantur, carnem, & panem fideliter deferentes, sic Propheta populo necessitati oppresso compateretur. *Vnde per illos apud Eliam qui Iudæis, vt filijs male frugis succensebat Deus intercedit, quasi dicat: Ne tanto Iudæorum tuorum filiorum odio tenearis, quanto erga pullos suos corui; qui natura sunt immisericordes, illi ipsi vt hospites tibi seruiunt*. Hæc D. Chrysostomus. Et statim Dei nomine sic expostulat cum Elia. *Absurdum est ò Elia, quod apud te misericordiæ mea patrocinantur corui, tu autem pro Iudæis, in quos iuxta sententiam tuam sæuis, non in-*

3. Reg. 17.

Abul. ibi. quæst. 22.

Miracula ... passim attendenda.

D. Io. Chrys. vbi supra.

intercedis, *Erubesce*, *& coruorum exemplo Iudæis esto clementior*. Cæterum: Elias nequaquã exemplo coruorum ad misericordiam commotus fuit. Quapropter Deus aquam torrentis siccauit, vt Elias sitim patiens, & necessitatem expertus, populo compateretur, qua iam per triennium siccitate premebatur. Nouerat enim ille, qui necessitatem aliquando sustinuit, alijs in ea constitutis promptè opitulari. *Erubesce, coruorum exemplo Iudæis esto clementior*.

Non longè diuersus abit ab hoc cogitatu Cyrillus Hierosolymitanus, boni latronis petitionem fiducia plenam expendens. Is enim Christo in cruce pendenti locutus dicebat: *Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum*. Cui respondens Christus, plus videtur contulisse, quam petierat. Ille enim solum sui memoriam petiuit, & Christus regnum contulit. Cæterum hæc est Dei conditio, ait S. Ambrosius, qui plura nobis semper quam petimus, elargitur. *Semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur: ille rogabat, vt memor sui esset*, *De Domino autem sequitur*. *Et dixit illi Iesus*: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*. Miror Christi in audiendo Latrone facilitatem, vt statim ex damnato cæli ciuem, & paradisi candidatum effecerit. Quæ tanta fuit in tam improba vita petitionis prærogatiua? Planè ad Dei misericordiam confugisse: perinde enim fuit, quod dixit, interprete Cyrillo Hierosolymitano, ac si dixisset. *Non dico, vt operum meorum memineris: hæc enim metuo*: *Sed omnis homo afficitur ad comitem suum: simul tecum ea ad mortem; memineris comitis tui*. Hæc latro; quasi dicat. Si ex promptu est, vt qui necessitatem aliquando sentit, alijs necessitate oppressis subueniat, illud oro, vt videas, te eisdem, quibus ego pœnis afficior cruciari, vtrumque cruci pendentem sustinet, & mors expectat. *Sed omnis homo afficitur ad comitem suum*; *simul tecum eo ad mortem; memineris comitis tui*, & me ab his tormentis, & cruciatibus exime. Ita fiet, inquit Christus, & non solum tuis annuo postulatis, & afflictionem expertus tibi compatior, sed insuper mecum referam in paradisum. *Semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur. Ille rogabat, vt memor sui esset. De Domino autem sequitur. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie meum eris in paradiso. Quia omnis homo afficitur ad comitem suum*.

Luc. 23.

Deus sæpe plura, quam petimus, elargitur.

D. Amb. in Luc. c. de duob. latron.

D. Cyri. Hierosol. cathe. 13

Sed iam animabus Purgatorij hoc adaptans, quæro. Quæ magis pœnarum, & afflictionum gnaræ, quam illæ, tot doloribus cruciatæ, et si afflictis compatitur, qui afflictionem experitur, planè cum earum auxilium petierimus, nobis succurrent, & præsto erunt. *Quia omnis homo afficitur ad comitem suum*, Prouerbiorum cap. 19. dicatur. *Homo indigens misericors est*: *Et melior est pauper, quam vir mendax*, quæ Verba per paraphrasim exponit Glossa interlinealis. *Homo*, inquit, *humilis, qui se veris bonis indigere recolitur, misericors est, vt misericordiam consequatur. De quo adiungit, melior est pauper iustus, non fidens in se, quam vir mendax*. Vides igitur, vt certius est necessitatis auxilium, cum à paupere petitur, qui suæ recordatur afflictionis, & hac memoria ad compassionem excitatur, non sic diues abundantia fretus, & mendacijs studens; cum enim afflictionem expertus nunquam fuerit, alijs in afflictione constitutis compati nescit, & ideo prudentius agit, qui ad suæ afflictionis auxilium pauperem necessitatis memorem, potius quam diuitem implorat. Quia homo indigens misericors est, & melior est pauper, quam vir mendax. Habet enim nescio quam virtutem probata necessitas, & animum ad miserationem ita componit, vt nunquam leuamen afflictionis ab eo postulaueris, qui afflictus aliquando extitit, quin obtineas: & si diuitem auro, & argento onustum conueneris, non te audiet, nec opitulabitur. Hinc est illud Lyrani: *Homo indigens, misericors est, quia experientia suę miseriæ, monet eum ad miserandum alijs in affectu*. Qui ergo te sentis afflictum, & necessitate oppressum, diuitis domum fuge, qui nunquam afflictionem de facie agnouit, & vt plurimum Verba pro

Prou. 9.

Glos. int. ibi

Aptior e ad miseret dum, qui a feriam expertus est.

Lyr. ibi.

au-

auxilio dabit, mendacijsque decipiet. Pauperem conueni, auxilium ipsius implora, quia necessitas eum compati docuit, & quantum suppetet facultas, opitulabitur. *Melior est pauper iustus non fidens in se, quam vir mendax.* Ergo ad pauperem vade, ab eo afflictionis leuamen exige, & indubitanter præstabit. *Quia experientia suæ miseriæ, mouet eum ad miserandum alijs in affectu.* Claudo igitur. Si propriæ necessitatis experientia nos erudit, vt alienæ compatiamur, cum animæ purgatorij in assidua afflictionis experientia versentur, optimum sanè consilium est, earum auxilium suffragijs, & orationibus pro ipsis deuote oblatis compassione promereri. Nobis enim in necessitate constitutis promptè succurrent, & effusis ad Deum precibus, exhibitum compassionis Officium rependent. Etenim, *Non est incredibile animas purgatorij pro nobis orare, & impetrare*; Et sanè miseriæ, quam sustinent tolerantia, ipsas erudiunt, ac ad nostri miserendum impellũt, more eorum, qui necessitatem aliquando experti, alijs promptè succurrũt. *Quia experientia suæ miseriæ mouet eas ad miserandum alijs in affectu.*

Nullus aptior ad miserendum, quã qui aliquando miser.



CAPVT X.

Quod cum pœnæ Purgatorij non sint medium ad beatitudinem necessarium, tales tamen videntur in eo, qui satisfacere debet. Nullum enim certius est illius gloriæ indicium, quam huiusmodi pœnarum euidentia.



VERVM quidem est, vt cum D. Bernardino loquar, Purgatorij locum non esse absolutè requisitum, vt animæ ad beatitudinem admittantur, quia possibile est, vt hoc aliter fiat, Deo ita disponente, vt cernere licet in latrone. *Possibile tamen est*, inquit, *ipsi creatori animarum subitò animas, quas voluerit expurgare, sicut contigit in dextro latrone.* Vel etiam quia potest accidere, vt anima verè pœnitens contritionis actum eliciat adeo intensum, vt culpam pariter, & pœnam aboleat. Iterum D. Bernardinus. *Possibile est autem animam tantam habere spiritualem reformationem, hoc est, tantæ afflictionis, & doloris, vt aliam pœnam ab ipso pœnitente iustitia diuina non requirat.* Præterea, si in vita præsenti post culparum confessionem, ita pœnitentijs satisfaciat, vt non restet quod e uita discedens, satisfaciat. *Sed*, inquit, *si tantam dat pœnitentiam, quanta sufficit, tunc non vadit in Purgatorium.* Cum igitur hi, & alij purgationis medij sint possibiles, vt considéranti planum fiet; optime sequitur, Purgatorij locum tanquam medium ad beatitudinis fruitionem necessarium non requiri. Atque ita sub Eugenio IV. statutum est à Concilio Florentino. *Illorum animas, qui post baptismum susceptum, nullam peccati maculam incurrunt, illas etiam, quæ, vel post contracti peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eiusdem exutæ corporibus sunt purgata in cælum mox recipi, & ibi intueri clare ipsum Deum Trinum, & vnum sicuti est, si verò pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis, & omissis satisfecerint, eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari.* Hæc Concilij definitio, cui inhærens Caietanus, ita loquitur. *Inuenimus autem ab Ecclesia diffinitum purgatorium esse medium, quod ad satisfactionem pro actualibus peccatis, tunc tantum, quando homo in charitate decedens non planè satisfecit.* Hinc deducit egregiè S. Bernardinus imprudenter agere, quotquot dicunt Purgatorium non esse medium ad beatitudinis fruitionem necessarium, si quolibet ex prædictis modis satisfacere non animantur, pœnitentiam agentes, qua quidquid pœnarum restat purgandum, in vita præsenti pendant, vt sic cum primum mortui fuerint in Domini sui

S.Bern. Sen. ser. 64. de pur. art. 1. cap 3.

D.Bern Sen. ser. 15 de pur. c. 4.

Conc. Flor. sup. Eug. 4

Cai in opus. t. 1. tra. 23 quæst. 1.

gau-

gaudium intrare possint. *Quia igitur*, inquit, *tales intelliguntur purgatorij pœnæ, quæ ceptam in hac vita purgationem pœnitentialem perficiant, & suppleant, leuesque, atque velut desuper asperas maculas leuium peccatorum, abstergendo animas, purificent. Ideo & necessaria sunt multis animabus, & per eas diuinæ satisfit iustitiæ, & clementiæ. Propterea necesse est animabus humanis post corpora, & tempus, & locum habere huiusmodi ad purgationem complendam.* Hæc ille, quæ non nullis scripturæ locis illustrabimus.

D.Bern.Sen. ser.64 depu. cap.3.

Primo igitur profero illud Ioannis 21. vbi refert, quod piscantibus ad marem Tiberiadis Apostolis, apparuit illis Iesus, & interrogans, an aliquod haberent manducandum, ipsi responderunt, se nihil habere. Tunc præcepit eis Iesus, vt rete mitterent, quo facto tantam piscium multitudinem collegerunt, vt rete rumperetur: cumque illud in terram traherent, piscem supra prunas positum inuenerunt, & panem, quibus Iesus dixit, vt ex piscibus, quos cœperant, afferrent, & obtemperantibus illis, vt comederent, suasit. *Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dixit eis Iesus, afferte de piscibus, quos prendidistis nunc*: afferunt illi, & Dominus dixit: *Venite, & prandite*. Notat verò ad hunc locum D. Augustinus, panem non esse prunis impositum, sed piscem. *Non autem hic intelligendum est panem fuisse prunis superpositum, sed quasi diceret: viderunt prunas positas, & piscem superpositum prunis, & viderunt panem*. Addit verò S. Thomas, hæc omnia mirabiliter à Christo creata. *Viderunt*, inquit, *prunas, quas Christus sua potestate creauerat ex nihilo, vel ex aliqua præiacenti materia formauerat*. D. Thomæ adstipulatur Lyranus dicens: *Ista enim diuina virtute fuerunt de nouo formata*. Quare ergo non accipit, quæ de nouo formauerat? nonne satis condita erant? Cæterum videtur quod dum ad comedendum inuitat, piscem assatum, & panem debebat porrigere, non autem pisces, quos ceperant, postulare, hoc enim aptius videbatur, quam de piscibus paulo ante

Ioann. 21.

D. Aug. tra. 23.

D.Tho. ibi.

Lyr. ibi.

captis cibum parare. Non tamen hoc facit, sed quasi piscem, quem miraculo parauerat, contemnens, rete captos conquirit. Ratio est, quia pisces à Petro capti fideles significant, qui intra Ecclesiæ rete conclusi tenentur, vt docuit D. Thomas. *Quod ergo tunc Christus aperit in voce, dicens: Pasce oues meas: hoc ipse nunc præfigurat in opere. Nam ipse pisces ad soliditatem littoris protrabit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit: sed dicit (rete plenum magnis piscibus) quia quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & magnificauit*. At verò ex his, qui ad beatitudinem euehendi sunt, duo sunt genera, quidam enim purgatione non indigent, & in purgatorium non intrant, alij flammis primò purgantur, & postea ad Paradisum admittuntur: primò significantur piscibus, qui adhuc in rete conclusi sunt. Piscis verò in prunis sic propositus, eos significat, qui purgatione indigent, vt beatitudine fruantur; vt autem Christus nos doceat, hanc purgatorij expiationem medium non esse necessarium ad beatitudinem, quamquam ita in purgatione indigentibus videatur, quia nullum illius gloriæ maius indicium, quam talium pœnarum euidentia, ideo ait: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc*. Et quia nulla culpæ libe sunt infecti, cibum mihi saporatum ministrent, quin flammarum rigorem sentiant. Quoniam licet respectu eorum, quos purgatorij flamma comburit, medium appareat necessarium: non ita est aliorum respectu, quamuis sic appareat. *Venite ergo, & prandite*. Nec verò piscis ille vobis conteptui sit, dum enim inter prunas ardet, ad beatitudinem aptus efficitur; quia pœnarum eiusmodi euidentia, certissimum est illius gloriæ indicium. *Nam ipse pisces ad soliditatem littoris protrabit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit; sed dicit (rete plenum magnis piscibus) quia quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & magnificauit*.

D. Thom. c.21. Ioan

Rom. 8.

Purgatori euidentia gloriæ indicium.

Huc etiam trahi potest discrimen, quod in duorum prophetarum Isaiæ, & Ieremiæ purificatione intercessit. Cum enim vterque esset lingua impedi-

ditus alter ad Dei laudes, alter vero ad prædicationem, non vno, eodemque remedio sublatum est linguæ impedimentum. Quoniam de Isaia dicitur: *Et volauit ad me, vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* At verò Hieremias diuinæ manus tactu purificatur. *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum.* Vndenam prouenit hæc differentia? cur vni calculus ignitus, & alteri Dei manus adhibetur? Quare non vterque vel calculo, vel manu purgatur? Auscultandus est de hac re D. Gregorius. *Sed notandum, inquit, quia qui recusauit, penitus non restitit, & qui mitti voluit ante se, per altaris calculum purgatum vidit. Ne autem non purgatus adire quis sacra mysteria audeat, aut quem Deus elegit, sub humilitatis specie superbè contradicat.* Et quidem nec in Isaiæ oblatione præsumptio, nec in Hieremiæ recusatione superbia visa est, sed vterque vel ignito calculo, vel manus tactu habilis à Deo redditus, ad diuinum accessit ministerium. In his tamen vatibus illi repræsentabantur, qui Dei gloria sunt fruituri, Isaias dum ait: *Vir pollutus labijs ego sum:* Maculam suam professus, & Hieremias, vt puellus adhuc loqui nesciens dicit. *Puer ego sum A, a, a, Domine Deus ecce nescio loqui.* Ille calculo, hic Dei manu purificatur, vnde ait D. Hieronymus cum Origene. *Quasi puero huic venit, qui verecundia, & pudore decoratur.* Quia ignis videtur necessarius, ad purificandum oris maculam, quam se habere testatur: & verò dum tali vtitur discrimine, docet, diuersos aditus esse, quibus in gloriam intrabimus. Nam licet ignis ad hoc non sit absolutè necessarius, vt cernere licet in Hieremia; in Isaia tamen qui purgandus erat, necessarius videbatur. *Igne altaris purgantur labia.* Sicut dicit interlinealis. Atque adeo cum ausus est dicere: *Ecce ego mitte me:* Ex fiducia hoc facit, quia iam expertus fuerat calculi flammam, erat enim certissimum obtinendæ beatitudinis indicium, quod iam ignis torturam senserat. Nec ante se offert, quam sit igne purgatus. *Ne autem non purgatus adire quis sacra mysteria audeat.*

Isai. 6.

Hier. 1.

D. Greg. in Hierem. 1.

Adire sacra mysteria nō purgatus, reprehēsibile.

D. Hiero. & Orig. in Hier

Diuersi aditus ad gloriam.

Glos. int.

Pergo vlterius; & cum Origene expendo calculum, quo Isaiæ labia fuerunt purgata, de altari sumptum. *In manu eius calculus ignitus, quem forcipe tulerat de altari.* Deerat ignis alius? minimè: cur ergo potius iste, quam alius adhibetur? Antequam respondeam, quæro: cur ignis ille erat in altari? & si doctum scriptum dicat, ignem semper ibi esse à secundo anno, in quo populus ab Ægypto exiuit vsque ad captiuitatem Babylonicam, quando sacerdotes illum in puteum demerserunt, vt in Nehemia perhibetur, sicut refert Lytanus. *Hic autem ignis absque extinctione fuit conseruatus a tempore, quo fuit datus, scilicet anno secundo egressionis de Aegypto, vsque ad captiuitatem Babylonicam, & tunc fuit absconditus in puteo profundo, & sicco per sacerdotes illius temporis, & tempore Nehemiæ iterum re habitus.* Cum inquam ignis ille in altari assiduo seruabatur, quia altare locus erat sacrificiorum, vbi corda offerebantur in holocaustum, & ignis purgatorij figura; igitur, vt detur intelligi, quod quamuis non sit medium necessarium in eo, qui purgandus est; necessarium tamen esse videtur, quodque nullum earum gloriarum habeatur maius indicium, quam eiusmodi pœnarum euidentia: idcirco ignis in altari reponitur, vt omnis qui ad Deum petgit, per ignem transeat, & purificetur, ad hunc enim solummodo finem, (Ioannes in Apocalypsi) illum aspiciebat, sicut asserit Origenes. Nunc ergo quando Seraphim vidit Isaiam, qui purgari nititur, vt ad diuinatum functionum gloriam accedat, & propter hoc ignem in altari esse repositum: ignes alios contemnat, solum altaris ignem corripiat, vt agnoscatur, quod licet purgatorium non sit medium ad beatitudinem necessarium, in eo tamen, qui purgatione indiget, necessarium apparere, siquidem ad fruendum eiusmodi gloria, nullum maius tepetitur indicium, quam illarum pœnarum euidentia; ideoque Isaias, vt illuc perueniat, sumpto de altari igne, purgatur, vnde purgatorij pœnæ ad gloriam ducunt. *In manu eius, quem forcipe tule-*

Isai. 6.

Lir. in Leu. 9

Ex tribulatione gloriæ indicium.

Orig. hom. 10 in Leuit.

tulerat de altari, ait Origenes, *quod Ioannes vidit in Apocalypsi, quod est plenum calculis ignitis, quibus possunt peccata purgari*.

Memorandum est illud præceptum, quod post Madianitarum victoriam Israelitico populo Deus imposuit, sicut numer. 31. scribitur. *Hoc est præceptum legis, quod mandauit Dominus Moysi: aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stamnum, & omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur: quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua exptationis sanctificabitur, & lauabitis vestimẽta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis*. Inuestiganda est præcepti huiusmodi causa. Quod enim metalla flammis purganda præceperit, vtpote quæ vim ignis sustinere poterant, non multum negotij facessit. At verò alia ad quid aqua erant expianda, præcepto imposito, ne prius castra ingrederentur victoriam celebraturi? *Hoc est præceptum legis*. Respondeo, ciusmodi spolia, tam ex auro, quam argento, & alijs rebus congregata, virtutis opera secundum suæ perfectionis gradum designant; Et verò spolia ista à Madianitis fuerunt ablata, qui idolis seruiebant, ignis verò, & aqua, per quam ad purificationem transitura erant, ignem purgatorij significat, vt censuit Sanctus Bernardinus. *Ideo necesse est*, inquit, *vt compleant id, quod restat, & deest de purgatione sua. Quare est locus ille, quem purgatorium fides Christiana uocat, & de talibus, qui purgantur, ibi mystice Spiritus Sanctus in uerbo proposito inquit, omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur*. Cum ergo Dei populus e prælio veniret, quod cum Madianitis gesserat, & spolia, vtpotè ab Idolatris ablata, maculis erant respersa, quamquam vt in castra ingrederetur, hoc est in beatitudinem intraret, ignis purgatorij necessariò non indigebat, nihilominus vt statutum relinquatur necessarium apparere, quando aliquid cupiendum superest, ideo præcipitur, vt omne spolium, siue ignis, siue aquæ, pro cuiusque qualitate, expiationem habeat, & postea aditus concedatur: Item, vt constet, illarum gloriarum maius indicium in eiusmodi pœnarum euidentia constitutum esse. *Ideo necesse est, vt compleant id, quod restat, & deest de purgatione sua*, qua omnino completa, in castra ingrediantur, deque suo in gloria triumpho gratulentur. *Postea castra intrabitis*.

Num. 31.

Omnes gradus indigẽt purgatione.

D. Bern. Sen. ser. 64. de pur.

Placet item abscondito Isaiæ loco propositum institutum illustrare. Ait igitur capite 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris*. Miror dicendi rationem, si enim maculas absterfurus promittit, aquam meminisse debuerat non ignem, qui ad comburendum aptus est, non autem ad abluendum, ergo quomodo fieri poterit, vt dicatur ablutio, quæ potius dicenda erit combustio? Respondet S. Irenæus huiusmodi ablutionẽ illi correspondere, qua Christus discipulorum pedes mundauit. *Cum venerit plenitudo temporis ipsum verbum per se ipsum abluit sordes filiorum suorum, cum lauit pedes discipulorum*. Benè quidem; at qua ratione sibi correspondent huiusmodi ablutiones? siquidem illa, quam promisit Isaias igne facienda erat, & Christus discipulorum pedes aqua lauit. Vtrumque in suo vaticinio comprehendit propheta, vt scitè adnotauit Clemens Alexandrinus. Lauacrum aquæ discipulis, hoc est viatoribus præstitit: lauacrum ignis animabus in purgatorio existentibus. Ita quod aqueum figurabat igneum, & ignis correspondebat aquæ, Clementis verba sunt. *Optimum lauacrum expurgat sordes animæ: estque spiritale, de quo dicit apertè prophetia, abluit Dominus sordes filiorum, & filiarum Israel, purgationis autem modum subiunxit Dominus, dicens: in spiritu iudicij, & spiritu vstionis*. Rem mihi videbatur Clemens exposuisse, cæterum nunc videtur obscurior. Nam in aquæ lauacro designatum est, iam respectu illius superuacanea est ignis purgatio. Quare igitur præstito in vita præsenti aquæ lauacro in futura non excusatur ignea purgatio? Remteneo. Sicut figulus tornatum vas, & fabrefactum abluit, egregiè depingit, & postea, vt coctum postremam ha-

Isai. 4.

D. Iren. in Isai ca. 4.

D. Clē. Alex. l. 3. de pedag. cap. 9.

beat perfectionem, in fornacem mittitur, sic corporum nostrorum fictilia vasa, vt D. Paulus vocauit, quamquam in vita præsenti lacrimis sint abluta, pœnitentijs depicta, non tamen debitam assequuntur puritatem, vt in beatitudinem intrent, quousque purgatorio igne mundentur; & ideo licet ignis hic purgatorius lauacri illius comparatione non sit medium ad gloriæ fruitionem necessarium; in eo tamen, qui purgatione indiget, necessarium apparet. Quoniam illarum gloriarum non est maius indicium, quam huiusmodi pœnarum euidentia. Atque adeò iudicat vnum dicens. *Si abluerit Dominus sordes filiorum Sion*: nec proinde alium excusat, sed adiungit: *Et sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris*. Addit ergo Clemens. *Scilicet tribulationis, & passionis, quibus purgantur electi: Vnde sicut vasa figuli probat fornax, homines iustos tentatio tribulationis*.

Nota.

Clem. Alex. vbi sup. Eccles. 27.

Tentatio homines probat, sicut ignis vasa.

Non minus aptè cadit in rem præsentem Adami e paradiso expulsio, cui aditus ad illum, adhibito flammeo gladio, fuit interdictus. *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*. Multa hic dubitationem ingerunt. Primum, quod aditus igne defendatur. Secundum, quod ante ostium constituatur, vt Lyranus aduertit, dicens: *Ille ignis est ante introitum paradisi, prohibens accessum hominis ad ipsum*. Tertium, quod ignis ille gladij figuram haberet: quia in alia figura magis hominem deterreret. Itaque defensio illa fuit ignea in gladij figura ante portam constituta. Quare hoc? Respondet Hugo Victorinus. *Quia homo, & diabolus in paradiso peccauerunt, vterque eiectus est; Et ne alterutri illorum iterum liceret intrare, contra vtrumque posita est custodia, & offendiculum. Cherubim, vt repellat diabolum: igneus gladius, vt repellat hominem*. Hæc ille. Cæterum dices, si ad repellendum diabolum sufficiens videbatur Cherubinus; quare homini, qui imbecillior est, vltra Cherubinum, gladius adijcitur. *Igneus gladius, vt repellat hominem*, & insuper in porta constituatur? Respondet Glossa interlinealis. *Quia reuerti non possumus, nisi per hæc*. Nec verò eadem est defensio Cherubini, & gladij, si eiectionis causa, & necessaria ad ingressum expendantur. Nam paradisus beatitudinem significat, iuxta illud Christi ad latronem. *Hodie mecum eris in paradiso*. Ignis, purgatorium. Adam verò propter culpam e paradiso fuit expulsus, vt ergo intelligat non illuc rediturum, nisi postquam purgauerit pœnam, quæ culpæ respondet, ignis in purgatorij figuram ante portam statuitur: Quoniam licet medium non sit necessarium in eo, qui purgatione indiget, tale nihilominus apparet: ignis deinde in gladij forma statuitur ante portam, vt constet inter ignem illum, & paradisi ingressum parum distantiæ interuenire: atque adeo illarum gloriarum indicium in huiuscemodi pœnarum euidentia constitutum esse. Hinc est, vt statuto contra Dæmonem Cherubino, aduersus hominem ignis, & gladius adhibetur. *Cherubim, vt repellat diabolum: igneus gladius, vt repellat hominem*. Deinde gladius ante portam statuitur. *Quia reuerti non possumus, nisi per hæc*.

Gen. 3.

Lyr. ibi.

Hugo. Vict. in annot. in Gen 1. de parad.

Glos. int.

Luc. 23.

Sed iam mihi videor Sanctum Iob audire, in afflictionibus, & calamitatibus gloriantem, quia dum magis se videbat obiectum, quasi tunc excelsior esset, gloriabatur, dicens. *Ipse verò scit viam meam, & probauit me quasi aurum, quod per ignem transijt*. Quænam isthæc est gloriatio, vt cum bona diripiuntur, a dæmone laceratur, lepra consumitur, tantum abest, vt lugeat, quod potius lætetur, exultetque; vndenam in pœnis hoc leuamen, vt in sterquilinio positus quasi in throno regali situs sibi blandiatur? Auscultandus hoc loco D. Bernardinus Senensis. *Aurum quippe in diuitijs pretiosum est, & congruè significat gratiam Dei: At eos qui in gratia nondum finita pœnitentia decesserunt, huic auri locus est, scilicet purgatorium, in quo conflatur, idest funditur, & ab impuritate ad plenam puritatem mutatur, vt aurum sit, in gloriam sempiternam possit transferri*. Nouerat igitur vir patientissimus, quod ex tribulatio-

Iob 23.

Homo quo abiectior, eo excelsior.

D. Bern. Sen. serm. 65. de purg.

num

num suarum igne vtilitatem acciperet, quam ex igne aurum mutuatur, quid mirum, vt in eis gloriabundus exultet, dicens: *Ipse vero scit viam meam, & probauit me quasi aurum, quod per ignem transijt*. Nunc ergo sciscitor. S. Iob à culpa immunis, Dei testimonio comprobatur, dicente scriptura. *Homo simplex, & rectus, ac timens Deum.* Quare tot pœnis cruciatur, quæ purgatorium æmulantur? Planè, vt conspicit, Purgatorium in his, qui purgatione indigent, medium ad beatitudinem apparere necessarium, quamuis reuera necessarium non sit: cuicunque enim licet perfecto, facile est leuiter peccare, & tunc sicut ignis perfectionem auro non tribuit, sed manifestat, sic etiam Iob Purgatorium non contulit innocentiam, sed quam habebat ostendit. Ita Lyranus. *Ignis autem probans aurum non dat ei virtutem auri, sed eam præexistentem declarat: ita dicit Iob, quod ignis tribulationis non dedit sibi innocentiam, sed eam declarauit.* Nouerat ergo Iob, quod licet purgatorium non esset medium ad beatitudinem necessarium, in ijs tamen qui purgandum aliquid habebant, necessarium apparere, & subinde nullum gloriæ malius indicium esse, quam pœnæ suæ euidentiã; ideo exultabundus dicebat. *Ipse vero scit viam meam, & probauit me quasi aurum, idest.* Iuxta Glosam moralem, *approbauit*. Proficit itaque in pœnis Iob, & vbi deteri, & consumi videbatur, augmentum, probationemque inuenit, & futuræ beatitudinis certitudinem, quam Purgatorij pœnæ demonstrabant.

Iob 1.

Et innocentibus facile est leuiter peccare.

Lyra. in Iob. cap. 23.

Glos. mor. ibi.

Claudo illa D. Ioannis attestatione. *Qui autem, inquit, post me venturus est, fortior me est, ipse uos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Nouum planè, & inauditum baptismi genus, si aqua baptizaturum diceret, planum erat, sed dum ignis baptismum promitrit, difficultatem auget? Hanc tamen abstulit Glossa dicens, hunc ignem esse purgatorium. *Ipse uos baptizabit in Spiritu Sancto, uel purgatorio igne*. Cæterum: quo fine purgatorium cum baptismo coniunxit: Quia Baptismus medium est, vt aiunt Theologi, ad beatitudinem necessarium, & testatus est Ioannes dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. At verò purgatorium non est medium ad gloriam necessarium, & tamen quasi necessarium foret cum Baptismo copulauit. *Ipse uos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Non hoc ideo fuit, quia vtrumque æque necessarium esse iudicaret. Sed quia cum homo propter culpam originalem à paradiso expulsus fuerit, ac vt illuc iterũ rediret, necessum erat, vt culpa remitteretur, & pœnam ipsi respondentem solueret, ideo ait. *Ipse uos baptizabit Spiritu Sancto.* Vbi culpa deletur igne; quia licet purgatorium non sit necessarium ad beatitudinem, sic tamen in ijs, qui purgationem indigent necessarium videtur, & pœnæ illius euidentia certissimum est gloriæ indicium, vt quasi necessarium foret, cum baptismo copulauit. Hinc ait D. Chrisostomus. *Spiritus in præsenti abluit: post, si qua macula subrupit, igne purgatorio ad purum exurit. Quod de leuioribus credendum est peccatis.* Ita ille, & D. Ambrosius. *Postea quam peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea, quam posuit Deus, quæ antea non erat. Culpa cœpit, & baptismum cœpit, quo purificentur, qui in paradisum redire cupiebant, ut ingressi dicerent, transiuimus per ignem, & aquam. Hic per aquam illic per ignem: per aquam, ut abluantur peccata, per ignem ut exurantur;*

Matth. 3.

Glos. int. ibi.

Ioann. 3.

Homini lapso necessaria est purgatio.

D. Io. Chrys. hom. 11. in Matth.

D. Ambr. in Ps. 65.

CAPVT XI.

Quod Purgatorij pœnæ, in maiori atrocitate, magnum habent pro animabus solatium; siquidem ibi Deo gratæ ostenduntur, & culpam admittendi incapaces habentur.



DIVI Thomæ sententia est, animam, vbi primum e corpore separatur, vel in paradisum recipi, vel in infernum detrudi, iuxta statum, in quo, ingruente morte, reperitur. *Anima enim*, inquit, *per mortem peruenit ad statum immutabilem, de bonitate in malitiam, aut e contra, & aut est confirmata in bono, aut obstinata in malo, aut ciuis cœlestis, aut inferni*. Ita ille: ex quo sequitur, animam purgatorij, vbi primum illuc accedit, se Deo gratam esse cœlo cognoscere. Et quamuis ibi detineatur, purgatorium non auferre gloriæ fruitionem, sed ad illam, peccati maculas adurendo, disponere, item S. Thomas. *Et penes hoc attendi tur immutabilitas status, cum qua immutabilitate stat, quod possit impedire ad tempus, ne ad suam ciuitatem perueniat; et huiusmodi impedimenta pertinent ad purgatorium, quod non constituit tertium statum animarum, neque facit mutationem aliquam in statu animæ, quia est immutabilis; sed impedimentum præstat consumationi status illius.* Ita ille: cum ergo animæ pœnis amplius cruciantur, maius solatium accipiunt, quia propter illam afflictionem proximiores fiunt, vt ad gloriam perueniant, & culpam admittendi se in capaces fieri cognoscunt. D. Bernardini Senensis verba sunt. *Nota quod omnis anima purgatorij est confirmata in gratia Dei, & est certificata de ipsa gratia. Nam in hoc mundo nullus scit vtrum sit dignus odio, vel amore diuino, & sunt ita certæ animæ illæ fœlices Purgatorij, quod dolentes, & purgantes se, semper iubilant; sicut martyres, qui ibant gaudentes ad martyrium, quia videbant, quod de illa morte, quamque pati debebant, debebant mortem æternam vitare, & debebant certificari taliter, quod non poterant de vita æterna priuari.*

D. Thom. in 3 par. q. 49. art. 5.

Vbi sup.

Animæ ex ampliori pœna maius solatium accipiunt.

D. Bern. Sen. ser. 15 de pur.

Corroborat hanc Bernardini sententiam Caietanus, sic statuens: *Omnes animæ existentes in purgatorio sunt certæ de sua salute*. Quod hoc argumento confirmat: Quælibet anima a corpore separata seipsam intuetur: dum autem se videt, Dei gratiam ibi existentem inspicit, & inde certa redditur, quod de prædestinatorum numero sit: atque adeo, dum pœnis affligitur, solatium accipit, quia Dei aspectu se tandem esse fruituram indubitanter sperat. Aliter idem etiam probat: Animæ in Purgatorio existenti eadem fides, & cognitio remanet, quam habebat in corpore, quod in purgatorio existentes suæ salutis certitudinem habent. Ergo dum ibi se videt, ad gloriam prædestinatam esse certè agnoscit. Quæ sententia communi Theologorum placito stabilitur, vt docuit Bellarminus. *Certum*, inquit, *vt communis Theologorum habet sententia, animas in purgatorio detentas certitudinem habere suæ salutis*. Validissimum etiam est in hanc rem Soti argumentum, quo præfatam sententiam confirmat. Animæ in Purgatorio Dei charitatem habent, hæc autem efficit, vt fidem perfectam, & spem habeant, quam, vt catholici, viuentes habebant. At hæc fides in causa est, vt credant solos damnatos igni æterno addictos, & ignem purgatorij temporalem esse. Cum ergo se in purgatorio videant, egregiè agnoscunt ad gloriam esse prædestinatas, & tanquam Dei amicitiam possidentes, culpæ in capaces existere, ex quo prouenit salutis certitudo; *Ergo existentes in Purgatorio, neutiquam de sua salute ambigunt, immo sunt de illa certi*.

Caie. in opusc. tr. 23. t. 1. quæst. 2.

Animæ in Purgatorio existenti eadem fides, & cognitio remanet.

Bell. t. 1. l. 2. de pur. c. 4.

Soto in 4. dist. 19 q. 3. art. 2.

Dicet vèrò quispiam: si, quemadmodum probauimus, idem est inferni, ac Purgatorij locus, & ignis, qui animas excruciat, vt cum D. Gregorio aiunt D. Thomas: *Sicut sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: ita sub eo-*

D. Thom. in 4. d. 21. q. 1. art. 1.

dem

dem igne peccator crematur, & electus purgatur. Ergo idem est ignis purgatorij, & inferni, & sic in eodem loco sunt. Quomodo agnoscunt, animæ non esse in inferno, & igne, quo torquentur, non esse inferni? Respondendum, hoc eis apertum esse. Primo, quia sicuti ait D. Thomas, anima in purgatorio existens, in postremo instanti quo discessit ex corpore, dæmonem vicit, in gratia confirmata est: & Angelus Custos eam in Purgatorium deduxit, vbi finali gratia potitur, propter quam omnem de salute consequenda dubitationem amittit, ex quo certior fit non esse in inferno. Secundo, quia animæ charitatem conseruant, quæ efficit, vt fides, & spes, quas, vt christiani habebant, perfectè remaneant. At vero in inferno nulla ex his virtutibus adest; vnde animæ, quæ se easdem habere sciunt, hinc se non esse in inferno optimè colligunt. Tertio, quia in inferno existentibus nulla fit pœnarum diminutio. At in Purgatorio remittuntur quousque finiantur: Quartò, animæ Purgatorij ab Angelis visitantur, & solatium, leuamenq. accipiunt; quod damnatis non accedit. Vnde etiam in inferno nō esse agnoscunt. Quintò, experientia quotidiana docentur, cum multas animas, absoluta purgatione, ex eo loco propediem exire videant, vt æterna beatitudine fruantur: Vnde fit, vt pœnam suam temporariam esse agnoscāt, & consequenter in inferno non esse, cuius pœna nunquam finitur. Hinc etiam colligunt gratiæ confirmationem habere, atque adeo culpam non admissuras, propter quam Dei amicitia priuentur. Vnde inter flammas respirant, & ex illis, tanquam futuræ gloriæ indicibus, non parum solaminis accipiunt. Hic est illud ad D. Bernardino dictum. *Ideo non est mirandum, si animæ, propter certitudinem, quam habent de ipsa gratia, & futura gloria cantant, & iubilant.*

Animæ purgatorij cognoscunt se non esse in inferno, & quomodo.

D. Bern. Sen. t. 4. ser. 15. de purg.

His ita positis ad scripturæ probationes accedamus. Primam suppeditat Diuinæ Sapientiæ Oraculum in Ecclesiaste. *Et laudaui*, inquit, *magis mortuos, quam viuentes.* Vbi pro mortuis Purgatorij animas fore accipiendas censuit D. Bernardinus. Cæterum quid in illis reperit diuinum oraculum, vt eorum statum potius laudandum esse, quam viuentium asseueret; cum melior viuentium sors, quam mortuorum videatur? quia anima in Purgatorio cōstituta, dum ibi pœnis torquetur, auxilium sibi afferre nequit, vtpote merito incapax. Non sic viuentes, qui mereri possunt, atque adeo felicior eorum status debet iudicari. Quare igitur e contra Diuinum oraculum proclamat. *Laudaui magis mortuos, quam viuentes.* Respondeo, quia mortuorum salus certa est, viuorum in ambiguo posita, & verò longè felicior dicendus est, qui de salute securitatem habet, quam qui de illa dubius existit. Hinc D. Bernardinus Purgatorij animas contemplatus, & pœnas quibus cruciantur expendens, qua ratione quo maior est pœna, celerior fit purgatio, & ad gloriæ possessionem magis appropinquant, propter hanc beatitudinis certitudinem talibus pœnis melius cruciari desiderabat, dicens: *Et ideo ego pacisceret de stando per centena millia millium annorum in purgatorio, quia essem certus de gloria Paradisi.* Ita ille, & merito; quoniam in illa pœnarum tolerantia non deest animabus solatium, videlicet certitudo de futura gloria, de Dei amicitia, quam propter peccatum amittere in eo statu non possunt: quod non solum præstat solatium, sed statum illum reddit felicius, quam viuorum. Iterum S. Bernardinus. *Ex his patet, quod licet hi, qui in purgatorio sunt grauissima patiantur tormenta: tamen melior est, & felicior est status eorum, quam illorum, qui sunt in mundo, ideo Ecclesiastes ait, laudaui magis mortuos, quam uiuentes seu uiuos.*

Eccl. 4.

Securior mortuorum quam viuorum status.

D. Bern. vbi sup.

D. Bern. Sen. ser. 65. de pur. ar. 2. ca. 1. & 2.

S. Bernardini hac de re iudicium comprobat Seraphici Patris Francisci responsio, quam doloribus oppressus cuidam fratri præbuit, consulenti, vt sibi mitigarentur a Deo peteret. *Ora Deum frater*, dicebat ille, *vt mitius tecum agat, manum enim suam plus debito super te grauare videtur.* Cui sancta quadam indignatione commotus. *Cum eiulatione exclamans, ait: Nisi iam dudum simplicem in te cognouissem puri-*

S. P. Fran. in opusc. Apophtheg. 49.

ta-

tatem, tuum ex nunc vtique abhorrerem, consortium, qui diuina circa mea ausus fueris reprehensibilia iudicare iudicia: Maiora mereor tormenta, plura ad Dei nutum libentissimè patiar flagella. Hæc ille, vbi miror, quod sic in consulentem fuerit indignatus, cum tamen non ineptè suasisse videatur; siquidem illa dolorum acerbitas innocentem cruciabat, & , vt ipse fassus postea fuit, ille dum loqueretur, à culpa esset immunis, ad purgationem minimè seruiebant. *Hilari ac intrepido animo,* inquit B. Pater: *Dic mibi, inquam clarè, quid tibi videtur, noli timere, quoniam per Dei gratiam coreulum non sum, vt mortem timeam, cooperante enim Spiritus sancti gratia, ita Domino meo in omnibus adhæreo, vt nec de morte mœstus tristabor, nec de longiori vita magis gaudere, æqualis mibi erit in morte, ac in vita lætitia.* Ergo si tam arcto charitatis Vinculo adstrictus erat Pater Seraphicus, si talem cum Deo habebat vnionem, quid mirum, vt frater ille dolores, & cruciatus, quos sustinebat, nimium graues iudicaret. Illud mihi admirationem inijcit, quod illum reprehenderit, quasi suam voluptatem illi impediret, quæ in pœnarum tolerantia sita erat, & ideo dicebat: *Plura ad Dei nutum libentissimè patiar flagella.* Quænam isthæc patiendi voluptas, vt in eum videatur excandescere, qui à pœnis immunem fieri cupiebat? Porrò videbat sanctus Pater, magnum ex pœnarum tolerantia beneficium prouenire, quoniam illis ad gloriæ possessionem propius accedimus, Dei amicitiam nobis conciliamus: Et ideo dicebat: *Plura ad Dei libitum libentissime patiar flagella.*

Vbi sup. Apoph. 48.

Magnum ex tribulatione beneficium.

In hanc rem trahi potest loci communis expositio quædam singularis, videlicet circa illud Dei præceptum, quo Moysi ad Rubum ardentem appropinquitati, iussit ne accederet, sed calceos primum exueret. *Ne appropies* inquit, *huc, solue calceamenta de pedibus tuis.* Miror, vt in loco ita aspero, & senticoso Moysi præceperit, vt nudis pedibus ambularet, cum potius consentaneum esset, ne spinis vulneraretur, vt calceamenta resumeret. Maximè vero, quia cum rubo propior fieret, vberior esset spinarum seges, quæ accedentem ferirent, & tamen hic calceamenta demittere iubetur. *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Forsan hoc fuit, vt grauiori cruciaretur dolore, cum fortius spinarum acuminibus pungeretur? Porrò Theodoretus causam huius mandati inuestigans rationem reddit, quæ nostro instituto summoperè conducit. Ideo enim, ait Moysi calceamenta soluere præcepit. *Vt ipsum magis, ac magis religiosum, ac reuerentem reddat.* Miror dicendi genus, magis enim videtur, calceamentorùm exutionem præcepisse, vt vulnetatior accederet, non Religiosior. Quæ enim religio, aut reuerentia consistebat, si vulneratus accèderet, vt propterea iusserit calceamenta demittere? Respondeo: Moyses spinis vndique septus, & ijs laceratus, animam purgatorij designabat, quæ pœnis circumquaque cruciatur, & flammis comburitur. Vt ergo nouerit, quod quanto magis affligitur, plus solatij capit, quia beatitudini propior fit, ac in Dei gratia, culpæ incapax, perseuerat. Moyses ad rubum accedit, sed discalceatus, vt spinarum punitionibus, purificationem culpæ accipetet; quam ob Ægyptij mortẽ contraxerat, & sic ad rubum, vbi Deus erat, appropiet. Quinimò quo propior fiebat, multiplicatis spinis, acrius pungebatur, inibi tamen solatium accipit, quia approximando torquetur, & sic cruciatus Dei visione fruitur, & diuinos obtinet fauores: atque adeo multum debet pœnis suis, quæ tantam attulerunr felicitatem. Dicat igitur meritò Theodoretus, in eiusmodi pœnarum tolerantia sitam esse Religionem, ac reuerentiam, quibus rubi visio frui dignus redderetur. *Vt ipse magis, ac magis religiosum, ac reuerentem reddat.*

Exod. 3.

Theod q. 7.

Iustus quanto magis affligitur magis capit solatij.

Pergo vlterius. Accedit ad rubum Moyses. *Et videbat, quod rubus arderet, & non comburebatur.* Itaque inter flammas suum retinebat virorem; quod ad mysterium retulit Lyranus, dicens. *Quia flamma occupans rubum, rubi viriditatem non minuebat, licet esset materia combustibilis. Per hoc autem*

Exod. 3.

Lyr. ibi.

dest-

designabatur, quod labor affligens, qui per ignem designatur, filios Israel, in quibus erat humana infirmitas, non consumeret nec deleret, sed magis mirificè liberarentur. Ita ille: cæterum adhuc inquirendum est, cur ille ignis rubo parceret, cum tamen verus esset, vt tenuit Abulensis. *Hoc autem non obstante*, ait, *videtur magis dicendum, quod ille fuit verus ignis, quia nusquam de eo reperitur, quod vocatus sit ignis similitudo, sed ignis*. Quia quidem ardebat, flammas emittens, & tamen in illis non solum rubus non consumebatur, & in cineris desauillatus abibat, sed viridior, & amænior perseuerabat. Iterum Tostatus. Tost. ibi q. 4. *Ardere*, inquit, *est, flammas emittere, comburi, est consumi, vel deficere. Et sic rubus ardebat, idest emittebat flammas, cum in circuitu eius esset ignis circumfusus, occupans totam viriditatem, quia super folia, & corticem viridem erat ille ignis: tamen non deficiebat propter hoc viriditas rubi, nec deficiebat aliquod folium eius*. Vnde hoc prouenit, vt ignis naturam suam amisisse videretur, & vrendi oblitus, quasi flamma ros esset, rubum in sua viriditate seruaret. Planè magnum hic latet mysterium; nec nisi per miraculum hoc fieri poterat, vt disertè iudicauit Abulensis. vbi sup. *Quantum ad hoc*, inquit, *manifestum est, quod miraculosè fiebat, solo Deo operante, & suspendente actionem naturæ in se creatæ*. Itaque in eo constitit miraculum, quod rubus vndique flammis septus, virorem & folia retineret. *Super folia, & corticem viridem erat ille ignis: tamen non deficiebat propter hoc viriditas rubi, nec deficiebat aliquod folium eius*. Quinimò cũ exustioni propior videbatur, tunc de flammis triumphãs viridior apparebat, & tantum abest, vt si sensus capax esset, de flammis conqueteretur, quod ipsum oppugnarent, quod potius gratularentur, suumque illis virorem, & Dei præsentiam debere prædicarent. Videor mihi in rubo ardenti purgatorij speculum intueri, illic sese mihi obijciunt animæ, quas ignis vrere videtur, & absumere: verum inde pulchriores, & nitidiores exeunt, quia ignis nihil abstulit, sed potius contulit, videlicet purificationem, qua Dei visionem obtinere meruerunt. Quantoque plus cruciantur, et dolent, pœnis afflictæ, in quo tormentorum consistit acerbitas, tanto sibi gratulantur, quod diuinæ visioni propiores fiunt, & ignis, qui tanquam Dei inimicus comburit, velut amicus fouet, & seruat, ita quod sicut Israelitæ mirificè in afflictionibus seruabantur, si illæ in medijs flammis illæsæ in Dei gratia, & amicitia perseuerant, quod planè miraculosum est, & mysterium continet valde ponderandum: Crescit enim in pœnis gloria, augetur in tormentis solatium; & cum magis absumi videntur, tunc puriores euadunt, & ad diuinæ visionis fruitionem aptiores efficiuntur, & sicut de rubo dicitur. *Tamen non deficiebat propter hoc viriditas rubi, nec deficiebat aliquod folium eius*. Sic etiam Purgatorij animæ nihil amittunt in pœnis: *Sed magis mirifice liberantur*.

Notandum est in hanc rem Abigail artificium, quo Dauid contra Nabal iracundum tranquillare, & ad clementiam, ac veniam flectere procurauit, vt enim cognouit Regis iracundiam, timens vindictam, ipsum conuenit hunc in modum allocuta: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo*. 1. Reg. 25. Et relata benedictione adiungit. *Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo uiuentiũ apud Dominum tuum*. Verba hæc aliter legit Chaldæus, & vt notat Abulensis vitam æternam in illis promitti demonstrat. Abul. ibid. quæst. 12. *Littera caldaica dicit hic, quod erit custodita in vita æterna*. Quomodo autem Dauid anima in hoc fasciculo, sicut dicit Abigail, custodienda, sic exponit Abulẽsis. *Quasi*, inquit, *in fasciculo uiuentium, idest quasi Deus habeat eam legatam in fasciculo cum alijs viuentibus*. At opposita sibi inuicem apparent Chaldaica versio, & Abulensis expositio cum Abigail promissione, quia si vitam promittit æternam, vbi summa securitas, & fœlicitas reperitur. *Quod erit custodita in vita æterna*. Quomodo persecutiones proponit? *Persequens te: & quærens animam tuam*. Deinde omnis illa feli-

ci-

citas eo tendit, vt Dauid anima quasi in vinculis constituta detineatur. *Quasi Deus habeat eam ligatam*. At quænam in vinculis fœlicitas? quomodo ibi positus æternæ vitæ fœlicitatem obtinebit? *Quod erit custodita in vita æterna*. Porrò fasciculus iste Purgatorium designat: Persecutiones significant pœnas, quas animæ propter culpæ maculam ibi sustinebunt. Ità crediderunt Hebræi doctores, qui præsentem locum ita commentantur. *Et iusti anima, in qua ex peccato est aliquid sordidum relictum: huius spiritus igne lauatur, mundatur, purgatur, innocens, purus mundus, & lotus ad locum superiorem ascendit: non aliter, ut qui seipsum aqua purgat, & abluit, quo mundus sit, cumque id sit assequutus, ut ad fasciculum uiuentium colligi debeat*. Ita illi. Quod si anima statim, vt purificatur gloriæ possessionem adit. Cum in vinculis detenta, & pœnarum afflictionibus cruciata consideratur, ausquam lætior, & fælicior dicenda est: siquidem pœnæ diuinæ gratiæ sunt indices, & animam culpæ incapacem manifestant. *Cumque id sit assecutus, ut ad fasciculum uiuentium colligi debeat*; Et ibi colligata, culpæ admittendæ incapax, ac ad æternam vitam comparandam habilis redditur. *Erit custodita in uita æterna*. Vnde iure optimo Abigail sorrem illam, dixerit fœlicissimam, vincula voluptuosa, pœnas dulces, cum magis opprimunt, & excruciant; quinimò pro pœnis benedictionem dicat. *Suscipe benedictionem hanc*. Illarum namque beneficio, in beatorum societatem euocatur. *Cumque id sit assecutus, ut ad fasciculum uiuentium colligi debeat*.

Hebr. I. ab Kat. Rokel.

Anima nusquam lætior quam in vinculis.

Postremò tria Veteris testamenti loca profero, e quorum concordia peregregia nostri instituti probatio resultabit. Primus fit ex libro Iob, qui amicos suos ita obsecrabat. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem uos amici mei, quia manus Domini tetigit me*. Certè videtur afflictionum magnitudine oppressus verba inuertisse, quoniam manu alia tactum se dicere debuisset; siquidem postulanti dæmoni, vt sibi à Deo traderetur, Deus respondit. *Ecce in manu tua est*. Ergo diaboli manu, & non Dei tactus fuerat. Cur igitur ait; *Manus Domini*. Et addit Glossa, ne dubitandi locus relinquatur. *Non Sathanæ*. At quomodo, si manu Dei tangitur; tactus ille attribuitur diabolo cui Deus permisit, vt Iob percuteret, *Ecce in manu tua est*. Et quid inde? percutitur crudelissime, plagas iungens plagis, ita vt nulla corporis pars sana relinqueretur. *Egressus igitur Sathan à facie Domini, percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad uerticem eius*. Quare ergo Dei manu tactum se profitetur? *Manus Domini tetigit me*. si à dæmone ex Dei permissione tactus fuerat. Præterea Iob, Dei testimonio, iustus prædicatur. *Homo simplex, & rectus, ac timens Deum*. At verò iustorum animæ, attestante Diuinæ Sapientiæ oraculo, in Dei manu sunt positæ. *Iustorum animæ in manu Dei sunt*. Quomodo igitur verum habet, quod Iob, vtpote iustus, in manu Dei sit, & in manu Sathanæ dicatur existere? In vna est, an in altera? Respondeo, facilem esse dictorum intelligentiam, si quod Iob nobis significat aduertamus: Dum enim calamitatibus, & doloribus opprimitur, & miserationem ab amicis exposcit, animas purgatorij repræsentat, iuxta quod Lyranus de eisdem illud sapientiæ. *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt*, interpretatur. *Nam à tempore*, inquit, *passionis Christi, per quam aperta est ianua gloriæ, si non habent aliquid purgandum, statim euolant ad gloriam; si autem habeant aliquid purgandum, detinentur in manu diuinæ iustitiæ, in pœna Purgatorij ad tempus; sunt tamen securæ de sua beatitudine consequenda*. Sic ille: Vnde colligis, duo esse iustorum genera. Quidam nihil habent purgandum: alij purgatione indigent: illi statim vt e vita decedunt, reseratis iam à Christo cæli portis, intrant gloria fruituri: At vero alij in manu diuinæ iustitiæ, vsque ad purgationem in flammis detinentur. Ad Iob, in quo nos figuratos aduerto, iterum reflecto. Ille enim & in Dei manu, & etiam diaboli tenebatur. Vt exemplo facili apparebit: Quando Rex terrenus delinquentem punire iubet, nonne cum sententia executioni traditur, iusti-

Iob 19.

Iob 2.

Glossa int.

Iob 1.

Sap. 3.

Lir. in Sap. cap. 3.

stitia per Regem administrari perhibetur, & ministri iustitiam exequuntur: atque adeò reus respectu sententiæ in manu Regis est: respectu verò executionis, in manus ministrorum traditus affirmatur. Sic etiam Iob respectu diuinæ iustitiæ, quæ seuere percutit. *Manus Domini tetigit me, quia tangere est affligere*: Vt ibi notat Philippus Presbyter, in manu Dei constitutus est. Nihilominus respectu dæmonis, qui afflictionem exequebatur in manu eius positus dicebatur. *Ecce in manu tua est*. Non aliter Purgatorij animæ, quas Iob figurabat, tanquam iustæ in manu Dei sunt, at verò respectu flammarum, quibus cruciantur, quousque ab omni labe immunes sint; detinentur in manu diuinæ iustitiæ in pœna purgatorij ad tempus. Et si dum ibi cruciantur eas contemplemur, inter flammas perire, & absumi indicabimus, vt alij crediderunt, de quibus est illud à sapiente dictum. *Visi sunt oculis insipientium mori*. Cæterum respectu purificationis, quam e flammis mutuantur, & beatitudini appropiant, culpæ incapacitatem habentes, solatium adipiscuntur, & gloriam expectant possidendam. *Illi autem sunt in pace*. Quamquam verò respectu pœnarum, quas sustinent; ab aliquo dæmone cruciari videantur: attamen respectu Dei in ipsius manu tanquam iustæ constituuntur. Quamdiu flammarum voracitate quasi absumuntur, in inferno esse videntur, dum autem e flammis purificationem accipiunt, beatitudinique propiores efficiuntur. *In manu Dei sunt securæ de sua beatitudine consequenda*. Ex quo in ipsis flammis voluptatem inueniunt. Dicat igitur Iob, cum magis affligitur, & pœnis laceratur à Dei manu se tactum fuisse. *Manus Domini tetigit me*, quia ibi Dei amicitia fruitur, culpæ redditur incapax, & ad possidendum beatitudinem idoneus efficitur. *Sunt autem securæ de sua beatitudine consequenda*.

Philip. Presb.

Animæ, dum in Purgatorio cruciantur, vt iustæ sunt in manu Dei.



CAPVT XII.

Quod licet tam magnæ sint Purgatorij pœnæ, tanto maior est amor, quo illas sustinendo cum Dei voluntate conformantur; vt tormentum in quietem, & pœnam conuertant in gloriam.



ORDIAMVR à Dei Sapientia, quæ per Ecclesiasten sic est locuta. *Et laudaui magis mortuos, quam viuentes*. Non poterat non esse quid laudandum in animabus, quæ in Purgatorio detinentur, quia Dei sapientia, quæ laudauit, minimè fallitur, sed inter tot pœnarum angustias, inter flammarum globos, quid potest esse laudabile? Multum, inquit S. Bernardinus. sit ita. Cæterum quare, qui flammis aduruntur feliciores, quam viuentes nuncupantur, quando tormenta illa nullum vitæ præsentis malum exequet? *Et laudaui magis mortuos, quam viuentes*. Respondet S. Bernardinus. Quemadmodum cum Pater filium punit, etsi de supplicio doleat; nihilominus propter patris amorem sustinet, & iustitiam diligit, punitionemque amplectitur. *Ita accidit in animabus, quæ purgant sua peccata in Purgatorio, quia quanto magis intelligunt iustitiam Dei se purgando, vt magis reluceant in æterna gloria; tanto magis patiendo gaudent*. Et verò ex charitate, qua ardent, absque dubio prouenit, vt pœna in delectationem conuertatur. Adiungit S. Bernardinus: *Causa quare gaudent animæ in Purgatorio est, quia abundant in charitate*. Cum ergo per chimicam amoris artem purgatorij tormenta mutentur in delicias, & subinde viuentes de salute sint dubij, mirum non est, ait S. Bernardinus, vt animæ in Purgatorio existentes laudentur, & feliciores habeantur. *Considerando du*

Eccles. 4.

Animæ in Purgatorio feliciores, quam viuentes iudicantur, quia de salute nō sunt dubiæ.

D. Bern. Sen. ser. 15. de pur. c. 4.

bium animarum, & pericula ipsarum in hoc mundo, & complacentiam iustitiæ, in se reuersus, dicit: laudaui magis mortuos, quam viuentes, scilicet existentes in Purgatorio.

Rem adhuc illustro Angeli ad Tobiam salutatione: Sic enim locutus perhibetur: *Gaudium tibi sit.* Cui Tobias respondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Quid agis Tobia gaudium tibi promittit Angelus, voluptatemque annuntiat, & quasi de ipsius verbo dubites, ac Dei ministro non credas nuntianti, respondens: *Quale gaudium mihi erit?* Forsam tot laboribus fatigata patientia in hæc verba erupit, & alium te responsio manifestat, quam opera demonstrant? Absit, inquit, Lyranus. *Hoc non dixit ex impatientia suæ cæcitatis, sed contemnens gaudium præsentis vitæ, & sperans gaudium futuræ.* Itaque Tobias sic locutus, nec impatientiam præfert, nec de Angeli verbis dubitat: Sed dum patitur cæcitatem, dum afflictionibus quatitur, dum in tribulatione est, ita cor eius dilatatur, & voluptate perfunditur, vt solæ futuræ beatitudinis delitiæ huiusmodi gaudio anteferendę sint. Et hoc significans dicit: *Quale gaudium mihi erit*, dum cæcus in tenebris iaceo, dum malis vndique premor, quid voluptati patientiæ conferri possit? Nullum planè, nisi cælestis beatitudo. Ita mihi sonant verba Lyrani canentis. *Sed contemnens gaudium præsentis vitæ, & sperans gaudium futuræ.* Iamvero expendendum est, quod Tobias in cæcitate, & tenebris iacens mutatis in delicias afflictionibus dū pro mœrore voluptate afficitur, Purgatorij animas repræsentat, quæ in tenebroso Purgatorij carcere detinentur, iuxta illud Arnoldi, *Loca tenebrosa.* Vbi luce beatitudinis priuantur iuxta Glossam Balbacensis ad Ecclesiasticum. *Supra mortuum in purgatorio plora, quia deficit lux beatificans.* Ergo eum licet ingentes admodum sint, quas ibi pœnas sustinent: nihilominus propter Dei amorem, quo feruent in delicias permutantur: sic etiam Tobias, qui animam Purgatorij repræsentat, cum magis affligitur lætior apparet, & Dei voluntati conformis, tam ingenti gaudio ex tormentis afficitur, vt solam cælestem beatitudem ei cōferri posse existimet, atque adeò præ voluptate patiendi omnia vitæ gaudia despiciat, & quasi nullius momenti sint, repudiet dicens. *Quale gaudium mihi erit.* Nullum certè, quod cum pœnarum tolerantia componi valeat. *Sed contemnens gaudium præsentis vitæ, & sperans gaudium futuræ.*

In idem institutum trahi potest illud Psalmographi. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Quod D. Bernardinus egregiè expendit inquirens. Qui nam iusti sunt isti, qui vindicta inspecta lætantur? Et respondit, hos esse, qui in Purgatorio resident. Quomodo ergo fieri potest, vt eodem tempore de pœnis doleant, & de illarum atrocitate lætentur, gaudeat beatus, qui cæli fęlicitate fruitur, ipsa enim beatitudo gaudium parit. At vero qui in Purgatorio est, & flammis torquetur, qua ratione gaudebit? contrarium enim est, vt eodem tempore tristis sit, & hilaris, deque eadem re delectationem percipiat, & tormentum sentiat. Ita est, ait *D.* Bernardinus; animæ Purgatorij quamquam magnis cruciatibus opprimantur, quia tamen *Dei* voluntate præ amore conformes existunt, amor ille tormenta illa in delicias vertit, & torturam in oblectamentum immutat, atque adeo in ipso momento in tormentis delicias, in flammarum ardore voluptatis rore deliciantur, Bernardini verba sunt. *Tertium gaudium est affectionis, qua affectione qui affecti sunt ad Diuinam iustitiam ideo delectantur patienter tolerando diuinam iustitiam in se. Vnde Propheta de huiusmodi iustis, ait, lętabitur iustus cum viderit vindictam; scilicet super se exerceri pro præteritis culpis.*

Huc etiam trado Micheæ locum minimè vulgarem, qui Hierosolymæ nomine dum in Babylonica tenebatur captiuitate hunc in modum cum inimica ciuitate expostulabat: *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi consurgam: cum sedero in tenebris, Dominus lex mea est. Iram Domini portabo, quo-*

Iob 5.

Lyr. ibi.

Qui gaudiū futuræ vitæ sperat, contemnit delectationes præsentis vitæ.

Ann. Carn. de 7. Ven. Dom.

Licet in Purgatorio magnæ sint pœnæ, propter Dei amorem in delicias mutantur.

Ps. 57.

D. Bern. Sen. serm. 65. art. ar. 1. c. 2.

Mich. 7.

niam

niam peccaui ei. Quæ verba S. Remigio interprete tantumdem valent, ac si diceret. *O Babylon inimica mea ne læteris, nec super me gaudeas, quod merito meo ceciderim, postquam enim iram Domini portauero consurgam, quia ille est lumen meum in tenebris tribulationum.* Cæterum quo loco, & tempore pœnam sustinebit, quam se portaturum profitetur? Haud dubium respondet Glossa Moralis, quod in Purgatorio *Iram Domini portabo, idest pœnam temporalem hic, vel in Purgatorio*. Quod vero citatus Micheę locus de animabus purgatorij misticè sit intelligendus, indubitatum mihi est. Illud tamen admirationem inijcit, quod verba sonant, etenim vindictam proferunt, & purgatorij pœnas indicant. *Iram Domini portabo, idest pœnam temporalem in purgatorio*. Et tamen animæ ita alacres, & promptæ ad huiusmodi pęnarum tolerantiam se offerunt, ac si in eis tota earum lætitia consisteret: vnde nec flammarum ardorem timent, nec tormentorum atrocitatem perhorrescunt, sed quasi in certamen prouocant, & in pœnarum tolerantia omne gaudium suum collocant, quia Deum quasi lumen clarissimum in his tribulationum tenebris sibi affuturum sperant. *Ille est lumen meum in tenebris tribulationum*. Et verò pœnarum huiusmodi mutatio ex amore prouenit, quoniam hæc est amoris natura, vt omnia nō solum tolerata facilia reddat, sed etiam tormenta ipsa vertat in oblectamenta; vnde Purgatorij animæ Dei vindictam contemplantes, ipsam in se exercendam amant, diuinæ voluntati conformantur, & pati libenter volunt, vt Deo obsequantur: vnde fit, pœnas in voluptatem immutari. Huc respicit illud Theodoreti ad hunc locum. *Iram Dei nunc sustinebo, quia peccaui contra eum, cognosco enim vltionis æquitatem, cum peccati magnitudinem considero.* Admiranda plane est purgatorij conditio, vt animæ illic existentes acerbissimis cruciatibus opprimantur, & terribili dæmonum visione frequenter terreantur, vt dicit S. Bernardinus. *Aliqui dicunt, quod dæmones non possunt tormentare animas purgatorij, nisi per visum: quia animę, videndo terribilitatem dęmonum, terrentur, & dęmones ipsi incutiunt terrores.* Et tamen inter hos dæmonū terrores, quos inijciunt, & flammarum incendia lætantur, ibique iucunditatem, & delectationem inueniunt. *Iram Dei sustinebo, idest pœnam temporalem in Purgatorio, quia peccaui contra eum: cognosco enim vltionis ęquitatem, cum peccati magnitudinem considero.*

D. Remig. ibi.

Glos. mor. ibi.

Pœna purgatorij ira Domini.

Animæ in purgatorio hilariter sustinent pœnam.

Amoris effectus est, pœnas in delitias vertere.

Theod. in Mich. 7.

D. Bern. Sen. ser.

Purgatorium angit, & delectat.

Tandem absoluo Sapientis præceptione de luctu pro mortuis agendo. *Luctus*, inquit, *mortui septem dies: fatui autem, & impij omnes dies vitę illorum*. Et quidem hoc in loco de animabus purgatorij sermo est, quarum pœnæ terminabiles sunt, & damnatorum nullo termino clauduntur, vt ibi Lyranus aduertit. *Reprobis est ad semper, electis tamen ad tempus*. Et ideo iustorum luctui septem dies assignat, impiorum autem nullum assignat terminum. *Fatui autem, & impij omnes dies vitę illorum*. Addit Glossa interlinealis, *in sæculum sęculi, quia animę eorum sine fine cruciabuntur*. Hoc posito inquirendum est, cur pro luctu animarum Purgatorij septem, & non plures, vel pauciores dies assignat? *Luctus autem mortui septem dies*. Facilis est responsio, si prius videamus quem diem ad quiescendum Deus elegerit. Is enim fuit septimus. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat*. Qui autem pro animabus luctum agunt, nihil aliud desiderant, quam, vt ipsæ à pęnis liberentur, & ad beatam Paradisi requiem perducantur. Vt verò hoc eueniat, fęlici pręsagio luctum die septimo concludunt, quia dies hic quietem designat. *Luctus mortui septem dies, septenarius enim*, ait Strabo, *requiem significat. Vnde septima dies Sabbatum, scilicet requies, dicitur: celebrant ergo septimum diem mortuorum, optantes illos cum Domino requiescere à laboribus præsentis vitæ*. Ita ille. Cęterum adhuc superest ratio dubitandi, quoniam si septenarius ille luctui destinatus requiem animabus procurat; quomodo quietem supponit cum illæ tormentis cruciarentur? Quomodo inter delicias, & gloriam reputat,

Eccl. 22.

Lyr. in Pau. 1. Cor. 3.

Glos. int. ibi.

Damnati fatui.

Gen. 2.

Strabo. ibi.

Celebratur Dies septimus pro mortuis ad indicandam eorū requiem.

quas afflictiones torquent, & pœna dilacerat? Et verò luctus, & lætitia non bene conueniunt, nec simul consistere posse videntur, vt diuini Spiritus attestatio tenet. *Musica in luctu importuna narratio*. Ergo incongruum est, vt vtrumque iungatur, tormentum, & delectatio, luctus, & lætitia. Ita foret nisi amor accederet, qui tormenta illa quamuis acerbissima propter conformitatem ad Dei nutum, ita dulcia redderet, vt in eis non cruciari, sed deliciari videantur: *Et cum Domino requiescere*. Perbellè igitur luctus septem dierum spatio terminatur, quia iam tunc eas quietem possidentes contemplatur. *Luctus mortui septem dies, septenarius enim requiem significat: celebrant ergo septimam diem mortuorum, optantes, illos cum Domino requiescere a laboribus præsentis vitæ*.

Eccle. 22.



CAPVT XIII.

Quod Deus erga animas misericordia vtitur, cum in Purgatorio ex iustitia tenet; quia tunc bonum ipsis præparat, cum earum pœnarum mala adhibet.



AVIDIS Cithara initium dicendi faciat, cum Dei misericordiam, & iustitiam æquali concentu se cantaturum pollicetur. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*. Quam vocem auscultans S. Bernardinus Senensis, animabus Purgatorij adaptat, & tribus earum statibus eleganter accommodat. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi. In quibus*, inquit, *verbis tres prædicti status eorum, qui sunt in Purgatorio describuntur. Primus est status pœnalitatis, de quo dicit iudicium. Secundus est status charitatis cum addit cantabo tibi. Tertius est status pietatis, seu necessitatis, cum inquit misericordiam*. Quæro nunc. Misericordiæ magnitudo in peccatorum venia nonne elucet, cū Deus in vita præsenti peccata nobis remittit; nam in alia vita solus iustitiæ rigor exercetur, vt egregiè notat D. Augustinus. *Misericordiam, & iudicium. Semper hæc*, inquit, *simul in eo sunt, sed pro tempore secundum effectus distinguuntur, misericordiam nunc, & iudicium in futuro*? Quid autem pro futuro sit accipiendum, docuit Cassiodorus, nimirum, iudicij, vel mortis vniuscuiusque tempus. Do tibi sic Cassiodorum loquentem. *In secundo aduentu, vel obitu cuiusque*. Quomodo ergo misericordiam extollit cum iudicium exercet? Quod si iustitia dicenda est, in quo nam consistit misericordia, qua erga animas Purgatorij Deum Regius Vates decantat? Respondet D. Bernardinus ad commoda, quæ ex pœnis in Purgatorij animas redundant, vt hoc agnoscamus. *Pœnalitatem*, inquit, *dicunt sibi iucunditatem, dicunt Deo, necessitatem verò suam proximo suo manifestant*. Hæc ille, quasi dicat. Pœnalitas animabus illam sustinentibus, gloria verò propter suam iustitiam Deo tribuenda est: sed iustitiæ necessitas, quæ pœnas exequitur, & eius commoda ad animas Purgatorij spectat. *Necessitatem verò suam proximo suo manifestant*. Cęterum quod nam ex huiusmodi pœnis emolumentum animæ percipiunt? Dicam. Nemo, qui perfectè purificatus non sit, cælestem Ierusalem ingreditur, vt D. Ioannes affirmat. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*. Is autem, qui purgatione indiget, magnum ipsi beneficium confertur, si per pœnarum tolerantiam purgationis datur occasio. Ait igitur & meritò D. Bernardinus. Animæ pœnis cruciantur, & magna ex ijs commoda capiunt, quia purgantur, & purgationis necessitate premuntur, vt gloria frui possint. *Necessitatem vero suam proximo manifestant*. Cum ergo pœnæ hanc habeāt conditionem, iustitia pariter, & misericordia dici possunt: iustitia, quatenus culpas nostras

Ps. 100.

D. Bern. Sem. serm. 65. de ver. c. 2.

Tres status animarum in purgatorio.

D. Aug. de verb. & indi.

Tēpus aliud misericordię & iudicij.

Cass. in Psal. 100.

D. Bern. Sem. vbi supra.

Apoc. 21.

Commodū ex pęna purgatorij, gloria.

Pœna purgatorij misericordia, & iustitia.

pu-

puniunt; miſericordia, dum ijs ad gloriæ fruitionem habiles reddimur: tunc enim bonum nobis præparatur, cum pœnarum tolerantia diſponitur. *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*. Vtrumque enim in purgatorij pœnis relucet: atque adeo animæ ibi exiſtentes, quantum de iudicio triſtantur ob pœnam, tantum de miſericordia propter gloriæ expectationem hilareſcunt.

Lætitia ſtat in purgatorio cum triſtitia.

Voluit olim Deus miſericordiæ ſuæ magnitudinem oſtendere, cumque Aaron pro peccatis populi ſacrificium offerret, vt ſibi gratum fuiſſe demonſtraret, ignem immiſit, qui omnia in cineres, ac fauillas redegit. *Apparuitque gloria Domini omni multitudini, & ecce egreſſus ignis à Domino deuorauit holocauſtum, & adipes, qui erant ſuper altare. Quod cum vidiſſent turbæ laudauerunt Dominum ruentes in facies ſuas.* Miror hic populi voluptatem, dum holocauſtum ab igne conſumptum inſpexit, ſic enim legit Symmachus. *Conſumpſit holocauſtum*. Quæ nam propter hoc lætitiæ cauſa? Si manna e cælo pluuiatim caderet, quod ſacrificio adiunctum Dei acceptationem teſtaretur, non mirarer lætitiam. Cæterum quod ſæuiente flamma, & ſacrificium deuorante, lætentur, cum potius timere debuerant, & pauere, hoc mihi mirum videtur, & ſanè eſt, vt in eo quis ſuam fœlicitatem, & ſpem reponat, ex quo alij infortunia ominantur. Reſpondet tamen Lyranus, lætitiæ cauſam extitiſſe, quod ignis ad demonſtrationem diuinæ acceptationis holocauſtum conſumpſerit. *Et ecce egreſſus ignis à Domino conſūpſit holocauſtum. Hoc enim fuit signum acceptationis diuinæ*. Ita ille. Cæterum adhuc diſquirendum eſt. Cur ignem potius, quam aliud elementum in acceptationis demonſtrationem elegit? Ratio eſt, quia licet ſignum aliud potuiſſet apponere, nullum tamen erat igne accommodatius. Quæ nam fuit Aaronis intentio, dum ſacrificium obtulit? planè, vt Deus illud acceptans populo peccata dimitteret. At vero ignis Purgatorij figura erat: vt igitur eos erudiret, tunc erga nos miſericordia vti

Leuit. 9.

Symac. ibi.

Lyr. ibi.

Ignis figura Purgatorij, qui Deus iuſtitiam exercet.

cum in Purgatorio iuſtitiam exercet & quando pœnas deſtinat, bonum nobis præuenire; ideo dum holocauſtum offerretur ignem miſit, qui illud conſumeret, quod acceptationis ſignum extitit, vbi diuina ſe prodidit clementia, tunc miſericordia vtens, cum igne demiſſo rigorem exercere videbatur. *Hoc enim fuit ſignum acceptationis diuinæ*. Et verò Dei miſericordia nullo indicio clarius, quam igne ſacrificium conſumente demonſtrari potuit. Nec populus viſo igne potuit non ingenti gaudio affici: quia flammas videns, & pœnas ibi repræſentatas conſiderans bonum ſibi præparari intuebatur. *Hoc enim fuit ſignum acceptationis diuinæ*.

Ignis hc cauſtum uorans ſignum acceptationis

Hinc apparet, quam damnanda ſit aliquorum negligentia, qui tantum abeſt, vt ſpontaneam pro peccatis ſatisfactionem, & pœnitentiam agant, quod potius cum Confeſſarijs expoſtulant, quod ſibi magnam iniungant, & cum parua ſit ſummoperè lætantur. Quaſi pęnæ non ſint diſpoſitiones, quibus ad gloriæ fruitionem habiles efficimur. Cum tamen indubitatum ſit, quod quanto grauior fuerit pęnitentia, tanto ſecurior erit gloriæ bonum: purgata enim culpa reſpondente illi pœna, ab igne purgatorij illæſus quiſpiam in cælum traducetur. Vnde damnanda eſt eorum lætitia, qui de pœnitentia leui gaudent, deque graui triſtantur: cum potius ieiunijs, & alijs aſperitatibus ſeſe exercere deberent, vt ſic ad gloriæ fruitionem diſponerentur.

Triſtātes ſibi iniun pœnitent argumentu

Cum verò acciderit, vt tribulationis ardor, & ignis eos corripiat, ad Populi ſimilitudinem gaudeant, quia ſicut ibi ignis diuinæ acceptationis demonſtratio extitit, vt dixit Lyranus. *Hoc enim fuit ſignum acceptationis diuinæ*: ſic etiam ingruente tribulationis flamma, ſignum oſtenditur, quod Deus nobis bonum beatitudinis huiuſmodi diſpoſitionibus præueniat. Qui verò confeſſiones auſcultant graues iniungere pœnitentias non ambigant, quia quælibet in hac parte crudelitas ſumma eſt pietas, & quo maiori vtuntur rigore; maius pęnitentibus beneficium conferunt. Auſcultandus hic eſt Diuus

Confeſſ dent gr. pœniten

Tho-

D Tho. in 4. dis. 20 qu. 1 ar. 2.

Nocet Sacerdos leuem pœnitentiã iniungens.

Thomas. *In Purgatorio aliquis grauius punitur, quam in hac vita, si ergo post peractam pœnitentiam à Sacerdote iniunctam adhuc manet pœna purgatorij. Videtur, quod multum noceat Sacerdos pœnitenti leuem pœnitentiam iniungendo.* Ergo vicissim pœnitentes, ac confessores certent, illi pœnas exigentes grauiores, hi verò misericorditer sæuientes rigore vtantur, qui sic bona fęlicitatis æternæ pœnitentibus præueniunt, & hi Dei populum imitati lætentur, dum tribulationum flammis se vident absumi, quoniam tunc holocaustum Deo gratissimum euadunt. *Hoc enim fuit signum acceptationis diuinæ.*

Iob 28.

Ad confirmationem huius instituti trahi potest illud Iob. *Auro locus est, in quo conflatur*, quem locum expendit egregiè S. Bernardinus. Et vero auri probitas igne manifestatur, quantumuis enim metallum hoc sit valde pretiosum non tamen, vt tale æstimatur quo vsque flamma suam probitatem demonstret, quod prouidè quidem factum, vt intelligamus, quod fuit ignis destinatus, vt per eum auri prætiositas agnoścatur, sic etiam Purgatorius ignis à Deo institutus, vt gratiæ gradus, & animæ perfectionem examinat, & decoctus igne scoria pęnæ respondentis culpæ, auri puritatem, hoc est charitatem auro significatam ostendat. Nec verò quia Deus, qui infinita est sapientia, hoc ignorat: sed vt nos erudiat, hac vtitur ignis demonstratione. Do S. Bernardinum disertè loquentem. *Quia ad futuram retributionem nemo nisi omnino purgatus peruenire potest; ideo his qui in gratia, sed absque finita pœnitentia moriuntur Iob inquit. Auro locus est, in quo conflatur: Aurum quippe in diuitijs pretiosum est, & congrue significat gratiam Dei, at eos qui in gratia nondum finita pœnitentia decesserunt: huic auro locus est, scilicet Purgatorium, in quo conflatur, idest funditur, & ab impuritate ad plenam puritatem mutatur, vt aurum sic in gloriam sempiternam possint transferri.* Hactenus ille. Consideranda est hoc loco diuinæ prouidentiæ dispositio, cum enim plurimæ ex hoc mundo animæ proficiscantur, quæ pro culpis integrè

Existentes in Purgatorio, auro assimilantur.

D. Bern. Sen. serm. 65. de purg. a. 2.

non satisfecerunt, & proinde visionis diuinæ incapaces habebantur; Deus sua vtens misericordia, sicut auro ad purificationem adhibuit ignem, sic eundem in Purgatorij loco animabus præuenit, vt in eo purgatæ ad cæleste regnum transferri possint: atque adeò cum rigorem, & iustitiam videtur exercere, tunc clementiorem se exhibet, & dum flammarum ardorem pati cogit beatitudinis rores meditatur, quibus animæ recreatæ feliciter respirent. *Ac eos, qui in gratia non dum finita pœnitentia decesserunt, huic auro locus est, scilicet Purgatorium, in quo conflatur, idest funditur, & ab impuritate ad plenam puritatem mutatur, vt aurum sit in gloriam sempiternam possit transferri.*

Acutissimo Caietano cogitatu rem hanc illustro. Post inobedientiæ delictum e Paradiso Adamus eijcitur, & gladius ante portam igneus constituitur, vt illuc intrare volentem retardet. sicut Genes. 3. scribitur. *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Iuxta Hebræum, non vnus tantum Cherubinus, sed plures, vt notat Caietanus, ad custodiam destinati videntur. *Iuxta Hebraum habetur, & collocauit ab ante ad hortum Hedem Cherubinos, & flammam gladij versatilis ad custodiendam viam ligni vitarum.* Erat autem custodia Cherubinorum sic disposita, vt quocunque se verteret Adam, introitum ad Paradisum sibi prohibitum animaduerteret, ita enim sonant verba illa. *Ab ante ad hortum. Per ab ante*, inquit, *comprehenditur omnis circumcirca pars ante hortum, nam de qualibet parte extra hortum circumcirca verificatur, quod est ante hortum: quemadmodum vniuersa fossa arcis dicitur, quod est ante arcem, & hic sensus magis consentaneus est rationi, vt vndecumque euntibus versus hortum obuia facta intelligatur custodia, ante hortum.* Quærendum nunc est qua de causa, adhibitis tot Cherubinis in orbem horti illius excubantibus, gladius versatilis apponitur? *Flammam gladij versatilis.* Nonne aptius erat, vt flammarum circulum referret, qui non solum adi-

Gen. 3.

Ignis purgatorius est gladius flammeus.

Cai. ibi.

vbi sup.

tum

tum defenderet, ſed etiam viſu accedentes terreret? Ita quidem. Ad quid ergo verſatilis gladius ad cuſtodiam porrigitur? Ratio eſt, quia cum Deus propter culpam hominem è Paradiſo eiecerit, & poſt veniam delicti, non niſi ſatisfacta pœna, quæ ipſi reſpondebat, ad Paradiſum admitti poterat: ad hoc autem ignis Purgatorij deſtinatus erat, quem flammeus ille gladius ſignificabat. Neceſſe fuit, vt ita diſponeretur; quo intelligeret homo, nunquam magis miſericorditer à Deo ſecum agi, quam cum pœnis purgatorij adiudicat, tunc bonum beatitudinis præparans cum flammæ rigorem depromit. Et ideo flammeus ille gladius verſatilis erat, vt cum ab Angelo circumactus ferire minaretur, in ipſo reatum abſcidens, intranti locum daret atque ad paradiſum tranſiret, & pœna, quam ignis terror efficiebat, purgationi deſeruiret, vt purgato pateret aditus: & notum fieret, Deum numquam magis vti miſericordia, quam cum in purgatorio iuſtitiam exercet, quia tunc in ipſa pœnarum, & ignis præuentione æternæ beatitudinis bona nobis præparat. Proptereaque ad paradiſi cuſtodiam plures Cherubini ſtatuuntur, & gladius verſatilis eſt, vt hortus melius ſit cuſtoditus, nec niſi per medias ipſius flammas intrare quiſpiam permittatur? *Et collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubinos, & flammam gladij verſatilis ad cuſtodiendam viam ligni vitarum.*

In pœnis Purgatorij Deus æternæ beatitudinis bona nobis præparat.

Non minus aptè ad hoc idem inſtitutum trahi poteſt illud Dei mandatum, quod Eleazarus poſt Madianitarum victoriam Dei populo iniunxit dicens, *Omne, quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur, quidquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur, & lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo, & purificati poſtea caſtra intrabitis.* Notanda præcepti ſeueritas, vt aliqua flammis, aliqua vndis purificanda iubeat, nec aliter in caſtra ingredi fas ſit: cum tamen è prælio venirent, in quo diuinæ voluntatis, & beneplaciti, executores extiterant, vt notauit Origenes. *Placuerunt*, inquit, *Domino: voluntatem namque Dei impleuerunt.* Quid ergo erat vno, vel altero elemento expiandum? Reſpondeo. Madianitæ dæmones ſignificant, Dei autem Populo animæ repræſentantur, quæ obtenta de malignis ſpiritibus victoria ex hoc mundo decedunt, & quamquam victrices euaſerint, adhuc aliquid expiandum ſupereſt, vt duorum inter ſe concertantium exemplo monſtratur. Nam qui victoriam obtinet, vt minimum ſanguine victi aſperſus vel ex ipſo contactu prodit. Non aliter, ait S. Bernardinus euenit animabus Purgatorij, cum ab acie huiuſmodi, finito cum dæmonis prælio, egrediuntur: licet enim in gratia confirmatæ ſint, nonnullas tamen maculas à culpa relictas deferunt, pro quibus plenè non ſatisfecerant. At verò non exhibita primum ſatisfactione in beatitudinis caſtra ingredi non licet, & ideo Purgatorij ignem experiri opportet, licet alioquin Dei amicitiam ſeruent, & eius voluntatem fuerint executæ. *Placuerunt Domino: voluntatem namque Dei impleuerunt.* Necvero exiſtimandum eſt, nimis rigorosè cum ijs agi, dum per flammarum ardorem ad beatitudinis bonum diſponuntur: quia ardor ille miſericordia potius dicendus eſt, quam iuſtitia: quamquam enim iuſtitiam exercendo purificat, ipſamet purificatio tanquam ad bonum gloriæ diſpoſitio, ſumma Dei miſericordia dicenda eſt, vtpotè quæ in pœnarum præuentione bona diſponit. *Ideo neceſſe eſt*, ait S. Bernardinus, *vt compleant id, quod reſtat, & deeſt de purgatione ſua: quare eſt locus ille quem purgatorium fides chriſtiana vocat. Et de talibus, qui purgantur ibi, myſticè Spiritus Sanctus in verbo propoſito inquit: Omne quod poteſt tranſire per flammas igne purgabitur.*

Num. 31.

Orig. l. 25. in Num.

S. Bern. Sen. ſer. 64. de purg. c. 2.

Deinde ponderanda eſt temporis circunſtantia, in qua talis purificatio debebat abſolui, videlicet die ſeptimo. *Et lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo, & purificati poſtea caſtra intrabitis*, Vbi magnum latet myſterium, videlicet, quia dies ſeptimus vtpotè quem Deus ad requieſcendum ex mundi molitione elegit, æternam requiem deſignat. *Et requieuit die ſeptimo ab vniuer-*

Num. 31.

Gen. 2.

uerso opere, quod patrarat. Purificatio autem igne facienda purgatorium, & ingressus in castra introitus in beatitudinem exprimit: bene igitur, qui purgatione indigent septimo die absoluunt, & deinde ad beatitudinem admittuntur. Est autem huiusmodi purgatio ab hac vita exeuntibus adeò necessaria, vt neminem ab illa eximendum Origenes arbitretur. *Vides*, ait, *quomodo purgatione indiget omnis, qui exit de prælio huius vitæ*. Ergo cum per rigorem pœnarum purificatio disponatur, & in die septimo absolui præcipiatur, qui beatitudinis quietem designat; haud dubium, quod Deus ita disponens magna vtitur misericordia, & dum flammarum ardore præuenit, aditum ad beatitudinem aperit. *Et lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis*.

[Margin: ost purgationem das introitus ad vitam. — Orig. l. 25. in Num.]

Huius etiam misericordiæ aspectu David Deum instanter rogabat dicens. *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam*. Monet verò Caietanus, quod propter mortem Vriæ hanc Dei misericordiam implorabat. *Tandem*, inquit, *laua ab iniquitate mea, quæ inique gessi contra Vriam*. Glossa interlinealis homicidio adulterium adiungit, & pro vtroque misericordiam petere affirmat. *Amplius laua me ab iniquitate mea, contra Vriam, & à peccato adulterij munda me*. At si *D. Basilio*, & Theodoreto, fides est adhibenda, iam Deus huiusmodi culpas pœnitenti condonauerat. *Per Nathan veniam dedisti mihi*. Vt quid ergo iterum sibi culpam temitti obsecrat, quam iam fuisse condonatam testatur? Forsan alijs se inquinatum sentit, & pro his veniam postulat? minimè. Quare igitur magnam Dei misericordiam implorat? Respondet Basilius, & Theodoretus, eo dirigi petitionem David, vt maculæ, quas culpa reliquerat, penitus abluantur. *Sed quia*, inquiunt, *peccati sordes die, ac nocte sub oculos versantur, eas vniuersas quæso abradas*. Cæterum qui misericordiam postulat, videtur iustitiam declinare: cum tamen vtraque die thronum circunder, nec potest perire iustitia, cum expromitur misericordia, vt arguebat S. Augustinus. *Quid ergo erit? Per misericordiam peribit iustitiam?* Absit. Ergo, & secundum iustitiam, & secundum misericordiam cum Dauide pœnitente aget? Ita quidem. Qua vero ratione id fieri possit ostendo. Dauid peccati maculas sibi condonari precatur, quæ semper oculis obijciebantur, & molestia afficiebant, *Sed quia peccati sordes die, ac nocte sub oculos versantur, eas vniuersas quæso abradas*. At vero hæ maculæ Purgatorio igne consumuntur. Prudenter igitur David gnarus, quod non purgatis sordibus, quas culpa reliquerat, ad beatitudinem admitti non posset: sub indeque purgationem illam per ignis ardorem dispositam quandam esse summi boni præuentionem agnoscens; etsi iustitiam ibi exerceri videbat, misericordiam tamen compellebat, dicens: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, hoc est, peccati sordes vniuersas quæso abradas*.

[Margin: Psal. 50. — Caiet. ibi. — Gloss. int. — D. Basi. & Theod. in Ps. 50. — D. Aug. in Ps. 50.]

1 In rubo ardente, quem Moyses viderat incombustum, quædam huius veritatis imago elucet: cum ille tanti miraculi videndi causa propius accedere destinaret, Deus festinanti præcepit, ne accederet, nisi prius pedes calceamentis nudaret. *Ne appropies*, inquit, *huc solue calceamentum de pedibus tuis*. Duo continentur his verbis, vt optimè aduertit Caietanus, vnum, quod Moyses ab accessu retardatur, alterum, quod calceos iubetur exuere. *Prima*, inquit, *actio congruens Eloim relatiue ad Moysen, est inhibitio appropinquandi, adiuncto mandato reuerendi etiam locum, quia Sanctus est, & non calcandus opertis, sed nudis pedibus in signum reuerentiæ*. Quod si quæras qua de causa detineatur Moyses? Respondet Theodoretus: *Vt cum tremore mandata eius accipiat*. Deinde si Hugonem victorinum de terræ illius sanctitate consulamus, ad quid nudis pedibus calcanda sit, dicit: *Non propter aliud, nisi propter diuinam præsentiam*. Nunc autem inquiro. Nonne sat erat, vt Moyses pedes nudaret cum terra sentibus erat obsita, vt quid additur vox, quæ eum terrefaceret? Deinde si, vt reuerenter accederet sufficiens vox habe-

[Margin: Exod. 3. — Caie. ibi. — Theod. ibi. q. 7 — Hug. Vict. ibi.]

batur

batur, quare cogit, vt discalceatum spinæ feriant? Quod si propter loci sanctitatem hoc fiebat, quem non nisi pedibus nudis tangere fas erat. *Non calcandus opertis, sed nudis pedibus, in signum reuerentiæ*. Superfluus videtur vocis terror ille timorem incutiens: Cur igitur, & voce terret, & spinis vulnerat? Facilis est responsio, si quid Moyses intendit, expendamus. Quid ille? *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*. Vt autem visionis huiusmodi particeps fieret, non erat sufficienter purgatus patrato Ægyptij homicidio. Bene ergo dum ad Deum non integrè purgatus accedere festinat, diuina vox eum terret, & insuper spinarum acumina experiri iubetur. In medio enim huiusmodi pœnarum positas animas Purgatorij misticè designat: proindeque pœnas illas à Deo statutas misericordiæ attribuendas intelligat. Et si tunc bonum ei disponitur cum eiusmodi pœnarum malum præuenitur, soluat Moyses calceamenta, rigorem spinarum sentiat animam ab homicidij macula repurget, vt visione dignus efficiatur, terrore namque vocis, & spinarum punctionibus ad bonum visionis disponebatur. Terretur ergo, *vt cum tremore mandata eius accipiat*. Calceamentorum etiam exutio præcipitur ob loci sanctitatem, qui *Non calcandus opertis, sed nudis pedibus in signum reuerentiæ*.

Ad Deum accessus exigit integrè Purgatū esse.

Adhuc tamen in loco communi rem profero minimè vulgarem. Nam vt aduertit Caietanus, vbi vulgatus interpres habet. *In flamma ignis de medio rubi*: legi potest. *De intus rubum*. Quasi dicat de corde ipsius rubi; ita quod singuli ipsius rami flammis arderent. Qui verò ibi apparet, Deus est. *Apparuitque ei Dominus*. Sed quare in forma ignis, qui de rubi, vt ita dicam, visceribus erumpit? Amantis more id fecit, quemadmodum amans vt internos animi affectus ostendat, varijs vestium coloribus vtitur, qua cæruleo, qua viridi, qua puniceo, qua aureo, qua purpuranti, prout hac vel illa passione tangitur. Sic etiam, ait Caietanus, Deus noster, vt amoris sui magnitudinem, & ardorem demonstraret: & quam ingenti zelo Hæbrei populi liberationem procurabat, non igneum colorem induisse contentus, ipsummet ignem, in quo appareret, assumpsit, & de ipsius corde se videndum præbuit de intus rubum. *Litteralis autem ratio, quare in tali specie apparitionem banc elegerit Deus, est, vt talem se exhiberet Deus in huiusmodi apparitione, qualis futurus erat in populo Israel liberando ipsum de Aegypto. Nam descensus iste, vt ipse Deus testatur, fuit ad liberandum Israel de Aegypto*. Ita Caietanus. Sed iam quæro, si populum veniebat liberaturus; cur speciem ignis præfert, qui solo visu terreat? & quando requiem se daturum indicat, ignem ostendit, ac dum gloriam præuenire videtur, pœnas infert, & tormenta minatur? Deinde ista liberationis sollicitudo misericordiæ indicium est: & ignis forma, quam ad apparendum elegit, iustitiam repræsentat. Cum enim Deus iustus existimari intendebat, se ignem esse populo testabatur. *Dominus Deus tuus ignis consumens est*. Atque adeo dum misericors liberando apparet, in ignea forma iustus demonstratur. Et si iustus, quare misericors: si misericors quare iustus videtur? Respondeo. Populus propter peccata in captiuitatem traditus fuit, & deinde animarum Purgatorij figuram referebat: At verò animæ è Purgatorio non nisi satisfactione præstita egrediuntur. *Amen dico tibi: non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*. Optimè igitur dispositum est, vt quoniam culparum punitio ad iustitiam, & pœnam ad purgandum adhibere vt liberentur, ad misericordiam spectat, & vtrumque in igne splendet, Deus in ipsius forma compareat: vt sic nunquam magis misericordem se esse demonstret, quam cum in Ægypto (quæ figura purgatorij est) iustus apparet. Tunc enim bonum ipsis disponit, cum in illis flammarum incendijs tormenta præparat, & ideo amorem suum in igne manifestat. *Perspicuum est autem*, ait Caietanus, *quod Deus liberando Israel de Aegypto fuit in ipso populo tanquam ignea flamma*, quæ ex rubi visceribus erumpebat. *Nam de-*

Exod 3. Lat. Hebr.

Ignis, amoris Symbolum.

Caiet. ibi.

Deut. 4.

Matth. 5.

Iustitia benè stat cum misericordia.

scensus iste, vt ipse testatur, fuit ad liberandum Israel de Aegypto.

Sed iam ab igne rubi ad ignem Babylonicæ fornacis transeamus; & ibi doctrinæ huius imago nobis expressa repræsentabitur. Ergo Nabuchodonosor aduersum tres pueros indignatus, eo quod statuam, quam erexerat non adorauerunt, in fornacem eos mitti præcepit. Illi verò antequam mitterentur, ita Regem sunt allocuti: *Ecce enim Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis o Rex liberare. Quod si noluerit, notum tibi sit Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti non adoramus.* Miror equidem horum puerorum animositatem, quamquam enim ab incendio diuina virtute liberari posse fatentur: nihilominus in flammas intrepidi prosiliunt, parati potius, si Deus ita velit, ignis incendia tolerare, quam falsis numinibus adorationis cultum adhibere. *Siue igitur nos liberabit, siue nollet, Deos tuos adorare recusamus.* Sic eorum nomine fatur Teodoretus. En igitur innocentes puelli: quid vos impellit, vt ita alacres in ignem irruere non dubitetis? & quando Deus vos inde nollet eripere; nihilominus incendio torreri hilares sustinebitis, & ardentes prunas tamquam rosas amplectemini? Prudenter ita agunt, ait Theodoretus, quia Dei sapientiam agnoscunt, quæ disponente, vbi torqueri videntur, igneque absumi, inde commodum, & vtilitatem reportabunt. *Cum sapiens sit, ei rerum nostrarum moderationem commisimus.* Cæterum, quænam ex flammis vtilitas percipienda sperabatur? Quomodo augmentum ex igne capient, qui omnia comminuit, & absumit? Non equidem mirarer, si repositam pro martyrio coronam respicientes hoc dicerent. Quod tamen in medijs flammis lætentur, & ibi augmentum capere sperant, hoc insolitum est, & admiratione dignum. *Cum sapiens sit, ei rerum nostrarum moderationem commisimus.* Cur ita? Respondet D. Cyprianus. *Addiderunt posse omnia Deum facere, sed tamen non in hoc facere, vt liberari in præsenti vellent, sed illam libertatis, & securitatis æternæ gloriam cogitarent.* Ita ille. Ergo pueri in medijs flammis gloriam recognoscunt? Ita est: sed qua ratione? Dicam. Isti pueri animas in purgatorio detentas repræsentant, & verò ibi magna est Dei misericordia, per iustitiam executionem flammarum incendio purificari, vt in cœlum transmittantur. Cum vero hi pueri summam in Deo sapientiam, & potentiam ad liberandos illos agnoscant. *Cum sapiens sit, Addiderunt, posse omnia Deum facere.* Videntes tamen quod non liberat, non mediocriter lætantur, quia inde augeri sperant: illa enim iustitiæ executio misericordiæ pignus est. Et quando in flammas præcipitari se vident, inde bonum sibi præparati certò conijciunt, & propterea hilarescunt. *Addiderunt posse omnia Deum facere, vt liberari in præsenti vellent, sed illam libertatis, & securitatis æternæ gloriam cogitarent.*

Pergo vlterius, & pueros in medijs flammis hilares inspicere libet. Nam vbi primum in fornacem intrarunt, alter iuuenis Dei filium repræsentans in eorum societatem se dedit, quam Nabuchodonosor admirabundus inspexit. *Ecce ego video viros quatuor solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* Cæterum qua de causa in fornacem ille quartus adolescens intrauit? Planè vt pueros seruaret à flammis illæsos. Non melius foret, ne illuc mitterentur, impedire, quam liberaturus intrare? Fors esset. At voluit rationem adolescentibus reddere, vt Theodoretus puerorum nomine fatus affirmat. *Non pro mercede illi seruimus, sed beneuolentia, & amore stimulati omnibus Dei nostri cultum præferimus. Quare ne ab his quidem malis liberari petimus, sed Domini prouidentiam amamus.* Nunc autem videndum est, vbi consistat mysterium, & quare sese ostentet Dei prouidentia, quam pueri diuinæ se committendo voluntati, palam fecerunt. Lyranus in prodigiosa liberatione situm esse autumat. *Salus puerorum, inquit, facta est, diuina virtute suspendente actum*

secun-

Zelus impiis dāuatur. Dan 3. Trium puerorum fides, & constantia. Theod. ibi. Theod. Committenda omnia Diui ne moderationi. D. Cyprian. l. 4 epist. 1. Animarum Purgatorij symbolum tres pueri in fornace. Spes commodi multum potest. Exod. 3. Deus vices suis rependit. Theod. ibi. Lyr ibi.

secundum ignis scilicet effectum. Dices si pueros liberari statuerat, quare per misit, vt in fornacem mitterentur? melius esset prohibere ingressum, quam postquam ingressi sūt, per miraculum ab incendio illęsos conseruare. Quo fine hac vtitur dispositione? Respondeo. Dum pueri ab igne seruantur, suum Deus erga illos amorē, & misericordiam ostendit, quod autem in fornacem conijci permiserit, hoc iustitiæ opus fuit. Illi nunquam magis, & hilares, quam inter flammas, & in medio igne maius bonū experiuntur, & dum ingens malum, videlicet consumptionem, timere poterant, summam nacti sunt felicitatem, quæ ex filij Dei comitatu prouenit. Percommodè igitur factum. Quoniam si fornax figura est Purgatorij, vt Deus nos erudiat, nunquam misericordia erga nos melius vti, quam dum iustitiam illic exercet, tunc bona præparans, quando pœnarum mala disponit, in fornace iustitiam in igne, & misericordiam in virtutis vrentis suspensione pariter ostenrat, & insuper pueros comitatur, vt ibi gloriam sentiant, vbi spectatis naturæ viribus tormentum ingens experiri debuerant, & proinde omnipotentiam Dei prædicent, qui in tali tormento gloriam præparauit, etsi non illius aspectu, aut cuiusuis mercedis intuitu ignem sustinere voluerint. *Non pro mercede illi seruimus, sed beneuolentia, & amore stimulati omnibus Dei nostri cultum præferimus*. Cuius etiam erga se prouidentiam recognouerunt: quia dum flammas præparauit, bonum admirandæ liberationis disposuit, seque illis socium adiungens amorem, quo fornacis incendia despexerunt, Dei prouidentiæ fidentes, *Domini prouidentiam amamus*, amore alio rependit.

Mirabilis Dei dispositio.

Misericordia vbi paranda erant tormenta inuenitur.

Admiranda sunt illa Beati Laurentij verba, quæ in craticula positus, & igne tostus inter gratiarum actiones lætabundus effudit. *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui*. Proh boni superi, quam potens est patiendi voluptas? Ecce vbi Laurentius in craticula positus magno terretur incendio, & per paradisi ianuas ingredi proclamat; qua ratione fieri potest, vt inter illas pœnas, gloriæ delicijs fruatur, & inter tormentorum procellas beatitudinis oblectamenta deguster? Auscultandus est D. Leo cum Tortore sic expostulans: *Sæuisti persecutor in martyrem, sæuisti, & auxisti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum respexit, quando in honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicij?* Hæc ille, vbi vides Tiranni tormenta Laurentio fuisse in delicias commutata, & vnde martyrem torquere existimabat, ibi voluptate afficiebat. Miror tamen, quomodo talis pœnarum in delicias mutatio fieri potuerit, vt Tyrannus prunas ministraret, & Laurentius rosas sentiret. Cæterum hoc ideo accidit; quia Laurentius in flammis ardens Purgatorij animas referebat, cum quibus Deus misericordia vtitur, dum per iustitiam in igne purificat, tunc bona ipsis disponens cum pœnarum mala destinat. Benè ergo Laurentius inter flammas ardens, dum nouit Deum iustis bonum gloriæ destinare cum pœnas determinat in gratiarum actionem effusus, suauiores rosis prunas sentiens inter flammas lætatur, quasi paradisi delicias prægustauerit. *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui*. Tantundem enim Laurentio flammis vri, quam in cælo deliciari, in craticula ardere, quam ad cæleste regnum admitti: & ideo egregiè dictum à D. Leone est. *Sæuisti persecutor in martyrem, sæuisti, & auxisti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicij?*

In offi. S. Laurent.

Volnptas patiendi potentissima.

S. Leo PP. in natal. S. Lauren.

Hominum conatus irriti, in affligendo martyres.

Gratiarum actiones tormenta mitescunt.

Humani conatus contra intentionem succedunt.

Per pulchram excursioni clausulam appono ex illo Dei mandato fabrefactam, videlicet cum Populo Israelitico post idololatriæ culpam præcepit Deus, vt ornamenta deponeret, vt sciret, quid de eo facere deberet. *Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi*. Planè videtur, vt se spoliarent præcepisse, quasi verberibus se paratos ostenderent. Qui enim seruum se exuere iubet, verbera intendit. Cæterum quinam est hic ornatus

Exod. 33.

quem deponendum præcipit? *Iam nunc depone ornatum tuum*. Respondet Lyra. *Intelliguntur coronæ, quas sibi principales populi imposuerant in die dationis legis, quando Dominus locutus est eis decem verba, vt dictum est eo capite. Tunc enim Populus fuit Deo dispensatus per susceptionem legis, & ideo fuerunt coronati admodum sponsi, & has coronas non deposuerunt, ad ostendendum, quod volebant esse subiecti legi: sed quia peccauerunt per idololatriam, & tabulæ legis erant fractæ; ideo ad eorum confusionem, & humiliationem præcepit Dominus eas deponi*. Ergo ornatus depositio, quæ præcipitur, ad pœnam, & ignominiam ordinatur: & dum dicit, *depone ornatum*, verbera minitatur, & tamen misericordiam spondet: tantum namque valet illud, *vt sciam quid faciam tibi*. Quid sibi vult ista diuersitas? Respondet S. Bernardinus Deum hic matris instar se habuisse, quæ dum filium verberibus punit, amorem ostendit. *Ad instar*, inquit, *filij, quem mater verberat corrigendo suum errorem, dicens, fili mi, tu peccasti, ego volo corrigere peccatum tuum*. Non aliter Deus, vt populum vidit peccantem, pœnam adhibuit, & misericordiam disposuit. Primo quidem iustitiam exercuit, & malum præuenit, dicens: *Iam nunc depone ornatum tuum*. Deinde misericordiam exprompsit, & bonum præparauit, *vt sciam, quid faciam tibi*. Vt nos hac ratione doceret, quem erga Purgatorij animas stylum obseruet: dum enim illæ ibi detentæ pœnas sustinent acerbissimas, quod iustitiæ munus est; in ipsa pœnarum tolerantia ingressus paratur ad gloriam (quod ad misericordiam attinet) atque adeo eademmet res, & misericordiæ, & iustitiæ opus censetur, sic Dei amore, & sapientia temperatum; vt vtrumque sit, & iudicetur. Quasi eorum cuilibet amanter diceret: *Fili mi, tu peccasti, ego volo corrigere tuum peccatum. Ita accidit*, teste D. Bernardino, *in animabus, quæ purgant sua peccata in Purgatorio*. Cumque in hac purgatione iustitia simul, & misericordia interueniant: hinc est, vt dicamus, tunc animabus æternæ fœlicitatis bonum præparari, cum pœnarum cruciatus disponuntur: quemadmodum cum Populo Israelitico actum videmus, cui per depositionem ornatus pœna iniungitur. *Iam nunc depone ornatum tuum*. Et statim misericordiæ bonum impenditur, *Vt sciam quid faciam tibi*.

[Margin notes: Lyr. ibi. — In castigatione amor ostenditur. — D. Bern. Ser. 15. de ... — Idem opus misericordiæ & iustitiæ.]

FINIS LIBRI QVINTI.





LIBER SEXTVS.

DE VALORE SVFFRAGIORVM, ET OPERVM SVPEREROGATIONIS.



CAPVT PRIMVM.

Quod tam magnus ſit ſuffragiorum valor; vt Deo poteſtas deeſſe videatur, vt eorum vi reſiſtat, & petitionem repellat.



MAGNVS ille Gregorius nō ſolum ſuffragia, prout ſacri Canones ſtatuunt admittenda eſſe teſtatur: ſed inſuper quatuor tanquam magis præcipua, animabuſque profutura recenſet. *Animæ*, inquit, *defunctorum quatuor modis ſoluuntur; vel orationibus ſacerdotum per Miſſæ ſacrificium, vel orationibus ſanctorum, vel amicorum eleemoſynis, vel ieiunijs cognatorum: ſunt enim ſatisfactoria opera*. Primò igitur enumerat Miſſæ ſacrificium: Secundò, orationes ſanctorum: Tertiò, eleemoſynas amicorum: Quartò, ieiunia cognatorum, in quibus omnibus ſatisfaciendi ratio inuenitur. Diſtinguendus tamen hic eſt diuerſus ſatisfactionis modus, qui ſingulis ineſt. Quædam enim ſuffragia ex opere, vt aiunt, operato ſatisfaciendi vim habent, eiuſmodi eſt Miſſæ ſacrificium, quod licet à ſacerdote in peccatis conſtituto offeratur, nihilominus animæ prodeſt: quia non ratione Miniſtri offerentis, ſed ipſiuſmet operis vim habet ſatisfactoriam. Alia, nimirum orationes, eleemoſynæ, ieiunia, & ſimilia vim ſatiſfaciendi ex opere operantis ſortiuntur: omnia tamen pro animabus ſuo modo oblata ſatisfaciunt, & quamdam, vt ita dicam, vim Deo inferunt, vnde ipſis reſiſtere, & petitiones eorum reijcere non poſſe videatur.

Anim. Anim. 7. qu. 8. D. nog. ibi.

Diuerſus ſatisfactionis modus.

Hinc eſt, vt Ieremias ad orandum pro populo paratus hac exhortatione fuit retardatus. *Tu ergo*, inquit, *noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi*

Hierem. 7.

quia

quia non exaudiam te. Vt autem propheta, suadeat ab oratione desistere, populi peccata recenset dicens: *Non ne vides, quod isti faciunt in ciuitatibus Iuda, & plateis Hierusalem?* Cæterum quid causæ est, vt orare prohibear, & orantem non auditurum affirmet? Porrò nouerat orationis vim, & cum hinc peccantium iniquitas ad vindictam prouocaret, inde Prophetæ oratio ad veniam impelleret, gnarus, quod orationis viribus resistere non poterat: Ne oret hortatur, ne oratione detentus ab inferendo iniquis supplicio retardetur. *Tu ergo noli orare pro Populo*. Quo loco addit Sanctus Thomas. *Hic excludit remedium orationis*. Ea namque est ipsius potentia, vt Dei manibus vincula quædam videatur in inijcere, ne supplicium inferat: vnde cum populi peccatores morti, & igni propter peccata tradendi essent prophetæ præcipit, ne oret, Quia orationis potentia sententiam impediret, ea namque est suffragiorum vis, vt Deus eis resistere non posse videatur, & eorum petitiones repellere. Dum igitur monet: *Tu ergo noli orare pro populo: excludit remedium orationis, & primo profertur sententia; quia oratio sanctorum quodammodo detinet, & excludit Dei sententiam*. Hæc diuus Thomas.

Orationis efficacia.

D. Thom. in Hierem.

Cum castigare vult Deus prohibet orare.

Hanc eadẽ vim suffragiorum inspexit Caietanus supplicium illud expendens, quo in populum peccantem animaduertit. Quamobrem, inquit textus, *Misit Dominus in populum ignitos serpentes*, & iuxta Hebræum, vt aduertit Caietanus, habetur, *Serpentes ardentes*. Cum autem Deus Moysis oratione in misericordiam pronus delinquentibus veniam elargiri promitteret, serpentem æneum fabricari præcepit, in quem aspicientes à serpentibus vulnerati sanitatem reciperent. *Fac Serpentem aneum*. Caietanus transtulit. *Fac tibi ardentem*, & addit, subaudi serpentem. Vbi iam inquirendum se offerr. Cur voluit, vt serpens, qui ad medicinam parabatur, igneus esset: sicut igniti erant, qui peccatores vulnerabant? Porrò videbatur sufficere, vt æneus esset: vt quid vlterius igne ardebat? In hoc mysterium consistit, vt medicina dolori respondeat. Illi verò, quos igniti serpentes vulnerabant, animas in Purgatorio constitutas designabant: at vero animæ ab illo igne suffragijs, & supererogationis operibus liberantur: vt ergo intelligatur, tantam esse suffragiorum virtutem, quod ipse Deus, si resistere quodammodo nequeat, remedium supplicij in igne constituit, & serpentes igneos serpente alio efficaciori igne succenso extinguit: ita quod illi, quos ignei serpentes vulnerabant, alterius serpentis igniti aspectu, absque dubio sanabantur; serpentem serpentibus opponens, & Purgatorij pœnis suffragia adhibens, quorum vis Deum ipsum superare qnodammodo videtur. *Serpentes ardentes. Fac tibi ardentem, subaudi, serpentem*.

Caie num. 21

Pergo vlterius, & cum eodem Caietano medicinæ huius dispositionem expendo. Nam cum Hebræi à serpentibus vulnerati interirent, Moysen conuenerunt, vt plagam illam ineuitabilem oratione ab ipsis auerteret. Quid ille? Textus enarrat. *Orauitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum. Fac serpentem æneum*. In Hebræo inuenitur, Caietano teste. *Fac tibi ardentem, subaudi, serpentem*. Quasi Deus vellet, vt illa serpentis medicina Moysi potius, quam ipsi attribueretur. *Significantius autem dicit, fac tibi, non mihi, idest, fac tibi tanquam tuam medicinam ad curanda vulnera*. Sic ibi Caietanus. At cur Deus Moysi potius quam sibi medicinam illam attribui procurat, dicens. *Fac tibi, non mihi, serpentem ardentem?* Porrò illi, quos Dei supplicium afficiebat, Hebræi erant, & à serpentibus vulnerati passim moriebantur. *Et momorderunt populum, & mortuus est populus multus*, Vt ibi tenet Hebraica lectio. At vero, qui vulnerati mortem expectabant, & ad Moysis orationem reccurrerunt; quid aliud, quam Purgatorij animas designant, quæ iustorum suffragijs adiuuantur? Vt ergo detur intelligi, suffragiorum vim adeo magnam esse, vt Deus ipsi nequeat resistere, orante pro populo Moyse, Deus ad misericordiam fle-

Numer. 21.

Deus non sibi sed Moysi curationem tribuit.

flectitur, deque remedio prouidet, & orationi Moysis medicinam attribui procurat, dicens, *Fac tibi*, hoc est, tibi potius, quam mihi horum liberatio attribuatur. Et sic planum fiet quanta suffragiorum vis existat, vt ipsis nequeam resistere, nec eorum petitionem repudiare. *Significantius autem dicit: fac tibi, non mihi, idest fac tibi tanquam tuam medicinam ad curanda vulnera.* Mirificè rem hanc illustrat duplex Dauidis euentus, quorum meminit Regum historia. Primus quando Absalonem fugiens, per montem oliuarum transibat, oculisque vberrimo lacrymarum profluuio manantibus operto capite, & nudis pedibus (ne, vt ibi Glossa interlinealis adnotauit, videretur flere pro sua de persecutoribus liberatione) Deum obsecrabat. *Porrò Dauid*, inquit Textus, *ascendebat cliuum oliuarum, scandens, & flens nudis pedibus incedens, & aperto capite.* Secūdus, cum sæuiens Dei vindicta Dauidem compulit, vt vnum à tribus supplicijs eligeret: Vel septem annos famis, aut tres menses belli, vel tres dies pestilentiæ, & hoc postremum elegit, vnde ingruente contagionis morbo multa hominum millia breui ceciderunt. *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan vsq; ad Bersabee septuaginta millia virorum.* Cum autem Dauid tot hominum cædes aspiceret, totum se contulit ad orandum Deum, ædificatoque altari, & oblatis in eo victimis diuinam placauit indignationem. *Aedificauitque ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica: & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel.* En orationis effectus. Orante enim Dauide pestis defæuijt, & omninò cessauit. Longè aliter se res habuit cum Absalonem fugeret. Nam licet cum lachrymis Deum obsecraret, misericordiam implorans, non obtinuit, quia Absalon Hierosolymam occupauit, & Regnum inuasit. *Absalon quoque ingressus est Hierusalem.* Vndenam hoc orationis discrimen prouenit, vt pro populo orans, Deum ad misericordiam inflecteret; ita vt

Oratio opportuna se uiente tribulatione.

plaga fuerit cohibita, cum verò pro se ipso oraret nihil obtinuisse videtur? Nodum hunc satis difficilem soluit ingenij acumine D. Gregorius, cuius hæc sunt. *Hinc Dauid prostrata plebe Angeli gladium prece compescuit: cum prius plorans, & eiulans nudis pedibus fugeret: & quo vsque perpetrati facinoris vltionem ad plenum reciperet, iram Dei non valuit pro se ipso temperare.* Itaque pro alijs orans auditur, & Dei iram emollit, ac frangit: At vero dum pro se orat, nisi prius integram delicti pœnam exoluat, veniam non consequitur. Prior enim oratio pro ijs, qui contagione ciciderant, suffragij vim habebat, cuius tanta est potentia, vt Deus illi resistere non posse videatur. Et ideo quamuis Dauid lacrymarum suffultus patrocinio, pro se ipso oraret, non obtinuit petitionis effectum, quem tamen pro mortuis orans fuit consecutus, quia eiusmodi oratio velut suffragium pro defunctis oblatum, tam magnam habet vim, vt Deus ei resistere quodammodo non posse videatur.

D. Gregor.

Aliquando Deus non audit pro se orantem etsi oro alijs.

Non minus aptum est ad præsentis instituti illustrationem, quod de Iacob noctu cum Angelo luctante memoratur. Ergo luctantibus hinc inde summa contentione Athletis, videns Angelus, quod competitorem vincere non posset, in fœmore percussit. *Qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit.* Ecce tibi percusso Iacob, & imbecilliori reddito ex vulnere, Angelus quasi tunc valentiorem agnosceret, & se pęne victum sentiret, vt se dimittat instanter obsecrat, dicens: *Dimitte me.* Quis non miretur hanc rerum dispositionem? Iacob ab Angelo percutitur, vt imbecillior factus vincatur; & tunc fortior redditur, & contra Angelum præualet, quinimo contra Deum ipsum, vt ibi dicitur. *Contra Deum fortis fuisti.* Vndenam vulnerato, & claudicanti tanta prouenit fortitudo, vt Angelum, seu Deum vinceret? Plane ex oratione, quam lacrymis associatam Deo obtulit vt apud Oseam habetur. *Et inualuit ad Angelum, & confortatus est: fleuit, &*

ro-

rogauit eum. At quid orando postulauit? Lyranus edocet ad hunc locum: *Fleuit. & rogauit eum, idest deuote, & cum lachrymis rogauit eum, vt dirigeret eum in via, & custodiret, & sic factum est*. At vnde orationi vis tanta, vt postulata obtinuerit? *Et sic factum est*. Ausculta. Iacob vulneratus pro mortuo reputatur, vulnus enim tendebat ad mortem: dum autem pro se ipso quasi mortuo orat, talis oratio suffragij naturam induisse videtur, cuius tanta est potestas, vt Deus nec ei resistere, nec eius petitionem refellere posse videatur: hinc est, vt percussus Iacob, & infirmior redditus tunc potentior appareat, & Deus se quasi victum fatearur, & dimitti postulet, petentique suam liberationem Iacob libenter annuat, vtpote qui suffragij vires superare non posset. *Et inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum, vt dirigeret eum in via, & custodiret, & sic factum est*.

Virtus in infirmitate perficitur.

Moyses etiam Deum pro se ipso, inde pro populo orans, quanta sit huius orationis disparitas; & suffragiorum potentia manifestat. Iussus enim à Deo, vt ad petram loqueretur, vt sic populo aquam ministraret, ille dubitans, & quasi de euentu incertus petram percussit: In cuius hæsitationis pœnam, Deus terræ promissionis ingressu illum priuauit. *Dixitque Dominus ad Moysen, & Aaron. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. Hæc ibi. Cæterum alio in loco peccante populo, cum Deus ipsum punire decerneret, Moyses orationem præmittens Dei iram cohibebat: vnde Dominus seruum rogabat, vt se dimitteret, neque ab inferendo supplicio retardaret. *Moyses autem orabat ad Dominum Deum suum*. Deus autem quasi orationis vim sustinere non posset, dicebat: *dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam*. Cernis, vt hinc Moyses orando diuinæ iræ resistat, cum tamen Iob dicat: *Deus, cuius iræ nemo resistere potest*. Inde Dominus quasi serui precibus resistere nequeat, ipsum hortatur, vt ab oratione desistat. *dimitte me*. Miraberis tamen cur ille, cuius tam potens erat oratio, vt Deum vincere, & ligare quodammodo videretur, cum pro populo rogaret, nihilominus pro se ipso orans tam parum valuerit apud Deum, vt veniam suæ dubitationis obtinere non potuerit. *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. Totum ad suffragiorum potentiam retulit D. Gregorius. *Hinc est enim*, inquit, *quod Moyses, qui reatum totius populi precibus suis extersit, & diuinæ iracundiæ vim placauit ad petram Oreb veniens, pro aquæ exitione diffidens, terram promissionis ingredi non potuit*.

Num. 20

Efficacior aliquando oratio pro alijs, quam pro se.

Quid ergo egit Moyses, cum veniam sibi impetrare non potuerit, & quid amplius meruit, vt peccanti populo veniam fuerit consecutus? Quid amplius apud Sinay meruit, vt veniam impetrauerit alijs, quam sibi apud Oreb obtinere non potuerit? Ita quod ibi, hoc est in Syna Deus, ei dixerit: *dimitte me*, quod tantumdem valet apud D. Gregorium, ac si diceret: *Noli orare pro populo, quia te orante promeritum culpę supplicium irrogare non possum. Quid est, inquit, seruo dicere dimitte me, nisi precandi ausum præbere? Quasi, pensa quantum apud me valeas, & cognosce, quia obtinere poteris quidquid pro populo exoras*. At dicis. Quid amplius habuit Moysis oratio, dum pro populo orabat, quam dum pro se ipso preces effunderet? Per multum equidem; nam dum pro se ipso Deum obsecrabat pro viuente rogabat, dum autem pro populo rogabat, in quem Deus mortis sententiam pronuntiauerat, quasi pro mortuis orabat. Atque adeo iam oratio illa suffragij virtutem obtinebat, cuius tanta est potentia, vt Deus ipsi resistere quodammodo nequeat, neque eius petitionem refellere posse videatur.

Oratio pro mortuis efficax.

Facit etiam in hanc rem illa Thecuites petitio, qua Ioabi suasu Dauidem flectere intentabat, vt Absalonem à curia exulantem, propter amoris intuitum, illuc reuocaret. Igitur Thecuites sicut Ioab suaserat, dicens:

Abulens. *Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne ungaris oleo, vt sis quasi mulier multo tempore lugens mortuum.* Quæ scripturæ verba sic versat Abulensis. *Induere veste lugubri, scilicet in veste nigra, & despecta; vel in facco, aut secundum consuetudinem luctus quarumcumque terrarum.* Quodnam est Thecuites intentum dum vestem lugubrem assumit, & luctum simulat diuturnum? Porrò, vt Dauidis indignationem emolliat, vt Absaloni parcat, atque ab exilio reuocat: ad hoc autem aptissimus erat habitus ille funestus, & magnam petitioni efficaciam tribuebat, sicut ad eum locum notauit Abulensis. Abulens. *Hoc autem fiebat, vt Rex magis misereretur eius propter amaritudinem eius.* Itaque verbis lachrymas addidit, & lugubri apparatu Regem ad miserandum pertraxit, in quo magnam suffragiorum potentiam ostendit. Dauid enim in hoc euentu Deum repræsentabat, cui pro animabus ad flammarum ex lium damnatis orationes effeiuntur: Ioab verò, & Thecuites benefactorum figuram gestabant, qui suffragia offerunt. Cum autem suffragiorum tanta sit potentia, vt Deus ipsis resistere nequeat. Perbellè Thecuites illa funesto habitu postulando, suffragia pro mortuis oblata expressit, & miram eorum virtutem delineauit: sicut enim Dauid, hac ratione flecteretur, & parceret delinquenti, quasi hoc habitu oranti fœminæ non posset resistere, ita Deus suffragiorum, quæ pro mortuis offeruntur potentia, victus eorum petitiones refellere non posse videtur.

Et vero Deus non solum suffragijs cedit, atque ad eorum conspectum iram ponit: verum sola suffragia potestatem habere videntur, vt ipsum in peccantes sæuientem compescant, & ad miserandum pertrahant. Diuinæ Sapient. 18. sapientiæ oraculum est. *Properans enim homo sine querela deprecari pro populis proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati.* Mireris, quod homo Dei iram frangat, ipsique resistat, cum tamen Iob 13. Iob testatur, Deum esse, cuius iræ nemo possit resistere: sed vim suffragiorum attende, & admirationem depone: illa enim Dei iræ resistunt, non vim faciendo: quæ enim vis humana Deum vincet, emollietque? sed orando, & deprecando. Vnde ait Lyranus Lyra. *Restitit iræ Domini, eum placando sua deprecatione.* Cæterum dicas, si tanta est orationis potentia; quid causæ est, vt Iob cum Deo expostulet, quod se orantem non audierit? *Clamo*, inquit, Iob 30. *ad te, & non exaudis me, sto, & non respicis me.* Consideranda est oratorum differentia. Diuersa orantium conditio. Ideo enim Iob non auditur, quia Deus ipsius constantia delectatus, labores, sicut postulabat, auferre minimè volebat. At ille alter, de quo Sapiens loquitur, non pro se, sed pro mortuis deprecabatur, & ideo audiri promeruit, & Dei iram temperauit. *Properans enim homo sine querela deprecari pro populis morientibus.* Vt ibi agit Lyra; ex quo apparet quanta sit suffragiorum potestas; siquidem Iob iustitiæ prærogatiua suffultus non auditur; quia pro se viuo deprecatur, & qui pro mortuis orabat, Deum audientem inuenit, & ipsius iram placauit. *Orationem allegans restitit iræ Domini eum placando sua deprecatione.*

Facit etiam in hanc rem, quod de Rege Ezechia ægrotante sacra refert historia. Nam iubente Deo Isaias ad Regem fuit ingressus, & mortis sententiam pronuntiauit. *In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & introiuit ad eum Isaias filius Amos propheta, & dixit ei. Hæc dicit Dominus, Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Quo audito Rex vberrimo lachrymarum profluuio suffusus vultu ad parietem verso, Deum cœpit orare; Tantumque ipsius valuit oratio, vt Deus ad misericordiam inflexus vitam prorogauerit, & vrbem de Assyriorum inuasione liberandam promiserit, ac vt promissioni suæ fidem faceret, solem decem lineis retro egit, Promissiones quas miraculis Deus format. sicut Ezechias postulauerat. *Et reuersus est Sol decem lineis per gradus, quos descenderat.* Hic iam inquirit D. Thomas, qua ratione dicente Isaia, *Morieris, & non viues*, Ezechias postmodum vixerit? vnde videtur, prophetia

Ll fal-

falsitatis vitio laborare. *Postmodum*, ait, *vixit, & non mortuus est: ergo huic Prophetia, morieris, subsuit falsum, nec fuit immobili veritate denuntians rerum euentus?* Ita ille cuius dubitationem iam ante D. Gregorius ad hunc locum enodauerat. *Sed dicendum est*, ait, *quod prophetæ in libro ipso præscientiæ Dei, vbi omnia scripta sunt, legentes non omnia percipiebant, sed quadam, & eodem modo, quo Deus permittebat. Legerat enim Isaias in illo libro, quod Rex Ezechias secundum opera, quæ fecerat, longiorem non merebatur vitam, & secundum rem Physicam viuere non poterat: sed non legerat, quod per lachrymas, & orationes esset impetraturus.* Hactenus ille. At verò quo tendit ista Dei dispositio? vt partim Prophetæ rei euentum manifestet, partim occultet: vnde eadem hora duas prophetias inter se contrarias protulerit, ideoque necesse fuerit, vt postremam miraculi ostensione comprobaret, quemadmodum rectè censuit D. Augustinus, dicens: *Cum Isaias duas prophetias sibi contrarias eadem hora protulisset, necesse erat, vt alteram, quæ facienda esset, signi ostensione firmaret?* Porrò totum hoc ad ostentandam suffragiorum potentiam vertebatur, quibus quodam modo victus Deus mortis sententiam iam prolatam reuocauit, & vitam concessit longiorem. Non ne tibi videtur Ezechias iam moriturus, & ad parietem conuersus suffragia pro mortuis offerre, dum pro se ipso deprecatur? Ita est, ergo quid miror si diuinam indignationem temperauit, & reuocata mortis sententia vitam sibi prorogari obtinuit? siquidem tanta est suffragiorum potentia, vt Deus eis resistere non posse videatur: immò quasi suffragia offerentibus blandiri velit, noua concedit beneficia, & editis miraculis illustrat. Latuit hoc Isaiam, vt aduertit S. Gregorius, & propterea Ezechiam pronuntiat moriturum. *Quod non legerat, quod per lachrymas, & orationes esset impetraturus.*

D. Greg. ibi.

Lacrymæ obtinent, quæ nec opera, vel natura tribuunt.

Efficacia orationis Dei sententia quasi mutatur.

Tandem illustrari potest, quod hactenus statuimus Dathan, & Abiron supplicio, de quo sacer Textus dicit. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos, cum tabernaculis suis, & vniuersam substantiam eorum, descenderunque viui in infernum operti humo.* Longè aliter detractoribus accidit, sæuiente namque Dei ira, mortui sunt, & cadauera super terram relicta, nec quo mortis genere perierint enarratur, sicut aduertit ibi Caietanus. *Quod fuerit mortifera diuina ira narratur, sed species mortis non dicitur.* Vnde nam hæc supplicij diuersitas, vt Dathan, & Abiron viui in infernum descenderint, & detractores non ita seuerè puniti fuerint, cum omnes pariter deliquerint? Planè suffragiorum patrocinium detractoribus adfuit, idcirco mitiori pœna culpam soluerint. Dum enim mori inciperent, Aaron arrepto Thuribulo sese in medium eorum proiecit, & incensum offerens pro venia Dominum obsecrauit. *Stans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Mirum sanè est, quam faciliè Aaronis precibus placatus iram deposuerit, & delinquentibus pepercerit: Cæterum hæc est suffragiorum potentia, vt Deum quodammodo vincant, ita vt ipsorum postulata refellere non possit. Hæc nisi fallor sancti Isidori mens fuit, quam verbis sequentibus eleganter expressit. *Aaron Thuribulum accipiens, occurrit quassationi, & stans in medio viuorum, & mortuorum lethalem plagam obiectu suo quasi quidam murus exclusit.* Cum ergo Deus suffragiorum potentiam optime nosset, Dathan, & Abiron terra subito dehiscente submersit, ne fortè Moyses ad suffragia recurrens, pro illis deprecaretur, & Dominus, qui suffragijs resistere nequit, peccantibus illis parceret: ideo ne impuniti manerent, & suffragiorum potestas videretur elusa; supplicium repente accelerauit antequam suffragiorum accederet patrocinium, sicut accedit detractoribus, quibus Aaron veniam suffragij virtute obtinuit.

Num. 16.

Oratio Iusti efficax.

Supplicium aliquando orationem præuenit.

CA-

CAPUT II.

Quod tantum Deo placeat, vt suffragia pro animabus offerantur: vt potentiam suam cum mortuis limitet, quo viuentes illam absque limite prædicent. Et gaudeat suffragiorum interuentu à se de iustitia postulari, quod per omnipotentiam gratis concedere potuisset.



INDUBITATUM est in Theologorum schola, Deum non solum de potentia absoluta, sed etiam ordinaria, culpā condonare, & pœnam ipsi respondentem posse remittere. Non tamen hoc agit: cum certè præstantius videretur suæ clementiæ monumentum, si animas statim ad Paradisum transferret, nec tot acerbissimis flammarum cruciatibus torqueri pateretur. Credo: quia summopere delectatur, vt pro ipsis suffragia à viuentibus offerantur: vt quod gratis conferre poterat postulantibus, quasi de iustitia, largiatur.

Videor mihi rem hanc expressam intueti, dum parabolam discutio, in qua, vt S. Lucas meminit, quidam in latrones incidens, & ab eis vulneratus penè erat moriturus, à sacerdote, & leuita prętereuntibus derelictus, nisi à Samaritano curaretur, qui ad hospitium deduxit, & data hospitatori pecunia, illius curam habere commendauit. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.* Hæc ibi: nunc retexenda est parabolæ significatio. Quisnam iste est Samaritanus? Teste Augustino, Christus. *In isto*, inquit, *Samaritano se voluit intelligi Dominus noster Iesus Christus.* Ergo poterat vulneratum sanare. Ad quid ergo, data pecunia, stabulario remittit, vt curam illius habeat, cum solo verbo, vt alias fecit, sanitatem restituere posset? Vt tamen mysterium percipiatur, videndum est: quisnam sit iste vulneratus, & qui latrones, in quorum manus incidens tot plagas accepit? Hoc nos edocuit S. Ambrosius. *Qui sunt autem*, inquit, *isti latrones, nisi Angeli noctis, atque tenebrarum, in quos non incidisset; nisi eis mandati cælestis deuius se fecisset obnoxium.* At si in vulnerato peccatorem, & in vulneribus peccata recognoscimus: cum solus Christus hæc sanare posset: cur stabulatio remit it, & ad soluendas curationis expensas se obstringit? Vt ille de iustitia postulet quod gratiæ erat beneficium. Hinc est, vt cum illius curam habere commendauerit, non culpam remittere præcepit, iam enim hoc egerat, cum, vt refert S. Lucas. *Misericordia motus est*, & appropians alligauit vulnera eius infundens oleum, quod Sponsa dixerat. *Oleum effusum nomen tuum.* Condonata igitur culpa, quid superest stabulario commendandum? D. Augustinus edisserit in duobus denarijs, duo charitatis præcepta recognoscens; *Duo denarij sunt duo præcepta charitatis, quam per spiritum sanctum acceperunt Apostoli ad Euangelizandum cæteris.* Quod tantumdem valuit, ac si diceret, hunc, quem tibi curandum commendo nouetis à culpa iam esse absolutum: duos accipe denarios, vt curam illius habeas, hoc est, duo charitatis præcepta obseruati memento. Ergo condonata huic misero culpa sola superetat pœna culpæ respondens persoluenda. Ita quidem, vt quid ergo qui culpam remisit, non etiam liberauit à pœna? Sed stabulario commendat, & se debitorem profitetur? Planè, quia quod gratis conferre poterat, de iustitia à se postulari gaudet, atque, vt viuentes suam exaltent potentiam, erga mortuos illam quodammodo stringit, & limitat, & ideo remissa viatori culpa dum vulnera curat pœnam stabulario reseruauit, & se professus est debitorem, quia summo pe-

Luc. 10.

S. Aug. ibi.

S. Amb. ibi.

Vulnera peccata, vulnerati peccatores dici possunt.

Cantic. 10.

Gaudet Deus, ea à se de iustitia postulari, quæ gratis dat.

pere delectatur, vt quod gratis conferre potest, ex iustitia donare videatur. *Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris reddam tibi.*

Ad præsentis instituti confirmationem summopere conducit illa cæremonia, quæ in curanda lepra, Domino præcipiente, obseruatur. Ergo leprosus curata iam lepra ad sacerdotem adducebatur. Is duos passeres indiscriminatim afferre iubebatur, vel, vt notauit Caietanus. *Non passeres in specie, sed auiculæ in genere in Hebræo scribuntur.* Potrò hi duo passeres, si Theodoreto fides est adhibenda, diuinam naturam, & humanam significabant: etenim vnus relinquebatur viuus, qui diuinam, alter occidebatur, qui humanam naturam significabat. *In duobus*, inquit, *passeribus salutaris passionis typus continetur*, sanguis passeris mortui in vase quodã seruabatur, alius autẽ viuus cum ligno tingebatur in sanguine mortui: deinde leprosus eodem sanguine aspersus radebatur, & lotis vestibus tanquam mundus, & a lepra immunis castra ingredi permittebatur. Hæ curandæ lepræ cæremoniæ, in quibus generis humani redemptionem agnouit Isichius. *Hinc enim non de specia li, sed de generali lepra agitur. Vnde simpliciter ait: hic est ritus leprosi, ipse enim omne peccatum curauit.* Hæc est curandæ lepræ cæremonia, vbi sese offert dubitatio, nimirum, Si leprosus iam erat mundatus, ad quid ad sacerdotem remittitur, quasi ab ipso curationem esset accepturus?& si a Sacerdote curandus esset; cur quasi iam liber ad ipsum remittitur? S. Isidorus ideo ad sacerdotem remitti affirmat, vt à lepra culpæ liberaretur. *Est lepra peccati, ait, quæ sacrificiorum emundationibus curatur.* Ergo à sacerdote curari debet. Quare igitur sanus prædicatur? Planum hoc fiet, si duo in peccati lepra considerentur: alterum est culpa, alterum pœna ipsi correspondens. Quando ergo peccator sanitatem à culpa recipit, non immeritò ad sacerdotem remittitur, vt sacrificiorũ, & oblationibus à pœna liberetur, quæ culpæ respondet: quia est lepra peccati, quæ sacrificiorum oblationibus emundatur: optime quidem dispositum. At noua hic insurgit dubitatio: nimirum, qui potuit lepræ culpam remittere, nonne potuit etiam à pœna liberare? Planè potuit. Quare ergo non liberat; & minus potens hac in parte videtur? Et ad sacerdotem remittit, cuius potestas nullis circunscripta limitibus apparet. Ratio est, quia cum huiusmodi pœna sacrificijs, & orationibus curanda est, summoperè delectatur Deus, vt ipsæ pro animabus Purgatorij offerantur, quarum figuram leprosus iste gerebat: & subinde suam potentiam limitat, vt homines maiorem ostentent, & suffragiorum interuentu de iustitia exigant, quod diuina potentia gratis concedere posset. Hinc est, vt leprosus curata lepra ad sacerdotem remittitur; vt ad castra intrare permittatur, sic anima pia post remissam culpam ad sacerdotem, hoc est suffragiorum auxilium remittitur, vt iis mediantibus ad Paradisi castra recipiatur. *Quando mundatus est, adducetur ad sacerdotem; quia est lepra pecca.i, quæ sacrificiorum oblationibus emundatur, purificatusque ingreditur castra.*

Huc trahi non immeritò potest miraculosa cuiusdam leprosi curatio, quem cum Christus extenta manu ab infirmitate mundaret, statim ad sacerdotem remisit, præcipiens, vt quod Moyses in lege præceperat, sacerdoti offeret. *Vade*, inquit, *ostende te sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Remittitur itaque sacerdoti leprosus, non vt sanitatis complementum recipiat, sed vt tanquam sanus approbetur; iam enim Christus, sicut aduertit S. Chrysostomus, curationis opus compleuerat. *Opus quidem ipse compleuit: probationem autem ipsis concessit.* Aliter interpretatur Origenes hanc remissionem: ideo enim affirmat, Christum remisisse leprosum hunc ad sacerdotem, quo suam manifestaret potentiam. *Mittit ad sacerdotes*, inquit, *vt cognoscant, quod non per legis consuetudinem mundatus est, sed per gratiæ operationem.* Cæterum superuacanea videtur talis remissio, aut enim leprosus sacerdotum

Marginal notes: Caiet. in Leu. cap. 14. — Theod. q. 9. in Leuit. — Leuit. 4. — Isi. Leui. 14 — S. Isid. — Duo in peccato culpa, & pœna, & peccator à Sacerdote sanandus. — Idem gratis, & de iustitia exigitur. — Matth. 8. — Chrisost. ibi. — Orig. ibi.

tum approbatione indigebat, ant non. Si indigebat, non perfectè curatus videbatur. Si non, cur remittitur, & Diuina potentia quodammodo limitata apparet, dum ſacerdoti peragendum remittit, quod ipſe facere potuit? At ſi in leproſo peccatorem agnoſcimus figuratum, facilè nodum iſtum ſoluimus. Etenim peccator poſt culpam remiſſam adhuc ſupereſt, vt à pœna liberetur, hæc autem, vt cum S. Iſidoro diximus, ſacrificijs auſertur. *Eſt lepra peccati, quæ ſacrificiorum oblationibus emundatur.* Cum autem Deus ſummopere delectetur, vt ipſi pro animabus ſuffragia offerantur; vt hanc delectationem hominibus manifeſtet, lepro ſum iſtum iam à ſe perfectè curatum, *Opus quidem ipſe compleuit*, ad Sacerdotem remiſit probandum, ſuam quodammodo potentiam limitans, vt occaſionem habeat ſacerdos ſuam potentiam amplius oſtendendi, dũ ſacrificijs, & oblationibus à pœna liberat, quem iam Deus à culpá liberauerat. *Eſt lepra peccati, quæ ſacrificiorum oblationibus emundatur.*

Deus ſuam reſtringit potentiam, vt extendat daam homini ius.

Hoſpitatus olim apud Sareptam Sidoniorum Elias, vbi primum viduæ domum fuit ingreſſus, fœmina de filij moribundi infirmitate conqueritur. *Ad quam Elias; Noli timere.* Cæterum paulo poſt infans mortuus eſt. Tunc vidua pœne mœrore confecta, Prophetam conuenit, dicens. *Quid mihi, & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Hoc audito Elias cum Domino expoſtulauit, eo quod filij morte hoſpitem ſuam affixerat; & quidem non videtur iniuſta vatis querimonia. Ad quid vitam puero abſtulit, ſi paulo poſt ad Eliæ preces erat redditurus? Deinde cur non ſtatim exaudiuit, ſed tandiu expectauit, quoſque Elias ſuper puerum incuruauerit ſe illi commenſurando, ita ſtaturam ſuam comprimens, vt puelli membris corporis ſui molem adæquauerit? Porrò infans ille moribundus, & ſtatim mortuus Purgatorij animam deſignabat. Elias vero ſuſcitationem tanto affectu procurans animæ beneſactorum referebat, repetitæ namque diligentiæ, quas adhibuit interni affectus indices extiterant, quo, vt notauit Lyranus, partem vitæ ſuæ puero daturum ſignificabat, ſi poſſet. *Hoc enim*, inquit, *fecit ex magno affectu ad ſuſcitationem pueri. Per hoc oſtendens, quod vellet ſibi dare partem vitæ ſuæ, ſi poſſet fieri.* Optime igitur diſpoſitum, vt non ſtatim ſuſcitationem pueri potens exaudiretur, quia Deus ita impensè delectatur, cum pro defunctis ſuffragia offeruntur; vt quaſi potentiam ſuam limitans ſuſcitationem differret, vt Elias preces repeteret, & Deo multiplicatis precibus blandiretur. Suam interim apud Deum potentiam oſtentans, pariterque affectum prodens, quo in puerum ferebatur, cum ſi poſſet vitæ ſuæ partem tribuere, voluiſſe hac ratione teſtaretur.

Reg.3.17.

Deus non ſtatim fecit auxilium aliquando.

4.Reg.4.

Elias figura Chriſti.

Differt Deus auxilium, vt orationes multiplicentur.

Porrò modo etiam cadit in rem præſentem illa Abrahami inſtantia, qua Ephron ſollicitabat, vt pecuniam acciperet, quam pro ſepultura Saræ rependebat. *Quæſo*, inquit, *vt audias me, dabo pecuniam pro agro, ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in eo.* Superflua quidem videtur pretij oblatio, quando Ephron gratis obtuliſſet ſepulchrum magis honorificum, quam ipſe pretio comparabat. Sic enim verſat Lyranus verba illa. *In electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum*, id eſt *in melioribus, & honorabilioribus*: & prætetquamquod gratis offerunt ſepeliendi libertatem, & ſecuritatem pollicentur. *Nullusque te prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuum tuum.* Noluit tamen Abraham gratis accipere, nec prius Saram ſepeliuit, quam ſoluto pretio agrum emerit. *Ita ſepeliuit Abraham Saram uxorem ſuam in ſpelunca agri duplici, quæ reſpiciebat Mambre.* Vicit itaque Abrabam ſua inſtantia Ephron, & pretium accipere coegit. Cur non etiam inſtitit Ephron, & ad liberalitatis oſtentationem pretium repudiauit? Myſticum hic nobis documentũ præbuit: Ephron enim ſepulchri dominus Deum ſignificabat. Sepulchrum primo oblatum, & poſtea venditum cœlum eſt, in quo beatorum animæ requieſcunt. Abraham dum Saræ ſepulcbrum ſollicitat

Geneſ.23.

Certandum liberalitate.

ani-

animarum benefactorem repræsentat, qui suffragijs, & orationibus pœnarum, quas sustinent terminum procurat, ita censuit Glossa moralis. *Per Abrahamum*, inquit, *potest intelligi quilibet fidelis amicus defuncti, qui naturali pietate motus plangit mortem amici: & consequenter quærit sepulturæ locum, per quem designatur empyreum cœlum, sicut infernus est sepultura locus malorum*. Quandiu autem sepulchrum non est proprium, locus quietis videtur incertus, & ideo Abraham oblato pretio sepulchri Dominus fieri contendit, & gratis accipere recusat: dum vero Ephron instantia victus pretium accipit, & quasi potentiam limitat, occasionem Abrahamo præbet, vt affectum suum erga defunctum ostentet, & suffragiorum interuentu, quæ quadraginta syclis significantur, de iustitia à Deo postulet, quod ipse gratis concedere posset: & interim dum Abrahã iteratis diligentijs agrum emit, pretium soluit, Saran tumulo condit, Deus impensè delectatur, quia suffragiorum, & orationum, quæ pro defunctis sibi offeruntur, imaginem intuetur. Siquidem, vt nos ea efferamus, suam limitare potentiam minimè dubitat, vt sic nostram ostentandi occasionem nanciscamur.

Deus ipse delectatur, dum mortuis benefi.

Sed iam pro eodem instituto producendus est Elisæus, quando baculum suum tradidit Geisi, vt infantem defunctum eo tangens, ad vitam reuocaret: quod frustra factum est, donec Elisæus occurrens mortui domum intrauit, & incuruando se supra mortuum, vitæ reddidit. *Incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri*. Quærit hic more suo Abulensis: quare ad baculi tactum non surrexit puer, sed postquam Elisæus aduenit: cum tamen, vt ipse sentit, nec Geisi peccatum, nec mulieris infidelitas suscitationem impediuerit? *Dicendum*, inquit, *quod non impedita fuit suscitatio ista propter infidelitatem mulieris, nec propter peccatum aliquod Geisi*. Volebat tamen Deus, vt legis veteris Prophetæ, ac viri sancti per se ipsos miracula ederent. *Quia*, ait idem Auctor, *in opere miraculorum Deus volebat, quod viri sancti veteris testamenti per se ipsos facerent miracula*. Hic iam inquirendum est, cur noluit Deus, vt ad baculi tactum puer ille reuiuisceret, sed Elisæi tactum, & preces expectauit? cum tamen Diuina potentia clarius ostendebatur, si puer baculi tactu resurgeret, quam si ad preces, tactumque Prophetæ reuocaretur ad vitam. Cur illam Elisæi operam, ac diligentiam expectauit, ex qua sua potentia imminui, & obscurari quodammodo videbatur. Pueri namque suscitatio non solo Deo, sed Elisæi precibus attribui poterat. Cæterum tam impensè delectatur, quod vita functis beneficiamus, vt non dubitet suam quodammodo limitare potestatem, quo nobis præbeat occasionem, vt nostram erga mortuos beneficentiam ostendamus, & de iustitia Deum reposcamus, quod ipsius omnipotentia gratis nobis posset elargiri: ideo noluit, vt Elisæi discipulus mortuum baculi tactu suscitaret, sed ipsius Elisæi preces, & operosam sollicitudinem expectauit.

4. Reg. 4.

Abul. ibid. q. 50.

Veteris testam. sancti per seipsos miracula operabantur.

Ascenderant Apostoli nauim, & transfretabant cum exorta subitò tempestas nauiculam submergebat. Ecce tibi Apostoli Christum in puppi dormientem suscitant, auxiliumque implorant. *Tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*. Interim dum nauigantes tranquillitate fruuntur Bethaniam accedamus, & Christum in suscitando Lazaro occupatum contemplemur. Nam ibi primum ad Castellum accessit, sorores interrogauit. *Vbi posuistis eum?* Et statim loco indicato circunstantes admonet, dicens: *Tollite lapidem*. Mirabaris cur locum sibi indicari, & lapidem amoueri postulet, vt Lazarum suscitet, qui filium Reguli absentis vitam restituit. *Vade filius tuus viuit*. Et qui verbo vno tempestatem sedauit absque hominum opera, lapidem tollere poterat. Deinde quo fine tempestatem illam excitauit? Respondet S. Athanasius, vt suæ potestatis ostentationem faceret, & Apostolorum fidem confirmaret. *Non ex se orta est tempestas, sed eius imperio, vt discipuli magis timeant, & rogent, &*

Matth. 8.

Ioan. 11.

Ioan. 4.

S. Ath. l. 4. de tra c. 5.

ro-

rogantibus ostendant potentiam: si ergo ad potentiæ ostensionem tempestates excitat; quare oblata occasione, vt potentiam manifestet ad hominum operas recurrit, & potentiam quasi limitans eorum diligentiam exposcit, & lapidem amoueri imperat? Vnde iam quærit D. Chrisostomus. *Quare non lapide iacente fecit resuscitari, nonne poterat qui corpus mouit mortuum, voce etiam multo magis lapidem mouere?* Planè poterat: sed suam voluit quodammodo potentiam limitare, vt nostram erga mortuos beneficentiam exprimere edoceret. Dum enim Lazarus mortuus, & lapide oppressus Christo obijcitur, anima in Purgatorio detenta repræsentatur, quam mors culpæ afficit, & lapidis pœna culpæ respondens opprimit. Ait ergo, tollite lapidem, ideſt suffragia, & orationes offerte, quamuis enim facile mihi esset pœnam remittere, sicut vno verbo tempestatem sedaui; nolo tamen: quia iucundum mihi est erga mortuos potentiam limitare, vt viuentes illam ostentent: quod suffragiorum interuentu, quæ lapidis amotio repræsentat, homines de iustitia postulent, quod mea potestas gratis concedere potuisset. Fallor nisi rem hanc attigit S. Ambrosius verba illius sunt: *Quamuis poterat tacita vi operationis occulte transferre saxum sepulchri, hominibus iussit, vt mouerent lapidem in typo, quod nobis donaretur, vt leuaremus delictorum onera moles quasdam reorum.*

Potentia sua absoluta non semper vtitur Deus.

S. Ambrosius ibi

CAPVT III.

Qvod excellens adeo opus sit mortuis benefacere, & afflictis opitulari, vt Deus ad hoc ostentandum, homines æmulari videatur, & homines idem facientes Dei similitudinem referant.



IN summitate montis Nebo præcipiente Domino Moyses vitæ suæ terminum conclusit, & in Valle Moab contra Phogor sepultus requiescit. Nemo tamen vsque adhuc sepulturæ eius locum agnouit sicuti in libro Deuteronomij enarratur. *Mortuusque ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino: Et sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem.* Ex quibus verbis apertè colligitur Moysem hominum ministerio non fuisse sepultum, aliter sepulchrum eius cognouissent, qui eiusmodi ministerio interfuerant. Deus ipse Moysem sepeliuit, vt ex ipso textu colligit Caietanus. *Ipse Deus*, inquit, *describitur sepeliens Moysem, non in monte, in quo mortuus est; sed in valle existente in terra Moab*. Proh superi! quis non miretur Deum in sepeliendo homine occupatum, cum hoc officium non ipsi, sed homini competere videatur, vt apud Ezechielem habetur. *Et sepelient eos domus Israel.* Et infra. *sepeliet autem eum omnis populus terræ?* Qui verbo omnia ex nihilo condidit, hominem ad nihilum pene redactum tractat manibus, & in terra abscondit. Ille de quo Psalmographus prædicat, *Tu fabric tus es auroram, & Solem*, cadauer tenebrosum, & mortis horrore formidandum, tangere non dedignatur, sed studiosè sepulcro recondit! Non sine alicuius mysterij sacramento

Deuter. 34.

Deus ipse funera curat.

hoc

hoc egit. D. Auguſtinus cenſuit, propterea noluiſſe Deum, vt homines Moyſis funus curarent, ne faciem illam, quæ olim ex Dei colloquio ſplendore radiauerat, mortis caligine deformem, & obſcuratam nunc intuerentur. *Mortis eius*, inquit, *& ſepulchri nemo conſcius erat, quatenus illam faciem, quæ conſortio ſermonis Domini rutilauerat, mortis mœrore repreſſam nullus videret*. Itaque honori, & exiſtimationi Moyſis ſepeliendo conſuluit: videbatur enim, aliqualiter lædi, ſi ſepelientes aliter, quam antea ſplendoribus corruſcantem cernerent. Eſt autem opus adeo præſtans mortuis benefacere, vt Deus quaſi commodum aliquid inde reporter, opus, quod hominum eſt, ad eorum imitationem exerceat, illos exemplo ſuo excitans, vt ſimilia facientes Deo aſſimilentur. Et ideo ſepulchrum Moyſis occultauit, & nulli hominum ſepulturæ miniſterium committere voluit, ſed ipſe proprijs manibus exercuit, ac ſi in conſeruanda hominis, & ſerui ſui iam vita functi exiſtimatione, & honore commodum aliquod perciperet: Vnde homines fuit imitatus, quatenus ipſi hoc idem facientes Dei ſimilitudinem referant.

Dei ſollicitudo erga illos quos amat.

Proh quam magna eſt ſuffragiorum præſtantia, vt Deus potentiam ſuam, quodammodo abijciat, deprimatque, vt mortuo benefaciat, homines hac in parte imitatus, quos minimè pudet in præſtando mortuis auxilio Deum non æmulari! Si enim humani reſpectus, magnæque neceſſitates hominum affectus ad beneficentiã excitant; quinam reſpectus ſanguine maior, aut quæ neceſſitas vrgentior inueniri poteſt ea, qua animæ in Purgatorio premuntur? Videor mihi vndequaque illud audire lachrymoſi vatis repetentis. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Attendamus igitur ad animarum auxilium, ad quod hinc earum neceſſitas mouet, inde præmium, nimirum Dei ſimiltudo impellit, quod adeo magnum eſt; vt hac ſola ratione opitulari animabus in Purgatorio exiſtentibus debemus.

Clamor animarum Purgatorij. Trenor. 1.

Poſtquam Dauid Sauli pepercit cum dormientem inuenit, vt in Regum hiſtoria narratur. *Venerunt ergo Dauid, & Abiſai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio*, ſeu in itinere, vt ex Hebræo legit Abulenſ. *In Hebræo habetur hic Saul dormientem in itinere*. Tantum hac erga Saulem beneficentia ſuorum animos commouit, vt aſſerat D. Chryſoſtomus non aliter illum reueritos, ac ſi Angelum vidiſſent. *Poſtea Dauid, non vt homini, ſed vt Angelo parebant*. Vnde nam hæc erga ducem ſuum militibus reuerentia? qua de cauſa ſupra hominem nunc exiſtimant, & veluti Angelum reuerentur? Planè ex beneficentia erga mortuum, quam præſtitiſſe animaduertunt. Etenim Dauid Saul quærebat viuum, & dormientem inuenit, & quaſi mortuum reputabat, ideoque tanquam mortuo pepercit. Egregiè in hanc rem D. Chryſoſtomus. *Conſpiciebat illum dormientem, & de morte omnibus communi Philoſophabatur, ſomnus nihil aliud eſt, quam mors temporaria, & vnius diei interitus, ſic hoſtem in poteſtatem ſuam accepit, & Deum erga ſe beneuolentiorem reddidit*. En igitur quare à ſuis, vt Angelus colitur; videlicet hoſtem quærebat viuum vt occideret, mortuum inuenit (tantundem enim erat vidiſſe dormientem) & tamquam mortuo pepercit, & beneficentiam præſtitit, in quo diuinæ æmulator naturæ apparuit, ideo & ſuorum reuerentiam promeruit. *Poſtea Dauid non vt homini, ſed vt Angelo parebant*: Et Dei beneuolentiam fuit conſecutus, ſic hoſtem in poteſtatem ſuam accepit, & Deum erga ſe beneuolentiorem reddidit, cuius in benefaciendo mortuis æmulatorem ſe præſtitit, quaſi Deo talionem reddens, qui vt mortuis benefaciat homines æmulatur.

Clementia erga inimicos remunerata.

Et verò non ſola Dei æmulatio beneficentiam erga mortuos nobilitat, ſed opus ipſum benefaciendi adeo clarum eſt, vt cum præſtantioribus Dei operibus exæquari videatur. Sacram Euchariſtiam Chriſtus inſtituit, & operis huiuſmodi, tanquam præcipui, memoriam ſemper retinendam commendauit. *Hoc facite in meam commemo-* Luc. 22.

morationem. Aurea conuiuenti in Bethania Christo accurrit Magdalena, & effuso vnguento pedes illius vnxit: ecce tibi repletur fragrantia domus, & circunstantes obmurmurant, & mulierem, vt nimis prodigam carpunt: quam tamen Christus defendit, & opus illud vnctionis in hominum memoria perennaturum affirmat. *Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc, in vniuerso mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Sed iam videamus, quid commune habet quod fœmina hæc Christum vnxerit, & ille se manducandum in sacramento præstiterit, vt asserat, vbicumque fuerit Sacramenti memoria, ibi vnctionis quoque memoriam fore perennem? An vnctio, & sacramenti institutio paria sunt; vt propterea æqua vtrique celebritas contingere debeat? minimè: vt quid ergo propter illam vult Magdalenam fieri famosam? Sic enim D. Chrisostomus Christi verba interpretatur. *Ecce autem quod dixit factum est, & vbicunque terrarum abieris, videbis hanc mulierem famosam effectam, quod virtus prædicentis effecit.* Ergo dispar est Christi, & Magdalenæ opus, Christi namque amoris extitit opus, Magdalenæ verò sepulturam respexit. *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* In dispari tamen opere par celebritatis præmium reperitur; Quia tanti facit Deus, mortuis benefacere, vt non solum homines hac in parte imitati non dedignetur, verum etiam præstantissimum suæ potentiæ opus cum beneficentia erga mortuos exagerat, & æquali præmio afficit. Vnde pari passu sacramenti memoriam, & Magdalenæ vnctionem censendam spondet. *Simul*, ait Claudius, *& huius mulieris memoria, pietasque celebrabitur.* Hæc est mortuis benefaciendi virtus, quam tanti fecit Christus; vt præclara ipsius opera taceri velit, dummodo hæc, etiam antequam fiant, prædicatione exornentur. Aduertit egregie D.Thomas. Verbi incarnationem omnium erga homines misericordiarum Dei principium extitisse, atque adeò velut basim, ac mirabilium omnium fundamentum prædicari debuisse, & in hominum memoria perennare. Cæterum Deus illam e memoria abstulit, cum tamen Magdalenæ vnctionem nemo fuerit oblitus. *Item*, inquit, *notate quod multi voluerunt diuulgari natiuitatem suam per vniuersum mundum, & deleta est memoria eorum, factum autem huius non est deletum*. Quare igitur non vult, vt sua natiuitas prædicetur, siquidem e memoria abradit, & fœminæ vnctionem in ea permanere statuit? Non quia opus hoc excellentius fuerit, ita ordinauit. Etenim, vt quærit D.Thomas. *Et quid fecit? Mittens autem hoc vnguentum in corpus meum ad sepeliendum me fecit? sed quid est? Nunquid intendit sepelire Christum? Non.* Quid ergo excellentiæ haberet ista vnctio, vt cum tacetur natiuitas, illa prædicatur? Dicam, opus vnctionis erga mortuum exercetur, & ei beneficium præstatur, quod apud Deum tanti fit, vt non solum magnificis operibus suis quodammodo exequet, sed etiam determinet, vt vbi sua ignoratur natiuitas, ibi vnctio prædicetur. *Multi voluerunt diuulgari natiuitatem suam per vniuersum mundum, & deleta est memoria eorum, factum tamen huiusmodi non est deletum*, sed famam, ac celebritatem apud omnes fuit consecutum. *Vbicumque terrarum abieris, videbis hanc mulierem famosam effectam.*

Ioseph etiam in carcere constitutus, vt Genesis libro refertur, hanc suffragiorum virtutem illustrabit, ergo iubente Putifar ob mulieris querelam innocens in carcerem detruditur, quo in loco Deus ipsi opitulatus est. *Fuit autem Dominus cum Ioseph.* Ita quod in illius societatem in ipso carcere se dedit, vt diuina refert Sapientia. *Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum*. Certè vt Deus amico suo opem ferret, in carcerem descendere non indigebat, sed e quolibet loco auxilium ei præstare poterat. Ad quid ergo in carcerem venit? Planè, vt vltra auxilium præstandum, ostendat quanti faciat mortuis beneficentiam exhibere. Porrò cum in calamitatem quispiam incidit, in quo eius amici amoris erga illum magnitudinem

Matth.26.

Cura sepulturæ non delenda ex hominum memoria.

S. Chrys. ibi

Aliorũ bona Deus, potius quam sua patefacit.

Deus præsto est suis in afflictionibus.

Genes. 37

Sap. 10.

ostentant, nisi dum præsentes assistunt mœrentem solantur, & auxilium pollicentur. Ioseph in vinculis constitutus, & viuens adhuc quasi sepultus Purgatorij animas repræsentat, vt ergo Deus ostendat, quanti faciat, mortuis benefacere, hominum mores imitatus in carcerem venit, & Ioseph in eo constitutum solatur. *Fuit autem Dominus cum Ioseph*, ait Lyra. *Hic subditur diuina consolatio erga Ioseph: ne nimia tristitia absorberetur, & primò describitur eius consolatio in pœna mitigatione: secundò in mentis ipsius illuminatione*. Hinc sanè colligitur homines suffragijs animabus purgatorij auxiliantes Dei similitudinem referre: quandoquidem Deus vt mortuis benefaciat, hominum consuetudinem imitatur.

Ioseph in vinculis quasi sepultus.

Lyra in Gen. 39.

Claudo Ruperti sententia, quasi veluti gemma nobilissima discursum obsigno. Miratur Rupertus loquendi formulam, qua vsus Nabuchodonosor, tribus pueris in fornacem coniectis, quartum cum illis ambulantem se vidisse testatur. *Ecce ego video quatuor viros solutos, cum tamen tres miserim, & ligatos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio est*.

Dan. 3.

Nec flammę Dei auxilia prohibent.

Porrò, ait Rupertus, vt puerum illum similem Dei filio affirmaret; oportuit, vt primo filium Dei aspexisset. At vbi nam illum fuit intuitus? certè nullibi. *Quid dignè sufficit admirari? vbi nam viderat Rex ille filium Dei, vt in medio ignis similitudinem eius agnosceret?* Hæc Rupertus. Et verò quamquam Nabuchodonosor Dei filium non viderat; tamen in signis, quæ à prophetis audierat, hoc coniecit, & fortè signum ei fuit, quod præ amoris magnitudine nasci, & mori voluit, vt homines redimeret: deinde ad Limbum, seu Abrahæ sinum descendit, & animas sanctorum Patrum inde extraxit, quæ omnia in fornace, & ambulantibus in ea pueris Regi obijciebantur. Certè D. Hieronymus ita censuit, dicens. *Iste Angelus siue Dei filius, Christus est, qui ad inferni fornacem descendit, in quo sanctorum animæ tenebantur, nec vrebantur, vt ab inferis liberaret*. Nunc ergo, si Dei filij signum extitit, quod in Limbum descensurus esset, vt animas ibi detentas liberaret: videns Nabuchodonosor tres pueros in medijs flammis ambulantes, & in prunis ardentibus tanquam rosis ludentes, & quartum virum contemplatus, agnouit liberationis beneficium ab illo prouenisse. Et ideo Dei filio similem prædicauit. Quod si locus iste quamdam Purgatorij imaginem refert, videndum quid egerit ille quartus, quem Rex Dei filio similem appellauit? *Fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis*. Quid aliud agit Christianus pro animabus Purgatorij suffragia offerendo, quam pœnis leuamen afferre, & flammarum ardorem mitigare, quousque protsus quasi extinguat, dum multiplicatis suffragijs animas liberat. Cum igitur Deus in fornace hominis pro animabus Purgatorij suffragia offerentis personam repræsentet; nibil mirum, si dixerim, opus hoc adeò præstans esse, vt Deus, quod illud exerceat, homines æmuletur, & subinde quando homines illud idem præstant, Dei imaginem referre. *Species autem quarti similitudo filiorum Dei; sic enim cum Symmaco legit D. Hieronymus*. Quod quam præclarum sit, satis liquet: & hac sola ratione ad benefaciendum Purgatorij animabus impelli debuisset Christianus. Quod enim maius præmium, quam propter hoc diuinam obtinere similitudinem. *Hæc enim fœlix diuinæ bonitatis imitatio est*, ait Petrus Damianus, *dum quis alijs non minus, quam sibi gratiam exposcit*. Ergo quisquis felicitatem hanc æmulatur, omni cura, & studio ad impendenda pro animabus suffragia intendat, maximè cum viderit, Deum, vt mortuis benefaciat, homines imitari: planè, vt illi ijsdem benefaciendo, Deum imitentur, eique similes euadant. *Species autem quarti similitudo filiorum Dei*.

Rupertus l. 6 de verit. Dei cap. 21.

S. Hieron. ibi

Orans pro animab. Purgatorij extinguit igneam.

Motiuum ad benefaciendū mortuis.

Petrus Dam. serm. pro defunctibus.

CAPVT IV.

Quod dum pro animabus Purgatorij suffragia quispiam offert, perinde est ac si ab illa captiuitate redimat: & dum illæ pœnarum finem consequuntur, qui obtulit, Vice-dei titulum acquirit.

PRÆCEPIT olim Deus filijs Israel, vt terram, quam sorte obtinuerant, nequaquam perpetua venditione distraherent: & si forrè necessitate compulsi venderent, conditionem adijcerent, vt redimi posset. *Terra quoque non vendatur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei estis. Vnde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*. Leuit. 25. quo loco, vt notauit Caietanus, duæ leges continentur altera de non vendenda terra, altera de adijcienda redemptionis conditione, si vendi contingeret. *Duæ itaque leges statuuntur circa venditionem terrarum. Altera est terra non vendetur ad incisionem, hoc est, simpliciter, & absolutè. Altera lex est; & cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*. Quod si mireris, cur simul terram vendere prohibuit, & venditioni conditionem redemptionis adiecerit: audi Caietanum. *Ratio*, inquit, *huius legis subiungitur, quia terra est mea, quia directum dominium terræ non est vestrum*. Et verò, deficiente dominio, celebrari venditio minimè poterat, quæ dominium rei vendendæ necessario supponit. Hinc etiam est, vt conditionem redemptionis adijcere præceperit, quia cum dominium non fuerit absolutè translatum, restituto pretio, vendita res repeti poterat. Quæres tamen: quare redimendi verbo vsus est? certè quia redimere est satisfacere pretium, pro quo res erat quodammodo captiua, & alteri obligata: vnde hæreditas rei, quæ vendita velut captiua tenebatur, vbi primũ restituto pretio ad Dominum priorem redit, liberari, & redimi iure optimo dicitur. Porrò hæc hæreditas animam in Purgatorio detentam significat, quæ cum Deo grata sit, in eo pœnarum loco perperuò vendita non censetur. Est enim Dei hæreditas, in quam Dominium obtinet, & solum ad tempus satisfactioni necessarium in Purgatorio detinetur. Vnde qui pro qualibet anima satisfacit redimere videtur. *Cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*. Non aliter accidit animæ, quæ ad tempus, & sub conditione satisfactionis, flammis addicitur, & quasi captiua in loco pœnarum detinetur: quam dum oblatis suffragijs inde quis eripit, quid aliud agit quam redimere?

Dominus omniũ Deus, homines tẽ: ræ coloni.

Leuit. 25.

Caietanus vbi supra.

Satisfaciens pro anima, est eius redẽptor.

Propositа figura non parum illustrabitur illa Iob interrogatione in cap. 39. vbi sic: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum*. Quo loco, vt censuit Diuus Thomas, de mutatione plumarum sermo est, quando accipiter nouis succrescentibus plumis veteres abijcit, & renouatur. *Scilicet*, inquit, *pennæ eius renouantur expandens alas suas ad Austrum, vt scilicet facilius pennas mutet*. Idem tenet Olympiodorus, dicens. *Per singulos enim annos accipiter pennam veterem noua nascente proijcit*. Itaque accipiter, vbi primum veteribus plumis grauari se sentit, flante austro volatum explicat, vt eius calore soluta cutis pennas facile demittat, & aliæ subnascantur: sic exponit locum præsentem Lyranus. *Hic*, inquit, *ponitur exemplum de accipitre, qui flante austro, qui est ventus calidus, extendit alas suas contra calorem Solis, vt sic aperiantur pori, & veteres pennæ, & plumæ decidant, & nouæ supernascantur, cum quibus agilius volet*. Hic nisi fallor, propositi instituti imago cernitur, sunt enim Purgatorij animæ, velut aues, quæ sublimi veluti efferuntur, vtpote quas culpæ pondus non deprimit, & solis pœnarum

Iob 39.

S. Tho. ibi.

Olimpio. ibi.

oſtentant, niſi dum præſentes aſſiſtunt mœrentem ſolantur, & auxilium pol- licentur. Ioſeph in vinculis conſtitutus, & viuens adhuc quaſi ſepultus Purgatorij animas repræſentat, vt ergo Deus oſtendat, quanti faciat, mortuis benefacere, hominum mores imitatus in carcerem venit, & Ioſeph in eo conſtitutum ſolatur. *Fuit autem Dominus cum Ioſeph*, ait Lyra. *Hic ſubditur diuina conſolatio erga Ioſeph: ne nimia triſtitia abſorberetur, & primò deſcribitur eius conſolatio in pœna mitigatione; ſecundò in mentis ipſius illuminatione*. Hinc ſanè colligitur homines ſuffragijs animabus purgatorij auxiliantes Dei ſimilitudinem referre; quandoquidem Deus vt mortuis benefaciat, hominum conſuetudinem imitatur.

Ioſeph in vinculis quaſi ſepultus.

Lyra in Gen. 39.

Claudo Ruperti ſententia, quaſi veluti gemma nobiliſſima diſcurſum obſigno. Miratur Rupertus loquendi formulam, qua vſus Nabuchodonoſor, tribus pueris in fornacem coniectis, quartum cum illis ambulantem ſe vidiſſe teſtatur. *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, cum tamen tres miſerim ligatos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio eſt*.

Dan. 3.

Nec flammæ Dei auxilio prohibent.

Porrò, ait Rupertus, vt puerum illum ſimilem Dei filio affirmaret; oportuit, vt primo filium Dei aſpexiſſet. At vbi nam illum fuit intuitus? certè nullibi. *Quid dignè ſufficit admirari? vbi nam viderit Rex ille filium Dei, vt in medio ignis ſimilitudinem eius agnoſceret?* Hæc Rupertus. Et verò quamquam Nabuchodonoſor Dei filium non viderat; tamen in ſignis, quæ à prophetis audierat, hoc coniecit, & fortè ſignum ei fuit, quod præ amoris magnitudine naſci, & mori voluit, vt homines redimeret: deinde ad Limbum, ſeu Abrahæ ſinum deſcendit, & animas ſanctorum Patrum inde extraxit, quæ omnia in fornace, & ambulantibus in ea pueris Regi obijciebantur. Certè D. Hieronymus ita cenſuit, dicens. *Iſte Angelus ſiue Dei filius, Chriſtus eſt, qui ad inferni fornacem deſcendit, in quo ſanctorum animæ tenebantur, nec vrebantur, vt ab inferis liberaret*. Nunc ergo, ſi Dei filij ſignum extitit, quod in Limbum deſcenſurus eſſet, vt animas ibi detentas liberaret: videns Nabuchodonoſor tres pueros in medijs flammis ambulantes, & in prunis ardentibus tanquam roſis ludentes, & quartum virum contemplatus, agnouit liberationis beneficium ab illo prouenire. Et ideo Dei filio ſimilem prædicauit. Quod ſi locus iſte quamdam Purgatorij imaginem refert, videndum quid egerit ille quartus, quem Rex Dei filio ſimilem appellauit? *Fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis*. Quid aliud agit Chriſtianus pro animabus Purgatorij ſuffragia offerendo, quam pœnis leuamen afferre, & flammarum ardorem mitigare, quouſque prorſus quaſi extinguat, dum multiplicatis ſuffragijs animas liberat. Cum igitur Deus in fornace hominis pro animabus Purgatorij ſuffragia offerentis perſonam repræſentet; nihil mirum, ſi dixerim, opus hoc adeò præſtans eſſe, vt Deus, quod illud exercear, homines æmuletur, & ſubinde quando homines illud idem præſtant, Dei imaginem referre. *Species autem quarti ſimilitudo filiorum Dei; ſic enim cum Symmaco legit D. Hieronymus*. Quod quam præclarum ſit, ſatis liquet: & hac ſola ratione ad benefaciendum Purgatorij animabus impelli debuiſſet Chriſtianus. Quod enim maius præmium, quam propter hoc diuinam obtinere ſimilitudinem. *Hæc enim fœlix diuinæ bonitatis imitatio eſt*, ait Petrus Damianus, *dum quis alijs non minus, quam ſibi gratiam expoſcit*. Ergo quiſquis felicitatem hanc æmulatur, omni cura, & ſtudio ad impendenda pro animabus ſuffragia intendat, maximè cum viderit, Deum, vt mortuis benefaciat, homines imitari: planè, vt illi iiſdem benefaciendo, Deum imitentur, eique ſimiles euadant. *Species autem quarti ſimilitudo filiorum Dei*.

Rupertus l. 6. de verb. Dei sup. 21.

S. Hieron. ibi

Orans pro animab. Purgatorij extinguit ignem.

Motiuum ad benefaciendũ mortuis.

Petrus Dam. ſerm. pro defunctibus.

CAPVT IV.

Quod dum pro animabus Purgatorij ſuffragia quiſpiam offert, perinde eſt ac ſi ab illa captiuitate redimat: & dum illæ pœnarum finem conſequuntur, qui obtulit, Vice-dei titulum acquirit.

PRÆCEPIT olim Deus filijs Iſrael, vt terram, quam ſorte obtinuerant, nequaquam perpetua venditione distraherent: & ſi fortè neceſſitate compulſi venderent, conditionem adijcerent, vt redimi poſſet. *Terra quoque non vendatur in perpetuum, quia mea eſt, & vos aduenæ, & coloni mei eſtis. Vnde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur.* Leuit. 25. quo loco, vt notauit Caietanus, duæ leges continentur altera de non vendenda terra, altera de adijcienda redemptionis conditione, ſi vendi contingeret. *Duæ itaque leges ſtatuuntur circa venditionem terrarum. Altera eſt terra non vendetur ad inciſionem, hoc eſt, ſimpliciter, & abſolutè. Altera lex eſt; & cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur.* Quod ſi mireris, cur ſimul terram vendere prohibuit, & venditioni conditionem redemptionis adiecerit: audi Caietanum. *Ratio*, inquit, *huius legis ſubiungitur, quia terra eſt mea, quia directum dominium terræ non eſt veſtrum.* Et verò, deficiente dominio, celebrari venditio minimè poterat, quæ dominium rei vendendæ neceſſario ſupponit. Hinc etiam eſt, vt conditionem redemptionis adijcere præceperit, quia cum dominium non fuerit abſolutè tranſlatum, reſtituto pretio, vendita res repeti poterat. Quæres tamen: quare redimendi verbo vſus eſt? certè quia redimere eſt ſatisfacere pretium, pro quo res erat quodammodo captiua, & alteri obligata: vnde hæreditas rei, quæ vendita velut captiua tenebatur, vbi primũ reſtituto pretio ad Dominum priorem redit, liberari, & redimi iure optimo dicitur. Portò hæc hæreditas animam in Purgatorio detentam ſignificat, quæ cum Deo grata ſit, in eo pœnarum loco perpetuò vendita non cenſetur. Eſt enim Dei hæreditas, in quam Dominium obtinet, & ſolum ad tempus ſatisfactioni neceſſarium in Purgatorio detinetur. Vnde qui pro qualibet anima ſatisfacit redimere videtur. *Cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur.* Non aliter accidit animæ, quæ ad tempus, & ſub conditione ſatisfactionis, flammis addicitur, & quaſi captiua in loco pœnarum detinetur, quam dum oblatis ſuffragijs inde quis eripit, quid aliud agit quam redimere?

Dominus meus Deus, homines tenquam aduenæ & coloni.

Leuit. 25.

Caietanus ibi ſupra.

Satisfaciens pro anima, eſt eius redemptor.

Propoſita figura non parum illuſtrabitur illa Iob interrogatione in cap. 39. vbi ſic: *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter expandens alas ſuas ad auſtrum.* Quo loco, vt cenſuit Diuus Thomas, de mutatione plumarum ſermo eſt, quando accipiter nouis ſuccreſcentibus plumis veteres abijcit, & renouatur. *Scilicet*, inquit, *pennæ eius renouantur expandens alas ſuas ad Auſtrum, vt ſcilicet facilius pennas mutet.* Idem tenet Olympiodorus, dicens. *Per ſingulos enim annos accipiter pennam veterem noua naſcente proijcit.* Itaque accipiter, vbi primum veteribus plumis grauari ſe ſentit, flante auſtro volatum explicat, vt eius calore ſoluta cutis pennas facilè demittat, & aliæ ſubnaſcantur: ſic exponit locum præſentem Lyranus. *Hic*, inquit, *ponitur exemplum de accipitre, qui flante auſtro, qui eſt ventus calidus, extendit alas ſuas contra calorem Solis, vt ſic aperiantur pori, & veteres pennæ, & plumæ decidant, & nouæ ſupernaſcantur, cum quibus agilius volet.* Hic niſi fallor, propoſiti inſtituti imago cernitur, ſunt enim Purgatorij animæ, velut aues, quæ ſublimi veluti effectantur, vtpote quas culpæ pondus non deprimit, & ſolis pœnarum

Iob 39.

S. Thom. ibi.

Olimpio. ibi.

cruciatibus retardantur. At vbi primum, expleto satisfactionis tempore, purgatæ erunt, in Empireum libertime volabunt: vel quando ad austrum expositæ, hoc est impellente charitatis calore suffragijs adiuuantur, quorum auxilio à Purgatorio liberatæ, redemptionem accipient, & ad Paradisi culmina euolabunt. Quod cum suffragiorum interuentu fieri soleat, cum Iob interrogantem audiamus, an accipiter ad austrum expansus ipsius calore replumescit? hoc est, an Purgatorij animæ suffragiorum remedio liberentur, & quasi redemptæ in Cœlum euolent? Verè respondendum est, hanc esse suffragiorum virtutem, quæ cum pro animabus Purgatorij offeruntur, tunc redimi censentur. *Cum veteres pennæ, & plumæ decidant, & noua supernascantur, cum quibus agilius volent.*

Hic etiam trahi potest illud Dauidicum ex Psalm. 48. vbi de illis loquitur, qui vitam æternam consequi nituntur. *Et pretium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Quid commune habet, bona opera edere, vt quis vitam æternam consequatur, cum solutione pretij pro redemptione? Vel enim homo in gratia Dei e vita decidit, vel non: si absque gratia moritur, damnationem incurrit, & redemptione caret: quod si Deo grata excessit, gloriæ possessionem securam habet. De qua ergo redemptione hic agit? Respondet Caietanus in rem præsentem, quid est hominem animam pretio redimere, nisi vitam post mortem redimere? *Verum tamen redimere animam*, inquit, *nihil aliud est, quam emere vitam post mortem*. Igitur hac ratione vita æterna obtinetur, quod videtur difficile. Nam si de mortuis in gratia loquitur (quoniam de alijs, qui in peccato obierunt, illis nulla subest vitæ æternæ expectatio, non videtur loqui potuisse) cum gloria gratiæ respondeat iuxta illud. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* quomodo indigent redemptionis pretio, vt gloriam consequantur? Quod si gloriam iam omnino certam habent, qui fieri potest, vt extra vitam in gratia sit aliquis, & redemptione indigeat, qua vitam gloriæ coemat? Totum hoc planum fit si Purgatorij animæ spectentur, quas si in gratia confirmatas cernis, non tamen gloria perfrui possunt, quousque pœnas soluant, & maculas à peccato relictas abstergant. Quod vt celerrimè fiat, suffragijs fieri debet, qui ergo suffragia offert, solutionem præstat, qua anima à pœnis redimitur, ergo qui suffragia offert, animas redimit, vnde qui solutionem hanc præstat, redemptor animarum dici debet. *Verumtamen redimere animam nihil aliud est, quam emere vitam post mortem.*

Pergo vlterius, & nomen redemptionis in toto significationis suæ rigore accipio. Igitur redemptio apud Zachariam, siue vt censuit Caietanus de Messia, siue de Ioanne locutus ad illa verba. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Quomodo autem huiusmodi redemptio facta fuerit in versiculo 12. huius Cantici manifestat, dicens. *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Et vero, reste Caietano, de redemptione generis humani à Christo facta sermo est. *Modo enim visitauit faciendo redemptionem mysterio incarnationis.* Quomodo autem id factum fuerit; declaratur à Beda conformiter ad citatum versiculum, ita loquente. *In longa peccatorum, & ignorantia cæcitate depressi, quia exclusis errorum tenebris, attulit veram cognitionis suæ lucem, & certum iter patriæ cælestis aperuit.* Assentitur Lyranus eadem verba de Christi ad Limbum descensu exponens. *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, idest Patribus in Limbo existentibus, quos Christus illuminauit, quando post passionem suam ad illos descendit.* Itaque siue hominibus à Christo redemptis via ad cælum facilis reddita fuerit, vt censuit Beda, siue quod exposuit Lyranus, Sanctis Patribus in Limbo constitutis liberatio acciderit; huiusmodi opus redemptionem appellat. *Redemptionem plebis suæ*, sic ergo à pœnis eruere, & cœli viam faci-

Margin notes: Psal. 48. — Anima in Purgatorio secura est de gloria. — Caiet. ibi. — Psal. 83. — Luc. 1. — Caiet. ibi. — Ab incarnatione cœpit redemptio hominum. — Beda ibi. — Lyran. ibi.

lem

lem reddere vocat redemptionem. Quid mirum, si dicam tantumdem valere pro animabus Purgatorij suffragia offerre, eorumque interuentu illas a pœnis liberare, ac si quisquam redimeret, vt suffragiorum oblationem redemptionis titulis exornem, quoniam verè redimit, qui orationum pretio à pœnis eximit, *Quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*.

Facit in hanc rem illa nominis mutatio, quam Pharao fecisse describitur postquam Ioseph somnia interpretatus fuerat. *Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca, Saluatorem mundi*. Hæc verba paulò aliter legit Lyranus. Loco, ait, huius litteræ in Hæbreo sic dicitur. Et vocauit Pharao nomen Ioseph Zaphnath pahancah, quod in Hebraica lingua significat occultum reuelans, vt probare videtur Caietano, à quo Ioseph dicitur. *Absconditorum reuelator*. Porrò quid commune habet somnij, seu occulti reuelatio cum Redemptoris nomine, vt is qui somnium aperuit, vel reuelauit occultum, Mundi Saluator appellari debuerit? Permultum equidem. Nam somnij reuelatione triticum præuenit, quo famem vẽturam, & sterilitatem redimeret, qua Deus Ægyptum percutere decreuerat: & qui à pęnis liberat, Saluator dicitur, seu Redemptor. Iure ergo, qui occultum reuelauit, & occultorum proinde reuelator dicitur; quia reuelatione frumentum præuenit, & Ægyptios à famis tormento liberauit, Saluator est nuncupatus. *Et vocauit nomen eius Saluatorem mundi*, Quod misticè versatum, perinde est, ac si dicamus. Ægyptus Purgatorium significat, in quo animæ flammis torquentur: Ioseph, dum tritico præuento famis calamitatem euertit, illas significat qui frumento Eucharistico, quod potissimum est omnium suffragiorum, quæ pro animabus offeruntur, illas à tormẽtis eripiunt. Vnde sicut Ioseph propter illud opus Saluator dictus est. *Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca Saluatorem mundi*. Sic etiam, qui oblatis suffragijs animas e tormentis liberant, Redemptores dici iure optimo possunt: quia perinde est illas à tormentis eximere, & redimere, & liberator dicendus est Redemptor.

Gen. 41.

Lyr ibi.

Caiet. ibi.

Saluator idẽ & somniorum interpretator.

Aegyptus Purgatorij simbolum.

Eucharistia potissimum animæ de pęnis Purg. liberantur.

Sed iam ad secundam propositi instituti partem transeundum est, videlicet. Qui pro animabus suffragia offert, quando illæ pœnarum finem obtinẽt, oblator Vice-dei titulo adornatur. Ioseph, de quo hactenus Eunuchis locutus rem hanc ill ustrabit. Igitur rogatus, vt somnia interpretaretur, respondit, *Dixitque ad eos Ioseph: Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi, quid videritis*: Hæc ille, in quibus duo expendit Caietanus. Primum, quod somniorum interpretationem ad Deum solummodo pertinere statuat. *Diuino*, inquit, *dono attribuit interpretationem*, *nominando Deum, Eloim*: secundum, quod somnia sibi reuelari postulat. *Referte mihi, quid videritis*? Si hoc ad Deum pertinere dicit, cur sibi manifestari postulat, tanquam interpretandi potestatẽ habens? Fors somnia interpretatum locum Dei obtinebat? Ita quidem. Etenim dum communem interpretationem ignorabant, quamdiu scierunt à magnis turbationibus quatiebantur, postquam vero somnia agnouerunt, quasi à pœna liberi respirasse videntur. Quid ergo egit Ioseph? miseros ab angustia redemit: qui autem redimit, quo melius nomine, quam Saluatoris appellabitur? Et cum pœnis finem imponit, Vice-dei nomen obtinet, *Diuino dono attribuit interpretationem, nominando Deum, Eloim*. Iure igitur statuimus, eum, qui suffragia offerendo animabus purgatorij benefacit, Vice-dei titulum sibi vendicare, quando ad pœnarum finem perueniunt.

Gen. 40.

Caiet. ibi.

Somnia interpretari Dei solius.

Truncato Holophernis capite Bethuliam repetebat Iudith. Ecce tibi vrbis portæ appropinquans, in has voces erupit. *Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus*. Ita illa. At ego scisciter, quisnam Holophernem occidit? Factum sibi attribuit Iudith, dicens, *Interfecit in manu mea hostem*. Cur igitur Deum prædicat auctorem? Hoc ideo fecit, respondet S. Augustinus, vt auditores ad diuinas laudes prouocaret. *Ad cælestia*, inquit, *dogmata ser-*

Iudith 13.

Bona nostri facti ad Deũ referenda.

S. Aug. serm. 22.

sermonem conuertens, & ad laudandum Deum pro beneficijs suis auditores attollens, ait, interfecit in manu mea hostem. Itaque vnum & idem opus, & Deo, & sibi attribuit, fœmina se ipsam, & Deum mortis auctorem deprædicans: nec mirum est, vt hoc faciat. Nam mortuo Holopherne Iudith vrbem ab obsidione liberauit, & qui ab hoste premebantur, respirare cœperunt, & obsessorum angustia cessauit. Perbellè igitur dispositum, vt Iudith tanquam Dei vice cōsecuta, Deum ipsum, fœminæ manu tanquā instrumēto vsum, hostē occidisse fateatur. *Et interfecit in manu mea hostem.* eoque interfecto, Bethuliam ab obsidionis angustijs redemit, & quasi Redemptrix effecta Dei nomen vendicare poterat, & ideo Vrbē ingressura ciuibus dicebat: *Nobiscū Deus*, quasi ipsamet Iudith Holophernē occidēs, Dei nomen, & officium fuerit consecuta: Propterea q. Conciues suos ad Dei laudes prouocans, & seipsam, & Deum illius facinoris auctorem proclamat. *Ad cælestia dogmata sermonem conuertens, & ad laudandum Deum pro beneficijs suis auditores attollens, ait: Interfecit in manu mea hostem.*

Porrò ad præsens institutum, Bethulia ab inimicis obsessa Purgatorium designat, in quo animæ pœnis afflictæ detinentur; Iudith vero benefactorem animarum repræsentat, qui non immeritò Redemptor dicitur iuxta illud Ecclesiasticum. *Clamantes, & dicentes: Aduenisti redemptor noster.* Et meritò Redemptorem vocant, quia qui animas oblatis suffragijs à pœnis liberat, officium Redemptoris exercet. Et deinde cum tormenta illa ad finem perueniunt Vice-dei nomen adipiscitur: vnde animæ è Purgatorio liberæ liberatorem suum Deum appellant, dicentes, vt commentatur Glossa Interlinealis. *Aperuisti suffragijs vestris portas cæli, quoniam nobiscum est Deus.* Hæc est suffragiorum virtus, hæc potestas: vt qui illa offerendo animas liberat, earum Redemptor dici non immeritò debeat. Deinde cum pœnæ quas sustinent, ad finem perueniūt, Benefactor Vice-dei nomine potitur.

CAPVT V.

Quod Vice-dei nomen, quo animarum benefactor insignitur, adeò proprium est: vt cum talis dicitur, non ex gratia, sed ex iustitia hoc fieri videatur.



ORDIAMVR à Moysis legatione, quem Deus ad Pharaonem mittens barbari illius Deum constituit, dicēs. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Longè aliter se gessit cum Natham misit ad Dauid, vt eum redargueret. *Misit Dominus Nathan ad Dauid.* Et antea. *Vade, & loquere ad seruum meum Dauid.* Quare non vterque legatus iste à Deo missus Dei nomine insignitur, sed solus Moyses, quem Deum Pharaonis statuit, legato suo communicans attributum, quod est incommunicabile? Respondet optimè Lyranus Deum non communicasse Moysi diuinitatem, sed quamdam similitudinem, qua veluti Deus, seu Vice-deus Pharaonis haberetur. *Et ideo non dicit Deum absolutè, sed Pharaonis; quia Deitas non est communicabilis creaturæ: tamen aliqua similitudo, & participatio ipsius boni communicatur ei.* Cur autem hanc communicationem, & Vice-dei titulum Nathan non impertiuit, sicut Moysi impertiuerat? Rationem colligit D. Hilarius ex legationis diuersitate. Nam cum alia esset Moysis, alia Nathan legatio diuersis par erat titulis, ac nominibus insigniri. Moyses enim Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum vrit, dum medetur. Et propterea tali titulo adornatur, quia de populi captiui, & afflictionibus valde oppressi libertate acturus mittitur. At verò populus in Aegypto captiuus animas in Purgatorio detentas significat, sicut ergo Moyses populum libe-

ra-

raturus, Pharaonis Deus nuncupatur, & quasi Vice-deus constituitur. Non aliter, qui suffragia offerendo, animas e Purgatorio extrahit Vice-dei titulo gaudet sicut Moyses, cui Dominus Dei Pharaonis nomen indidit, non tantum gratuito, quantum, vt nomine ipso cum suæ legationis munere congrueret: Moyses enim Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum vrit, dum medetur.

Illustrari potest hic locus mystica nominis mutatione, quam Pharao fecisse perhibetur, dum eductus e carcere Ioseph, & interpretationem somniorum audiens, aliud ei nomen indidit, videlicet. *Paphnath pabaneab*. Quod lingua Ægyptiaca sonat Saluatorem mundi. *Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Aegptiaca Saluatorem mundi*. Et quidem huiusmodi mutatione videtur Pharao quendam cultum Ioseph exhibuisse, ac si pro Deo recognosceret. Quid in eo aspexit aut quid, diuinum habuit illa somniorum interpretatio, vt propterea Pharao tam magnifico nomine Iosephum honorauerit? Respondet Abulensis: *Vocatur autem Saluator mundi, quia per interpretationem somniorum, & dispositionem collectorum saluauit Aegyptum totum à morte per famem, & multas prouincias, quæ tempore famis alimenta suscipiebant de Aegypto*.

Gen. 41.

Abul. ibi q. 3

Cum ergo gentem Aegyptiacam à famis oppressione liberarit; nō immerito Saluatoris nomen consecutus est: qui enim alios à pœnis redimit, non gratis, sed de iustitia, Vice-dei titulo adornatur. Et quod in Iosepho obseruatum animaduertis, hoc idem in animarum Purgatorij benefactore accidere cogita: dum enim pro ipsis suffragia offert, eorumque interuentu animas à flammarum pressura redimit, Vice-dei nomen, quasi iure suo promeretur: congruit enim tali muneri, tam illustris nomenclatura. . *Vocatur autem Saluator mundi, quia per interpertationem somniorum, & dispositionem collectarum saluauit Aegyptum totum à morte per famem, & multas Prouincias, quæ tempore famis alimenta suscipiebant ex Aegypto*.

Qui alios à pœnis redimit, vice-dei titulo adornari videtur, vt probatur Ioseph exēplo.

Sed quo non abit Caietani acumen, quo nouam, & elegantem huic instituto probationem suppeditat: expendens enim, qua ratione Israelitæ Aaronem rogauerint, vt ipse Deum faceret, & ille fabricato opere fusorio vitulo, dixerit. *Hi sunt Dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti*. Proh hominum istorum stultitiam, iam ab Aegypto liberi erant, quādo vitulus fundebatur: Quare igitur suam illi libertatem attribuunt? Quomodo enim poterat ipsos liberare, quem ipsi auro, & argento suo fabricauerant, & si (quod falsum, ineptumque est) liberare posset, tempus non aderat liberandi? Perbellè Caietanus. *Vide stultitiam. nunc noviter facto vitulo attribuunt præteritum beneficium eductionis de Aegypto*.

Exod. 32.

Caiet. ibi.

Vt quid ergo beneficium, quod ad Deum referre debuerant, vitulo attribuunt? Rationem reddit Caietanus, quia volebant vitulum vt Deum colere, ac venerari: ad hoc autem opportunum censebant, vt liberationis beneficium ad ipsum referrent. *Volunt*, inquit, *vitulum agnosci, & coli, vt Deum benefactorem etiam præteriti beneficij*. Quasi fidei nomen, & cultum de iustitia debitum ei denegare non possent, quem liberationis suæ auctorem recognoscerent; quoniam Vice-dei titulus liberatoribus adeo congruit, vt non gratis concessus, sed de iustitia debitus videatur, & ideo qui animas à Purgatorij pœnis, & quasi captiuitate eripit vice Dei nomine fruitur, quod non gratis possidet, sed iustitiæ meritis acquirit.

Dei beneficia, vt a Deo habita sunt accipienda.

Expendenda sunt adhuc cum D. Augustino verba, quibus Hebræi liberationem suam vitulo attribuunt. *Hi sunt*, inquiunt, *Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*. Qui vero fuerint, qui hæc proferre ausi sunt, docet idem Augustinus dicens. *Immolantes ei hostias dixerunt. Isti sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*. Et quamquam non omnes hoc dixerint, sed quibus loquentibus, alij tacendo assentirent: ideo de omnibus statuitur, quod libertatem suam idolo attribuerint. Augustini verba sunt. *Dominus indicans Moysi, quid fecerit*

Exod. 32.

S. Aug. q. 141

cerit populus de vitulo, & de idolo, quod ex auro suo fecerant, dicit, eos dixisse. *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, quod eos dixisse non legitur, sed animum eorum hunc fuisse, Deus ostendit.* Duo itaque crimina isti admiserunt, alterum idololatriæ, alterum ingratitudinis, cum idolum adorauerunt, & suam libertatem illi adscripserunt. Cæterum Deus in idololatras, & ingratos æqualiter fuit indignatus, dicens, vt ibi tenet Glossa Angelica. *Quasi beneficium meum idolo imputauerunt.* Differentia tamen fuit, quod Idololatria opere externo compatuit, ingratitudo solo interno assensu, & tamen itam Dei æqualiter vtrique prouocarunt. Cur ita? quia cum titulus Vice-dei liberatori debeatur, ita vt, non gratis, sed ex iustitia donati visus sit: dum isti Idolū adorant, & suam illi liberationem attribuunt, adorationem, & titulum tanquam ex iustitia debitum præstare videntur: quo fit, vt Deus, & assentientes, & adorantes æquali indignationis suæ telo vulnerarit. *Quasi beneficium meum Idolo imputauerunt, quod eos dixisse non legitur, sed animum eorum hunc fuisse, Deus ostendit.* Hinc sequitur, quod si ille, qui alios à captiuitate, & oppressione pœnarum liberat, Vice-dei titulo, quasi iure debito fruitur, eos qui pro animabus suffragia offerunt, dum illæ liberationem à pœnis consequuntur, vice Dei nomine fruituros non quasi gratis illis fuerit donatum, sed tanquam de iustitia debitum illud obtinuerint.

Deus in idololatras, & in gratos æqualiter indignatur.

Pergo vlterius, & cum D. Chrysostomo illam Christi in cruce pendentis apud æternum Patrem conquestionem expendo. Nam cum æqualis esset Patri, & solo Verbo, testante Psalmographo, omnia produxerit. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* Cum tamen apud circunstantes Dei existimationem, & fidem testatam relinquere statueret, his Dei nomen repetiuit, dicens. *Deus, Deus meus. Vt videant,* inquit Chrisostomus, *quoniam honorat Patrem, & non est Deo contrarius.* Sed nunc inquirendum mihi venit. Potuit ne Christus Dei titulum auferre? Nullatenus. Quare igitur, ait Diuus Chrisostomus, propterea Deum identidem nominasse, vt Patrem honoraret, & Deum esse apud circunstantes testaretur: item patri non esse contrarium, ostenderet? Et vero omnia Christi opera eius naturæ erant, vt Patris honorem minime læderent, sed diuinitatis testimonium præberent. Ergo huiusmodi satisfactione non indigebat. Cæterum cum dixerit, *vt quid dereliquisti me*: Non quia, vt ait D. Thomas, quo ad gratiam, & vnionem esset derelictus. *Ideo Christus dicitur derelictus non quantum ad vnionem, nec quantum ad gratiam: sed quantum ad passionem.* quam sentiens, & cum gloria conferens in eo extremo constitutus, cum Patre querendo quasi expostulauit, quod notauit Origenes. *Sed manifestè* inquit, *intelligere poteris, quid sit id quod dicit, faciens comparationem gloriæ illius, quam habuit apud Patrem ad confusionem, quam contemnens sustinuit crucem.* Igitur cum Dei titulus ei de iure quodammodo sit debitus, qui alium è pœnis liberat. Cum in præsenti Christus à Patre velut derelictus, tot opprobria, ac tormenta pati permittitur, nec liberatur, necesse fuit, vt apud circunstantes Dei existimationem, ac nomen retineret, vt bis cum compelleret Deum, quoniam Vice-dei titulus ei solum debetur, qui alios à pœnis cripit, & si aliter datur, non ex debito, sed grati, donari censetur, Hinc est vt Christus Patrem repetita vice Deum appellauerit, quia cum pœnas pati filium sustineret, nec liberabat, cum posset; circunstantes illum non esse Deum arbitrarentur: ideo ait. *Deus meus, Deus meus, vt videant quoniam honorat patrem, & non est ei contraius.*

S. Io. Chrys. hom. 89 in Matt.

Psal. 32.

Matt. 27.

S. Tho. ibi.

Christus in passione dicitur derelictus a Patre, dum permittebat illum pati.

Orig. tra. 35

Quicunque ergo honores ambit, & Vice-dei titulo potiri exoptat, animabus in Purgatorio detentis auxilium præstet, suffragia pro ipsis offerat: quia dum illæ à pœnis liberantur, auxiliator Vice-dei nomen adipiscitur. Claudo Iacobi verbis, quibus fratrem Esau obuiam sibi in itinere factum salutauit, vt Genes. 33. scribitur. *Sic*

Gen. 33.

enim

Gen. 33. *enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei*. Qui fieri poterat, vt Esau homo agrestis, & villosus, & tunc ad iracundiam concitatus, Dei faciem præferret? Miratur hanc dicendi rationem S. Augustinus, & inquirit. *Vtrum patientis, & perturbati animi verba vsque in hanc adulationem proreperant, an sine peccato potuerunt dici*? Forsan timor ingens, qui Iacob inuaserat, vt ibi habetur, *Timuit Iacob valde*, illum à peccato potuit excusare. At, vt notauit, D. Augustinus, Iacob ea verba protulit, postquam à fratre beneuolenter exceptus à metu liber erat. *Quia*, inquit, *post bonam susceptionem metus transierat*. Ergo adulationis damnabitur? minimè. Quid est, quod dixit Iacob *Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei*? Et quando hæc protulit? planè quando frater benignè excipiens à timore liberauit. Liber ergo à pœnis, quas timendo sustinebat, non adulator, sed gratus extitit, & in gratitudinis signum Dei titulo afficit. Nouerat enim Vice dei titulum, quasi de iustitia, ei debitum esse, qui alios à pœnis eximit: & ideo cum benigna exceptione à metu se liberum fratris beneficio animaduerteret, quasi rationem reddens, Dei titulo affecit. Videant ergo quanto fœnore suffragia pro animabus offerant qui unque honorificis ambiunt titulis illustrari: dum enim illas à pœnis eripiunt, pro retributione Vice-dei titulum comparant, qui non gratis datus, sed ex iustitia debitus censetur. Hinc est, vt Iacob à timore liber, dum fratrem quasi Deum vocat. *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei, non adulator extitit, sed iustitiæ cultor.* Non enim adulari censetur, qui quod debet, soluit, & Vice-dei titulus ijs, qui à pœnis alios eripiunt, non gratis collatus, sed ex iustitiæ debito, quasi redditus iudicatur.

S. August. in qu. super gen.

S. Aug. vbi supra.

CAPVT VI.

Quod suffragia sint medium ita efficax, vt animæ à pœnis liberæ quiete fruantur; vt nullum maius sit gloriæ ipsarum indicium, quam suffragiorum nostrorum euidentia.



FACIAT dicendi initium Christi Domini præceptum, cũ à Martha, & Maria accersitus, vt Lazarum suscitaret, ad sepulturæ locum pergens, lapidem amoueri præcepit. *Ait Iesus. Tollite lapidem*. Sed quæres. Cur, quod difficilius erat facturus, nimirum mortuum suscitari, quod facilius erat, scilicet lapidem tollere, alijs faciendum commisit, quasi hominum auxilio indigeret? D. Thom. quæstio est ad hunc locum. *Sed quæritur, cum maius sit suscitare mortuum, quam remouere lapidem. Quare non etiam simul cum hac sua virtute lapidem sustulit?* & cum in suscitando Lazaro potentiæ vires absque limite expromat, lapidem tollere alijs imperando, illam quodammodo angustare, premereque videtur. Ratio est, quia in mystica significatione lapis ille pœnas significat, quibus animæ in Purgatorio torquentur: quod verò e Sepulchro extrahatur, & in vitam redeat, æternam requiem repræsentat, & ideo non solùm suscitauit, sed e sepulchro extraxit, vt aduertit Caietanus. *Non solùm*, ait, *surge à morte, sed veni extra speluncam*. Vt ergo nouerint homines suffragia pro animabus oblata medium esse adeo efficax, vt illæ à pœnis liberæ requiem obtineant; vt nullum sit certius liberationis indicium, quam suffragiorum euidentia. Idcirco antequam Lazarum vitæ reddat, lapidem tollere præcepit, quasi dicat: suffragijs animabus opitulaminor, nam vbi pri-

Faciliora hominibus dimittit Deus.

Ioan. 11.

D. Thom. ibid.

Caiet. ibi.

Dum iubet tollere lapidem innuitur ad modum pro mortuis

mum suffragia vestra accesserint, ego ad requiem perducam. Et sicut sublato lapide Lazarum suscitauit, sic oblatis suffragijs, animas in paradisum extollit, & simul suffragiorum virtutem nos edocet, quorum tanta vis est, vt ex eorum euidentia apertissimè colligatur, animas æternam requiem adeptuas, sicut, sublato lapide, Lazari suscitatio secututa erat. *Lazare veni foras. Non solum surge à morte, sed veni extra sepulchrum.*

Ioan. 11.

Cæterum placet hic in sepulchro commorati, & alias suscitationis circunstantias expendere. Igitur Lazarus iam quatriduanus ad Christi vocem exurgens, eius præsentiæ se sistit ijsdem ligatutis constrictus, quibus tumulo datus fuerat, ac vbi primum illum aspexit, Apostolis, ait, soluite, & sinite abire. Vult enim Iesus, ait Caietanus, *vt alij soluant fascias Lazari.* Cur idem Christus non soluit, sed discipulis imperat, vt soluant? Et quoniam quod maius erat effecit, quod minus erat, cur alijs commisit faciendum? Duo hic sunt expendenda, alterum Lazari suscitatio, alretum solutio à ligaturis. Primum attinebat ad Christum, qui solus vitæ gratiam nobis impertiri potest. Secundum Apostolis tanquam sacerdotibus competebat, nimirum impedimenta auferre, quæ fascijs significabantur. Egregiè in rem nostram Alcuinus. *Christus ergo suscitat, quia interius per se ipsum viuificat, soluunt discipuli, quia per ministerium Sacerdotum absoluuntur viuificati.* At, si per gratiam viui iam putabantur, quid est, quod Discipulis agendum superetat, vt, tanquam sacerdotes solutionis beneficium dicantur impendere? Vt dubitationi faciam satis, supponendum mihi est in Lazaro suscitato Purgarorij animas esse adumbratas, quippe quæ gratia Dei fruuntur, ac in ea confirmatæ existunt. Atque adeo, sicut, condonata Lazaro culpa, quæ mortis causa extiterat, vt libertatis beneficio frueretur, soluì necesse fuit, & proinde impedimenta auferri pœnarum, quæ culpe respondebant. Quod Christus egit Sacerdotibus præcipiens, vt soluant, & suffragia offerant, quorum intermedio animæ ad fruitionem gloriæ habiles efficiantur. Vt autem agnoscatur quanta sit suffragiorũ virtus, quæ animabus, quos figurabat Lazarus, applicantur, & quod ex eorum euidentia oriatur certitudo, quod animæ æternam requiem fuerint consecutæ; ideo postquam Lazarum vno verbo suscitauit, solutionem à vinculis remisit ab Apostolis faciendam. *Soluite, & sinite abire.* Illi verò obtemperantes soluunt, & certissima præbent documenta, quod suffragiorum virtus tanta sit, vt ex eorum euidentia colligatur, animas Purgatorij pœnarum suarum finem obtinuisse: *Soluunt discipuli, quia per ministerium Sacerdotum absoluuntur viuificati.*

Caie. ibi.

Alcuinus.

Etiam in viuificatis per gratiam, remanet aliquando pœna soluenda.

Mortuo infœlicirer Saule, mirum est, quibus lachrymis Dauid mortem eius fuerit prosecurus, vt 2. Reg. 1. scribitur. *Et lamentatus est Dauid lamentationem istam super Saul, & super Ionatham filium eius.* Finito luctu, filijs Israel præcepit, vt omnes sagirandi artem filios suos docerent. *Præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum.* Cæterum quid commune habet sagirandi petitia cum mortuorm planctu, vt absolutis lacrymis, ad sagitandi præceptum erumpat? Per multum equidem, ait Glossa moralis, nam sagirandi ars orationem significat, qua Philisthæi, hoc est dæmones superantur. *Ars autem sagitandi spiritualis est exercitium deuotæ orationis, quo dæmones, qui per Philisthæos intelliguntur, fortiter debellantur.* At verò Dauid accepto de morte Saulis nuntio, quid melius agere potuit, quam filijs Israel præcipere, vt arcum filios docerent, hoc est suffragia, orationesque pro vita functis offerrent, vt eorum intermedio requie fiuerentur? *Et sicut sagitta, ait D. Thomas, à sagittante mittitur ad signum:* sic oratio, dum ab orante exit, animam in requiem reducit. Dauid ergo, vt de mortuis solatium capiat, suffragia, & Orationes offerri imperat, certus tantam esse eorum virtutem, vt animas in requiem transmittant sicut arcus sagittam ad signum mittit: atque adeò ex illorum euidentia indubitanter colligi animas æternitatis esse partici-

2. Reg. 1.

Caiet. ex hebreo Trad. ibi.

Glossa mor. ibi.

Oratio animas trasmittit in requie

S. Thom. 1. p. q. 23. ar. 2.

pes

pes. *Præcepit, vt docerent filios Iudæorum, sicut scriptum est in libro iustorum.*

Apud Capharnaum, in cuiusdam oppidani domo se tenebat Christus. Ecce tibi quatuor homines paraliticum in lecto iacentem portabant, vt à Christo sanitatis beneficium reciperet. Cum autem præ circumstantium multitudine intrare non possent, tectum domus ascendunt, tegulas auferunt, & demisso funibus lecto ægrotum Christo sistunt, quem, vbi primum vidit propensa portantium fide; beneuolenter allocutus, & corporis, & animæ sanitatem contulit. *Fili dimittuntur tibi peccata tua.* Mirum dictu, ad hæc verba paraliticus sanitatem recepit. Cæterum nec infirmus, nec qui portabant, vt sanaretur, postularunt. Vnde igitur Christus moueri potuit, vt ita facilè sanaret? D. Marcus portantium fidei miraculum adscribit. *Cum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait Paralitico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Miratur hoc loco Beda, quod tantum detulerit Christus portantium fidei, vt vbi primum paraliticum ante ipsum sisterent, repente sanauerit. *Intuendum sanè, inquit, quantum propria cuiuscunque fides apud Deum valeat; vbi tantum valuit aliena, vt totus homo repente interius, exteriusque saluatus exurgeret: aliorum meritò alijs relaxantur errata.* Ita ille, vbi ponderandum est verbum illud: *repente*, quo celeritas in conferenda sanitate exprimitur. Quo merito isti apud Christum tantum valuerunt, vt præstita diligentia statim sanitatis beneficium obtinuerint? Credo suffragiorum virtutem hoc facto repręsentatam. Etenim paraliticus, qui infirmitate præpeditus ad Christum absque illorum hominum ministerio accedere non poterat, sanitatem recepturus, animas Purgatorij mysticè designat, quæ e pœnis exire nequeunt, nisi vel purgationem suam absoluant, vel à deuotis fidelium suffragijs adiuuentur, quorum virtute requiem consequantur. Deinde portantium sollicitudo suffragia demonstrabat, ad quorum virtutem Deus inflectitur, & animas in Paradisum reducit, sicut Christus paralitico sanitatem restituit. *Totus homo repente interius, exteriusque saluatus exurgat*, & posita suffragiorum euidentia, consequentur animarum requies repente, indubitanterque assecura demonstrabatur. *Aliorum meritò alijs relaxantur errata.*

Marc. 2.

Alieno Merito peccata dimittuntur

Beda ca. 10. harum à principio.

Si aliena prodest fides quanto magis propria.

Non differt Deus exaudire orantes.

Percommodè etiam cadit in præsens institutum illud Dei præceptum, quod Moysi iniunxit. Cum enim Israeliticum Populum regendo lassus Deum obsecraret, vt alium regimini præficeret, Deus ad seruum suum locutus, hæc ait: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel; quos tu nosti, quod senes Populi sunt, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis.* His auditis Moyses septuaginta elegit ad ostium Tabernaculi deduxit, ibique adstantibus Dei spiritus affuit, & eo inspirante prophetare cœperunt. *Cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt.* Duo hic veniunt inquirenda. Primùm, cur Deus, cuius oculis omnia nuda sunt, & aperta, illos septuaginta non elegit, sed Moysi eligendos commisit; quoniam certior esset electio, quàm Deus faceret, vtpotè qui homines nouit: & ideo Apostoli in diligendo D. Matthia ad Deum se contulerunt, vt quem ex duobus elegerat, declararet. *Tu Domine*, inquiunt, *qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum.* Secundum, an in hac electione aliquid aliud interueniret præter Moysis nominationem, & Dei concursum, qui spiritum suum electis repentè communicauit: nec ipsis tantum, sed Eldad, et Medad, qui in castris remanserant; eandem prophetiæ gratiam impertiuit. *Remanserunt autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit spiritus. Nam & ipsi descripti fuerant.* Quoad primum dicendum est, cum Caietano, quod licet Deus eligere eiusmodi viros, illisque spiritum conferre posset: voluit tamen Moysis opera in hac electione vti, vt electi Moysen recognoscerent, ab eoque dependerent. *Noluit autem Deus, qui omnia nouit, per se ipsum septuaginta senes tales eligere, sed commisit*

Num. 11.

Quales debeant esse qui præsunt.

Act. 1.

Caiet. ibi Electi ad quodmun non eximuntur à subditione.

electionem Moysi, vt illi penderent à Moyse. Ita quod euidentia electionis à Moyse factæ manifestum erat, illius gloriæ, ac dignitatis, quam possidebant, argumentum. Quo facto declaratur nostrum de suffragijs assertum: videlicet, adeo præsens esse remedium, vt animæ gloriam consequantur, vt posita eorum euidentia, ineuitabili sequela constet, quod animæ Purgatorij æternam requiem fuerint consecutæ.

Porrò, huiusmodi seniores, quibus Deus spiritus sui gloriam communicaturus erat, animas Purgatorij designabant, quibus Deus post peccatorum purgationem æternam requiem est donaturus. In illa verò Moysis electione suffragia repræsentantur, quæ sunt medium, quo pro animabus satisfit, absolutaque satisfactione, animæ repositam gloriæ coronam adipiscuntur. Cum ergo ad gloriæ consecutionem a Deo dependeant, & ad suffragia hominibus indigeant, egregiè dispositum, vt Moyses eligat, quo nouerint suam à suffragijs dependentiam. *Noluit autem Deus, qui omnia nouit, per se ipsum septuaginta senes tales eligere, sed commisit electionem Moysi, vt illi penderent à Moyse.* At vbi primum Moysis electio accessit, statim spiritus sui gloriam impertiuit. Vnde manifestum fit, adeò magnam esse suffragiorum efficaciam, vt ex eorum euidentia certius gloriæ indicium colligatur.

Huc etiam trahi potest illud Abrahami consiliū, qui Saram sepelire noluit, quousque ager ipsi venderetur. Igitur Ephron locutus dicebat. *Quæso, vt* Gen. 23. *audias me, dabo pecuniam pro agro, suscipe eam: & sic sepeliam mortuum meum.* Mirum est, quod cum ei permissum foret, vt gratis sepeliret; non nisi soluto pretio hoc agere voluerit. Lyr. ibi. *In electis sepulchris nostris,* dicebant, *sepeli mortuum tuum,* hoc est, vt ibi commentatur Lyranus, *in melioribus, &* Alienus ab vsurpando qui oblata recusat. *honorabilioribus.* Instat nihilominus, vt vendant, aliter non sepulturus affirmat: volebat enim non solum sepulturæ officium coniugi præstare, sed insuper agri possessionem obtinere. *Cla-* Caiet. ibi. *rè,* ait Caietanus; *Verba sonant, speluncam ipsam in possessionem sepulchri vendendam sibi proponi ab Abraham tam iusto viro.* Igitur Ephron Abrahami instantia uictus agrum vendidit, & accepto pretio Abraham sepeliuit Saram. *Ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre.* Quid hic lateat Mysterij, vt tantum eniteretur, quousque Ephron pepulit, vt agrum sibi venderet, & deinde vxorem sepulturæ mandaret? Iam ostendo. Abraham vxori suæ requiem parabat impertiri, hoc in sepulchro, quod cœlum designabat Empyreum, fieri opinabatur: dum autem quadraginta siclis agrum sedulus emit, benefactorem animarum suffragia in siclis significata offerentem repræsentat, si Glossæ Morali standum Gloss. mor. ibi. est. *Per Abraham potest intelligi quilibet fidelis à magis defuncto, qui naturali pietate motus plangit mortem amici, & consequenter quærit sepulturæ locum, per quem designatur Empyreum Cœlum.* Egregiè ergo dispositum est, vt Abraham recusauerit Saram sepelire, hoc est gloriæ requiem ipsi procurare, antequam syclos quadraginta sepulturæ pretium solueret, idest suffragia offerret: quia nullum maius est gloriæ indicium, quam euidentia suffragiorum. Requies animarum ex solatio ac suffragiorū. Atque adeò cum primum de illis constiterit, nullatenus erit de gloria dubitandum: quia sicut tradito pretio secuta est Saræ sepultura, sic etiam, oblatis suffragijs animæ requies, & beatitudo indubitanter sequitur. *Ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam, in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre.*

Clauem immitto illa Ieremiæ adhortatione, vbi mihi videtur, animarum Purgatorij deuotis locutus, efficienter suasisse, vt pro illis suffragia offerant. *Consurge,* inquit, *lauda in* Tren. 2. *nocte in principio vigiliarum, effunde sicut aqua cor tuum ante conspectum Domini, leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Quod autem hæc adhortatio suffragia, orationesque mortuis præstanda respiciat, censuit Hector Pinto ad hunc Hector pinto ibi. locum. *Monemur,* inquit, *hoc loco fundere preces ad Deum pro animabus mor-*

tuo.

tuorum, *vt Deus eas ducat ad gloriam sempiternam*. Aduertendum tamen est, quod eleuatis manibus, hæc suffragia, seu orationes, impendere iubeat. *Leua ad Deum manus tuas pro animabus paruulorum*. Quod ideo fieri præcipit, vt ea manuum elatione, suffragia suum consequantur effectum, & animæ finem pœnarum, & quietis initium accipiant, vt censuisse videtur Lyranus, dicens, *vt animæ illæ recipiantur in sinum Abrahæ*. At dices, quid virtutis latebat in manuum eleuatione, vt, ea posita, animarum requies secutura esset; quasi suffragia virtutem suam inde mutuarentur?

Lyr. ibi.

Lyr. ibi.

Porrò manuum eleuatio plausum, approbationemque significat, vt tradidit Nicetas, ex veterum consuetudine, cum aliquem ad publicum aliquod munus obeundum approbabant. *Vt quem vellent*, inquit, *publicum aliquod munus administrare, in medium producerent. Ac, siquidem ille vniuerso populo gratus esset, manuum in altum extensione confirmabitur*. Ita ille, dum autem elatis manibus, suffragia pro animabus offeruntur, quid aliud agitur quam manifestare, quod in elatione manuum gloriæ possessio consistit, & in oratione suffragia: quæ sicut medium Ita efficax, vt animæ finem pœnarum, & gloriæ principium obtineant; vt nullum sit maius futuræ gloriæ indicium, quam suffragiorum euidentia? Atque adeo tantundem sit pro animabus orare, atque elatis manibus gloriæ possessionem apprehendere. Idcirco Ieremias elatis manibus suffragia pro animabus offerre adhortatur. *Leua ad Deum manus tuas, pro animabus paruulorum tuorum*. Quasi leuando manus animam approbare videantur, & præstita satisfactione dignam arbitrari, quæ pœnarum suarum finem optatum adipiscatur, & ad gloriæ possessionem admitti possit, *vt animæ illæ recipiantur in sinu Abrahæ*.

Nicet. in or 19. Nazian.

Suffragia quasi manu leuant animas ad cœlum.



CAPVT VII.

Quod mirabilis adeo sit suffragiorum efficacitas, vt, cum offeruntur in terra, probentur in cœlo: ac dum pro animabus satisfaciunt, Christo Regnum, & magnitudinem tribuunt, eiusque gloriam extollunt.

MISIT olim Iacob filios suos in Ægyptum, vt frumentum indę portarent. Ea tempestate Ioseph ab ipsis venditus, quem pater, vt mortuum, & fera deuoratum acerbissime planxerat, Aegypti Proregem agebat. Adsunt tritici emptores, quos identidem de patre, & familia interrogans compulit, vt reuertentes Beniamin fratrem iuniorem, quem ad parentis solatium domi reliquerant, secum afferrent: spondentilli, sed vt certior sit polliciti fides, Simeon in carcere retinetur, aliorum sacci frumento implentur, & pecunia reponitur, ac ad patrem remittitur. *Tollensque Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit ministris, & implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibarijs in viam; qui fecerunt ita*. Ecce tibi, iter arripiunt lætabundi, plura, quam sperabant, accipiendo. Cæterum quænam fuit Ioseph mens, dum pecuniam in sacculis reponere iussit? Planè, air. D. Prosper, vt eos ad regressum cogeret, quia non pecuniam, sed fratres volebat. *Fratres*, inquit, *Ioseph dederunt pecuniam in emptione frumenti, sed eam accepto frumento receperunt, quia noster Ioseph non quærit nostra, sed nos*. Dices tamen, quid commodi percipere potuit Ioseph; si fratres in Ægyptum redirent, vt propterea eorum regressum tanto studio procuraret? Dicam fratres Ioseph tristes, & afflicti ad patrem reuerte-

Genes. 42.

S. Prosp.

Deus, vt Ioseph, non tam nostra, quam nos quærit.

tebantur, tum propter Simeonē, quem in vinculis relinquebant, tum propter Beniamin, quem, non sine acerbissimo patris dolore, afferre in Aegyptum cogebantur. Deinde reperta in sacculis pecunia non parum molestiæ, & confusionis eis attulit. Quæ omnia tunc finem erant habitura, quando Ioseph se ipsis manifestaret, dicens: *Ego sum Ioseph*. Quamquam vero ante hunc euentum Prorex Aegypti esset & summum ibi imperium obtineret, iuxta illud Pharaonis: *Absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti*. Nihilominus, dum fratres absentes, dum afflicti, & tristes reuertebantur, quo vsque eos ab ijs cruciatibus, pœnisque liberaret, parum voluptuosa illa tanti imperij gloria sibi videbatur, & quasi ex fratrum accessu, & præsentia augmentum aliquod perceptura esset, eos ad regressum compulit, quia *noster Ioseph non quærit nostra, sed nos*.

Gen. 45.

Sed iam ad præsens institutum. Quę aptior Christi figura, quam Ioseph? cuius fratres non inepte dixerim, quod Purgatorij animas repræsentent, quæ in pœnis, & afflictione constitutæ gloriæ voluptatibus non perfruuntur. Hoc posito. Quid est, quod Christus cælorum Rex, & Dominus in ea maiestate, & regni amplitudine animarum cura tangatur? & eas pecunijs, ac tritico, hoc est missis, ac eleemosynis ad Cœlum transferre satagat? *Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius*, ait David. Ergo dum illis mortuis, animæ purgantur flammis, & culparum labes abstergunt, ipse Regno suo, & dominatu perfruatur; illis absentibus, æque Rex, & supremus dominator? Ita quidem. Cæterum, quando in terris suffragia offeruntur, eorum efficacitas probatur in cælis, & aditum ad gloriam animabus aperiunt; tunc videtur sibi Christus gloria perfrui, Regnique maiestatem, & amplitudinem obtinere, atque adeo in persona Ioseph suffragia pro ipsis offerenda sollicitat; quasi illis præsentibus crescat Regni maiestas, & gloriæ splēdor augeatur. Hinc est, quod, *Noster Ioseph non quærit nostra, sed nos*.

Ioseph aptissima Christi figura.

Psal. 115.

Animabus existentibus in Purgatorio videtur quasi diminuta Christi gloria.

Quæ in figura contigisse vidimus, in ipsomet figurato expressa videamus. Igitur Daniel Christum vidit insolito quodam aspectu admirandum. *Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, & antiquus dierū sedit, vestimentum eius cādidū quasi nix, & capilli eius quasi lana munda, thronus eius flammę ignis, rotę eius ignis accensus*. Porrò, ait Hugo Cardinalis, *Per albedinem vestis significatur gloria maiestatis*. Aliter interpretatur Lyranus, dicens, in vestis candore Deitatis excellentiam denotari. *In hoc notatur excellentia deitatis, quæ est lux in accessibilis, quia candor inter alios colores plus habet de luce*. Deinde thronus ille rotis sustētabatur, vnde currus dici potuit, & sic ab aliquibus Hugone teste fuit nuncupatus. *Alij dicunt currus eius ignis accensus*. Sed cur throno rotas addidit, nam thronus immobiliter stat, & currus circunfertur, & quoquo versus rotatur? Respondet Hector Pinto, quia *Alludit ad solia Regum, quæ erant versatilia instar curruum triumphalium*. Itaque, & throni, & currus speciem referebat sedes illa, in qua Daniel Deum sedentem vidit. Inquires tamen hic, qua de causa in diuinæ, Regiæque maiestatis ostentatione coronam non habebat, quæ est præcipuum Regalis dignitatis indicium: licet enim Rex quispiam sit, si tamen coronam non habet, Rex non apparet.

Dan. 7.

Deitatis comes Iustitia.

Hugo Card. ibi.

Lyr. ibi.

Hug. Card. ibi.

Hect. pin.

Hinc est, vt notauit Xanctes Pagninus, quod cum Deus Regi Israel, regnum auferre minitaretur, coronam se ablaturum asseruit. *Remouebo cidarim, & tollam coronam*. Ergo in regni ostentatione coronam debuit, quæ minime deesset, siquidem Ioannes ait: *Et in capite eius diademata multa*. Antequam respondeam, quæro, quid thronus ille igneus significat? Porrò ex S. Augustini, Eusebij, Origenis, & Glossæ interlinealis sententia Purgatorium designat. *Thronus eius flamma ignis, vt malos puniat, & bonos purget*. Itaque in throno ignis potentiam puniendi præfert pariter, & purgandi virturem, mali punitionem, boni purgationem accipiunt. Hinc est illud Origenis. *Qui non sunt tales, vt Aaron, & Isaias, de quibus etiam meipsum compu-*

Xanct. Pag. ubi sup. Eze.

Ezech. 21.

Apoc. 19.

Glos. interl. Aug. lib. 50. homil. hom. 16. Eusb. hom. 3. Orig. in Le. uit. hom. 3. & in Ps. 36. homil. 24. in Le uit.

to,

Dum absunt animæ à gloria, quasi eo rona deest Christo.

to, igne purgabuntur. Iam ergo patet mysterium, quare non coronatus appa ruit: quia tantum sibi displicet, quod animæ in purgatorij flammis crucientur, vt quandiu ibi sunt, nec gloriæ participes fiunt, quasi ipsius gloriæ Rex ille non esset, coronam gestare recusat: ex quo inferes, quod si stantibus in Purgatorio animabus, Christus, nec regni maiestatem, nec gloriæ splendorem habere videtur, non incongruè dici potest, oblaris pro animabus suffragijs, quorum efficacitate in cœlum traducuntur, Christo Regnum, maiestati ipsius amplitudinem, & gloriæ splendorem conferri. Et quandiu illæ, ob suffragiorum defectum, flammis torquentur, & à paradiso exulant, *Thronus eius, vt flamma ignis, vt malos puniat, & bonos purget*, licet plurimas habeat coronas, *In capite eius diademata multa*, nullam tamen imponit, quia Regem se quodammodo non reputat, quousque accedente suffragiorum virtute, animabus Purgatorij, & à pœnis libertas contingat, & ad paradisum aditus aperiatur.

Gen. 42.

Petentibus filijs suis à Patre Iacob, vt traderet sibi Beniamin in Ægyptum deferendum, sicut Proregi spoponderant, respondit Pater. *Absque liberis me esse fecistis*. Quid ais Iacob? Nouem tibi supersunt filij, quos circumcirca intueris, vt quid ergo sine filijs remanere affirmas? *Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin aufertis; absque liberis me esse fecistis*. Hæc Iacob, ablatis enim is tribus, quasi alij non adessent, orbum se, ac filijs omnibus spoliatum reputabat: tantum potuit dolor, quem de trium amissione conceperat, vt cum offensione illorum, qui supererant, talia proferret. Honcalæ ad hunc locum verba sunt: *Dolentis more Iacob omnibus filijs se priuatum lamẽtabatur, cum solum de tribus ei timendum esset*. Nouerat optimè Iacob nouem filios superstites esse, eoque numero domum suam, ac familiam non parum augeri, ac illustrari. Cæterum dum tres illi desiderabantur, quorum vnum credebat mortuum, alterum acceperat in vinculis detentum, tertium peregrinum in terra aliena futurum, præ doloris magnitudine, quasi domus esset filijs vacua, & in gloria mœrens, ac lugens conqueritur, ac si omnibus priuatus fuisset. Profectò Iacob Christum designat tres illi fratres, quos plangit, animas Purgatorij repræsentant: quamuis ergo in aliorum beatorum societate Christus gloriam, & Regni maiestatem habeat; dum tamen ab eo regno animæ purgatorij exulant, quasi nec Regno maiestas, nec gloriæ splendor adesset, conqueri quodammodo potest, sicut Iacob fecisse perhibetur, quod filijs omnibus priuatus existeret. *Dolentis more Christus omnibus iustis se priuatum lamentabatur, cum solum de animabus Purgatorij ei timendum esset*. Tanta est suffragiorum vis, & efficacitas, vt, dum offeruntur in terris, approbentur in cœlo, & patefacta eorum virtute, animabus ad gloriam aditus illis intrantibus Christo Regni maiestas, & gloriæ splendor quodammodo conferatur.

Magnus dolor est parẽtis, priuari a-l quo filio, licet alij supersint.

Hon. in Gen. cap. 42.

Accessu animarum ad gloriã quasi Dei gloria augetur.

Dan. 4.

Non incongruè in hanc rem possunt adaptari illa Nabuchodonosor verba, quibus se Babylonis ædificatorem iactanter profitetur. *Hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in Domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei*. Facile erat audienti, Regem mendacij conuincere: antequam enim Nabuchodonosor ad regnum ascenderet ædificata erat Babylon; quia tamen ædificijs, præsertim Regio palatio, & curiæ in illam translatione illustrauerat, à principio ædificasse perhibet. *Prius enim*, ait Hugo, *erat ædificata, sed ipse fecit eam sedem Regni, & Monarchiæ*. Cur autem propter hoc solummodo vrbis fundatorem se iactat, & primi fundatoris gloria, sibi atrogat? Tantum fuit, quod muris circundaret, & Regni metropolim efficeret, nouisque substructionibus muniret, vt pro fundatore haberi non iniuria posset. *Non enim*, ait Lyra, *ædificauerat simpliciter illam Ciuitatem, sed fecerat eam metropolim suæ monarchiæ, & eam ampliauerat, & fortificauerat ad robur regni sui, & decorem*. Itaque postquam Babylon munitionum fortitudine, ædificiorum splendore, ciuium frequentia, curiæ amplitudine, vrbis magnæ no-

Hug. Card. in dan. 4.

Lyr. ibi.

men

men obtinuit. *Babylon magna*. Tunc Nabuchodonosor illius ædificatorem se prædicat; quasi tunc Regni sui gloriam, & splendorem cumulauerit.

Nunc igitur fas mihi sit proposito instituto rem hanc adaptare. Quando vrbs beata Hierusalem magnæ nomen obtinebit? Plane quando intrantibus in eam animabus purgatorij maior erit iustorum frequentia, & multitudo, qui gloria perfruuntur. Et tunc Christi regnum, maiestas, & gloriæ amplitudo augebitur: licet enim curia illa cælestis magna sit; tunc maior apparebit, quando plurimæ animarum myriades illuc ingredientur. Cum autem hæc vrbis cælestis magnitudo mediantibus suffragijs contingat; nam dum illa offeruntur in terris, & probantur in cœlo, intraturis animabus portæ referantur, & Christi regnum crescit, augetur maiestas, & gloriæ splendor amplius illustratur. Quid ergo mirum si statuimus, adeo magnam esse suffragiorum efficacitatem, vt pro animabus oblata hoc præstent. Atque adeo sicut Nabuchodonosor quasi Babylon antea non fuisset extructa, sed ab ipso nouiter ædificata, quia ædificijs auxerat, & propugnaculis munuerat, ac Regni sedem constituetat, fundatorem illius se iactauit, dicens. *Hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui*. Non aliter Christus cœlorum Rex, ac Dominus, quamquam vrbem cœlestem Hierusalem antea fundauerat, & Regni sedem fecerat, intrantibus in eam suffragiorum interuentu animabus, & crescente beatorum frequentia, & multitudine, quasi tunc de nouo ædificauerit, dicere potest. *Nonne hæc est ciuitas Hierusalem magna, quam ego ædificaui in Domum, & sedem regni in robore fortitudinis meæ*. Non quia non antea ædificasset, sed cum nouum Regni decus, maiestatis decorem, & gloriæ claritatem tot animarum accessione fuerit mutuatum, ac si tunc Rex esse inciperet, Regiæ ædificator prædicatur, sanctæque illius vrbis fundationem sibi arrogat.

Cœlestis Ierusalem nouis accedentibus colonis quasi de nouo ædificatur.

Suscitatus à mortuis Christus postquam sanctorum Patrum animas ab inferis extrauit, ijsque associatus superas remeauit ad auras, Apost his ita loquitur. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. Quænam autem, quærit hoc loco Diuus Chrysostomus, potestas Christus nunc data sibi fatetur? Porrò quænam? Ipse enim ait, *Omnia quæcunque habet pater, mea sunt*: Et Ioannes de ipso affirmat. *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus*. Quinimò, vt testatur Dauid, *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*. Quare ergo potestatem modo sibi datam perhibet? Respondet D. Chrysostomus. *Hoc non de coæterna Patris diuinitate, sed de assumpta dicit humanitate, in qua minor Angelis, gloria, & honore coronatus est, & omnibus superpositus.* Adhuc tamen sciscitor. Potestas hæc Christo velut homini concessa, non ne magna semper extitit, ita vt inferis terrorem incusserit, & creaturarum omnium obedientiam, obsequiumque extorserit, iuxta illud D. Pauli, *In nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium terrestrium, & infernorum*? Ita plane: sed nunc datam sibi affirmat, eum eductis e Limbo sanctorum animabus rediuiuus triumphat. *Quia, nisi potestatem super inferna habuisset, victor ab inferis non resurrexisset*. Ex magni Alberti sententia. Itaque quod iam antea possessione tenebat, nunc datum sibi testatur. Quandiu enim animæ sanctorum Patrum temporariam illam damni pœnam sustinebant, nec ipsum associabant, & gloria fruebantur, tantum hoc ipsi displicet, vt nec Regnum, nec potestatem accepisse videatur. Postquam vero ad inferos descendens, sanctorum animas ab inferis eduxit, ac triumphabundus in vitam redijt, tunc quasi de nouo Regnum potestatem, gloriam, illiusque splendorem acceperit, *Data inquit, est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, quam absque iustarum animarum consortio non accepisse videbatur. *Quia, nisi potestatem super inferna habuisset, victor ab inferis non resurrexisset*. Cum ergo, accedentibus suffragijs; animæ a pœnis liberæ in cœlum euolent, & Christum in gloria comitentur, ex earumq comitatu ipsius gloria quasi denouo proueniat,

Matth. 28.
Ioann. 16.
Ioann. 13.
Psal. 134.
D. Chrysost. hom. 91. in Matth.
Christo homini data potestas omnia super &c.
ad Phil. 2.
Alber. Mag. in hunc loc.
Potestas illa Christi eminentissima quasi completur in glorificatione patrum.

niat, & potestas accipiatur, mirum non est, si aestuamus tantam esse suffragiorum efficacitatem, vt ipsis in terræ oblatis, & in cœlo probatis, Christi regnum augeatur, crescat maiestas, & gloriæ splendor maiora capiat incrementa.

Finem imponat festiua Angelorum acclamatio, qua Christo in cœlos ascendenti applaudentes, alij alios adhortabantur, & dicebant. *Attolite portas principes vestras, & eleuamini portæ aeternales, & introibit Rex gloriæ:* Quo audito alij interrogabant. *Quis est iste Rex gloriæ?* Vt quid ita quærunt quasi eum non agnoscant? nonne descendentem è sinu patris ad terras inspexerunt? quare nunc reuertentem quasi non agnoscentes dicunt. *Quis est iste Rex gloriæ?* Qui ascendit, ipse est qui & descendit. Cæterum, *Admiratiuè*, inquit Lyra, *hoc dicunt, quia excellentia gloriæ eius, & honoris omni est creaturæ admirabilis.* Cæterum æque admirabilis esse debuit gloria descendentis, atque ascendentis. Cur ergo nunc ascendentem admirantur, & quasi excelsiori, & ampliori maiestate fulgenti applaudunt? An illa humanitatis gloria maior esse potuit quam Diuinitatis? Absit. Quid igitur hic de nouo inspiciunt, vt in has admirationis voces erumpant? Dicam: æqua semper fuit in Christo potestas, eadem maiestas, & gloriæ splendor. Cæterum, cum Angeli nunc tot animabus, quas è pœnis liberauerat, sociatum aspiciant, tantum gloriæ, & splendoris ab huiusmodi liberatione accepisse animaduertunt, vt quasi tunc nouus esset Rex, & nouam induerat maiestatem, ampliotique splendore gloriæ claresceret, admirabundi sciscitantur: *Quis est iste Rex gloriæ?* Admiratiuè dicunt: quia excellentia gloriæ eius, & honoris omni est creaturæ admirabilis. Si ergo iustorum societas, quos è pœnis liberauit, tantum ei contulit splendoris, vt quasi incognitum Angeli admirentur, & dicant: *Quis est iste Rex gloriæ?* Quid mirum, si suffragiorum efficacitate animas in cælum traduci, & cæleſtem curiam impleri, statuamus, ac vbi primum offeruntur in terris, & in cælo probantur, Regnum Christo, ipsique maiestatem augeri, & maiorem gloriæ splendorem cumulari ideoque indesinenter à fidelibus offerenda.

Psal. 23.

Lyr. ibi.

Liberatio animarum Christo splẽdori est.



CAPVT VIII.

Quod Missæ suffragium, quod pro particularibus defunctis celebratur, tantam habeat virtutem, vt iusti omnes, tam viuentes, quam animæ Purgatorij, ex eo participent.



FIDEI Christianæ dogma est, fidelium congregationem, quos vna fides, ac doctrina coniungit, quique sub Christo capite viuunt, atque ab ipsius Vicario Romano Pontifice gubernantur, & conseruantur existere: extra quam nemo salutem æternam consequi valet. Sic definitum est in Concil. Trident. sess. 7. canon. 3. *Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & Magistra, &c.* & sess. 14. cap. 3. *Nec profecto Ecclesia Romana aliarum omnium mater, & Magistra*, & sess. 22. cap. 8. *Quamobrem retento, vbique cuiusque Ecclesiæ antiquo & à sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra.* Quibus accinit Petri Canisij explicatio in lib. de fide, & symbolo ad illa verba: *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* vbi sic ostendit: *Ecclesiam Christifidelium visibilem congregationem, quæ vna est consentiens in fide, & doctrina Sacramentorum.* Et paulo inferius. *Quæ sub vno capite Christo Iesu Domino nostro, vnoque eius vices in terris gerente Pontifice Romano regitur, & conseruatur; nec vllus extra huius consortium sanctitatis particeps esse potest.* Itaque huius Ecclesiæ pulchritudo in eo consistit, vt membra fidei vnione inter se inuicem colligata sub vno capite Christo, &

Conc. Trid. l.7. c.3. sess 14 c.3. sess. 22. c. 8.

Ecclesia Romana omnium aliarum mater.

Petr. Canis. de fide, et sym. ar. 9.

eius Vicario consistant; merita, & orationes, ac reliqua virtutis opera ad inuicem communicent, iuxta illud: *Sanctorum communionem*, in symbolo contentum, quod catholici omnes fatentur.

Nunc autem inquiro. An hæc communicatio viæ huius limites excedat, ita quod in patria degentibus prosit? affirmatiuè respondet Canisius. *In eademque sancta Ecclesia asserimus esse communionem, vt qui in eadem domo Dei, & familia versantur, societatem quandam, & vnionem seruent indiuiduam, vt, sicut vnius corporis membra, mutuis officijs, & orationibus se inuicem iuuent. In qua quidem communione non modo sancti Ecclesiæ militantis in terra peregrinantes, verum etiam beati omnes Ecclesiæ cum Christo in cœlis felicissimè triumphantis, ac insuper piorum animæ quæ ex hac vita egressæ, non dum tamen illam beatorum felicitatem sunt consecutæ, simul comprehenduntur.*

Cani vbi sup. ar. 9.

Viatores cũ existẽtib. in cœlo, & Purgatorio vnionem habẽt.

Hoc posito, quærendum est. An si quis pro vna Purgatorij anima V. G. Ioannis, Missæ sacrificium offerat, omnibus alijs in eo pœnarum loco degentibus prosit? Scotus affirmat, cuius resolutio, vt percipiatur, tres meritorum gradus attendẽdi sunt. *Potest autem meritum in triplici gradu intelligi, vno modo specialissimè, alio modo generalissimè, tertio modo specialiter.* Primo modo sacerdoti competit, quoniam si in gratia celebrat, esto pro alio id faciat; primo sibi prodest: quia ille impulsus, & charitatis intentio, qua ducitur ad Missam celebrandam, ei profuit; atque illius comparatione meritum dicitur specialissime consideratum. Secundo generalissimè, iuxta quod vniuersæ Ecclesiæ, eiusque fidelibus tanquam membris prodest, vt dicitur. *Sanctorum communionem.* Beatos excipe, qui eiusmodi adiutorio non indigent. At Purgatorij animæ simul cum viuentibus sacrificij participes fiunt propter habitualem intentionem, quam habet celebrans, vt pro omnibus fidelibus oret, quamuis animarum non meminerit; sat est quod dicat: *Orate fratres, vt meum, ac vestrum sacrificium acceptabile.* Si ergo charitatis vinculum animas Purgatorij cum viuentibus coniungit, quandoquidem sacrificij fructum non solum sacerdos, sed viuentes participant, etiam animæ Purgatorij illum participabunt. Atque adeo licet Missa pro vno offeratur, omnibus alijs proderit, non solum viuentibus, sed ijs, qui in Purgatorio degunt. Et hoc est meritum generalissimè consideratum.

Scot. quæst. q. 10.

Triplex meriti gradus.

Cæterum obstare videtur tertia meriti consideratio, videlicet, specialiter. Nam si hoc modo Missa pro vno celebrata ad illum solummodo pertinet; hoc enim sonant termini, *Tertio modo specialiter*; iam alij fructum illius non acquirent, vel si acquirunt, quomodo specialiter ad ipsum pertinere affirmabitur? Dupliciter respondet Sotus. *Suffragium*, inquit, *peculiariter oblatum pro singulari defuncto, licet ratione charitatis, in qua fundatur, prosit quibuscumque in ea existentibus; nihilominus simpliciter plus prodest illi, pro quo offertur, quin vero ratione satisfactionis, illi soli.* Ita ille. Vnde sequitur Missam pro vno oblatam primò, & per se ei prodesse, hoc est speciali modo: secundo alijs in eadem charitate coniunctis, siue viuentibus, siue in Purgatorio constitutis, hoc est generalissimè. Vbi nulla cernitur repugnantia: ideoque non immerito statuimus Missam pro vno peculiariter oblatam, alijs etiam profuturam esse, propter vnionem charitatis, qua inuicem copulantur.

Sot. in 4. dis. 45. q. 2. ar. 4. Co. 1.

Sacrificium Missæ omnibus in gratia existentibus prodest.

Secundo ait Sotus. *Id quod in sacrificio offertur est per se infiniti valoris, est enim corpus, & sanguis Christi, quæ cum sint diuinitati coniuncta, sunt suppositi infinite grati: & ideo in quantum est de se, ad infinitum effectum sufficeret, sed quantum ad efficaciam habet taxatum effectum.* Hinc sequitur Missam oblatam pro anima Ioannis V. G. ipsi peculiariter prodesse dum suum terminat effectum, & alijs ratione infiniti valoris generalissimè profuturam. Exemplum sit. Habet eques decem millia ducatorum annui redditus, soluit clienti ducenta pro stipendio, quis vetat vt reliquam pecuniam quibus velit, distribuat. Atque adeò cliens ille modo speciali, & ter-

Sot. in 4. dis. 11. q. 2. ar. 5.

Tantæ efficaciæ sacrificium Missæ quantum in diuina acceptatione.

mi-

minato redditibus Patroni fruitur, & alij modo generalissimo: non aliter in sacrificio Missæ contingit, quæ pro vno specialiter oblata, terminatum, quoad efficaciam, effectum habet: vnde pro ipso satisfaciet, quidquid satisfaciendum superest: respectu tamen infiniti valoris, multum superest, quod pro alijs offerri possit, atque ipsis prodesse. Vbi nulla inuoluitur contradictio; siquidem sacrificium illud vni applicatum totam vim suam non exhaurit, sed infinitum adhuc restat, quod alijs applicari potest. Hinc est, vt Missa pro vno celebrata, modo speciali terminando quoad efficaciam effectum, ei quoad satisfactionem prosit: nihilominus, propter suam infinitatem, alijs etiam, tam viuentibus, quam in Purgatorio constituris, modo generalissimo proficua erit. Quoniam, *In quantum est de se, ad infinitum effectum sufficeret.*

Missa ita pro vno satisfacit, vt supersit pro alijs satisfaciendi vis.

Aliter exponit Diuus Bernardinus hanc extensionem, qua sacrificium pro vno celebratum alijs prodest, videlicet, propter mutuam charitatem, qua Purgatorij animæ se inuicem complectuntur. Charitas autem proximi bono congaudet. Vnde, cum videant animam suffragij merito à pœnis liberatam, lætantur, & pœnarum leuamen sentiunt; atque adeò suffragium illud, illis etiam prodest. *Quia*, inquit, *se inuicem diligunt ex charitate, nec sibi inuident aliquo modo, ideo omnes gaudent de illius pœnæ alleuiatione, pro quo suffragia facta sunt.* Quinimo, etsi Dei iustitia summum erga illos, qui purganrur rigorem exerceat, attamen misericordia eiusdem infinita res ita disponit, vt Missa, quæ pro anima particulari offertur, alijs etiam diuersimodè prosit, vt explicatum est. Irerum Sanctus Bernardinus. *Sed secundo modo facta pro vno alijs prosunt, quia* Dei *misericordia prouidente suffragia pro quocunque in Purgatorio existente alijs omnibus innotescunt.*

S. Bern. Sen. ser. 65. ar. 2 c. 3 & 2.

Gaudium de bono alieno quodda leuamen est.

S. Bern. vbi supra.



CAPVT IX.

Proposita doctrina scripturæ locis comprobatur.



GENESIS 18. scribitur Abraham domi suę tres peregrinos excepisse, quos precum instantia illuc pertraxit, & conuiuio recreauit. *Ponamque bucellam panis, confortate cor vestrum, postea transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerunt: Fac, vt locutus es.* Igitur Abraham conuiuium disposuit, vocatisque ad mensam hospitibus, præ vrbanitate illis prādentibus astitit, si Caietano fides est adhibenda. *Assistebat siquidem coram eis tum humanitatis, tum officij grātia.* Quinimo, vt expendit sanctus Chrysostomus, tantum voluptatis ex tali assistentia percipiebat, vt comedentibus illis, ipse etiam comedere videretur, & alimento recreari. *Adstabat*, inquit, *centenarius comedentibus illis: mihi videtur tunc præ gaudio, alacritateque multa imbecillitate sua factus superior, & robur quoddam accepisse.* Miraris quod comedentibus istis peregrinis Abraham solo aspectu reficiatur, & alacris vires nouas recipiat? Quis vnquam audiuit, vt quisquam cibi visione solummodo nutriatur? At magnum hic latet mysterium: etenim panis ille peregrinis appositus panem Eucharisticum significabat, qui pro animabus Purgatorij, quas peregrini repræsentabant, in sacrificio Missæ offertur. Dum ergo comedentibus illis Abraham vires dicitur recepisse perinde fuit ac si diceret, sacrificium Missæ pro peculiari anima Purgatorij oblatum, etsi pro illa specialiter satisfaciat, propter sui valoris infinitatem modo generalissimo alijs prodesse. Vel etiam, quia præ charitate hilarescunt, dum alias sacrificij

Gen. 18.

Caiet. ibi.

S. Ioan. Chrys. hom. 41. in Gen.

Feruor charitatis non languescit ætate.

beneficio à pœnis liberari conspiciunt, & interim leuamen aliquod sentiunt, sicut, comedentibus peregrinis, Abraham præ gaudio refici, & alacritatem recipere videbatur, quamuis nihil ipse comederet, sed tantum comedentibus assisteret. *Mihi videtur, tum præ gaudio, alacritateque multa imbecillitate sua factus superior, & robur quoddam accepisse.*

Operis boni fructus lætitia.

Placet Abrahami conuiuio alterum addere eodem mysterio clarum. Igitur, dum Ioseph in Ægypto esset, fratres suos frumenti gratia illuc euntes conuiuio excipit, loca, & cibos vnicuiq; pro ætate sua distribuens, quanquam Beniamin portio aliorum fratrum portiones quinque partibus excedebat. *Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.* Et statim additur. *Sumptis partibus quas ab eo acceperant, maiorque venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Hic autem ciborum excessus reliquos in admirationem compulit. *Et mirabantur nimis,* sic aduertit ibid. Caietanus. *Admiratio hæc non quadrat sessioni ordinatæ, quia non est admiratione digna, sed quadrat distributioni subiunctæ, qua Beniamin prælatus apparuit omnibus.* Et vero hæc omnia Iosepho disponente fiebant, vel quia ministrantibus ita præciperet, vel quia ipsemet ministraret. *Sensus est,* ait Caietanus, *quod velà mensa Ioseph, vel ex cibis oblatis coram Ioseph primum distribuebantur alimenta, alijs conuiuis: & disponente Ioseph effectum est, vt Beniamin, qui vltimus sedebat, quinque portionibus excederet alios.* Ita ille. At verò admiratione dignum est, quod Ioseph non timuerit fratrum inuidiam aduersus Beniamin concitare, dum ipsum antelatum in mensa videbant; maximè, quia nouerat patris sui prælationem fratres contra se armauisse. Deinde fratres videndo quod iniuria illos afficeret, natu minimum præferendo, contra ipsum Ioseph excandescerent, & conuiuij fauorem paruipenderent, atque adeo pro gratia odium retribuerent. Totum hoc ad mysterium referre oportet. Porrò in eo conuiuio portio fratribus danda erat.

Gen. 43.

Caie. ibid.

Erunt nouissimi primi.

Caie. vbi sup.

Quod autem Beniamin quinque apponerentur; non proinde alij in ea conuiuij lautissimi abundantia portionibus suis carebant. Certè conuiuium illud Missæ sacrificiũ referebat. Cũ uiuæ animarum Purgatorij figuram gestabant. Dum autem vnicuique datur sua portio; docemur sacrificium missæ modo speciali animæ, pro qua offertur prodesse: dum autem Beniamin quinquies duplicata portio apponitur, ostendit modo generalissimo, idem sacrificium propter suam infinitatem, alijs etiam iustis, & animabus Purgatorij profuturum.

Missæ sacrificium nulli non prodest idoneo.

Facit etiam in hanc rem, quod accidit in distributione terræ promissionis. Cum enim Iosue iactis sortibus terram illam filijs Israel distribueret, & nihil sibi sumeret, completis sortibus, Israelitæ ex terra, quæ ipsis obtigerat, partem Iosue meliorem dederunt. *Cumque complesset sorte diuidere terram singulis per tribus suas, dederunt filij Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui.* Itaque, vt aduertit Caietanus, alij sorte obtinuerunt terram, Iosue vero, prout ei placuit illam fuit consecutus. *Datur,* ait Caietanus, *hereditas Iosue absque sorte:* Nec solum absque sorte, sed quod ei placuit, libenter dederunt *iusta tamen suum beneplacitum,* commentatur ibi Lyranus. *Sicut ergo tribus alia sortibus tactis terram promissionis adeptæ sunt, & Iosue nihil obtinuit, nisi quod à tribubus accepit: quia terra illa capax erat, vt omnibus distribueretur; & subinde Iosue acciperet, quod tribus alia largirentur;* Hinc est, vt in sacramento Eucharistiæ, quod pro animabus purgatorij in missa offertur, licet alij pro sua parte quisque fructum percipiant, quod perinde est, acsi illud speciali modo participent, alij tamen, vt Iosue, absq; sortibus modo generalissimo satisfactionem illius adipiscuntur. *Datur hereditas Iosue absque sorte, iuxta tamen suum beneplacitum.* Non aliter accidit in animabus Purgatorij: cum enim pro qualibet in speciali sacrificium Missæ offertur, satisfactionem, quæ ipsi competit, modo speciali consequitur, & alijs modo generalissimo prodest propter infiniti valoris æstimationem, quæ

Iosue 19.

Caie. ibid.

Lyr. ibi.

Certe ab enim auari tia alicuius Iosue.

Dum nihil sibi accepe plus est melius accipit Iosue.

ad omnes extendi potest.

Non longe diuersus abit ab hoc Instituto stylus ille, quem cum vineæ suæ operarijs vineæ Dominus obseruauit: quoniam, vt Matth. cap. 20. refert, finito die, procuratori suo præcepit, vt vocatis operarijs mercedem illis redderet, & solutionem à nouissimis inciperet: quo factum fuit, vt aliquorum contra se murmurationem excitaret. *Et accipientes murmurabant aduersus Patrem familias, dicentes: hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus*. Certè videtur hæc operariorum obmurmuratio aliqua ratione fulciri. Si enim nouissimi vna tantum hora laborauerant, iniustum videtur, vt in solutione mercedis eos alijs exæquauerit, qui totum diem laborauerant? Quæ ratio suadet, vt æquali pretio maior, & minor labor compensetur. Vnde iniustum videtur, vt eis, qui pondus diei, & æstus portauerant, aliquid amplius non contulerit? Cæterum Pater familias obmurmurantibus respondens, omnem querelæ occasionem præcidit. Quid ille? *Tolle quod tuum est, & vade*. Commentatur D. Remigius: *idest recipe mercedem tuam, & vade in gloriam. Volo autem, & huic nouissimo, idest gentili populo dare secundum meritum, sicut & tibi*. Pulchra est in rem nostram Remigij responsio. Offertur pro qualibet anima Purgatorij sacrificium Missæ, accipit illa pro debito suo satisfactionem speciali modo applicatam: quid hinc ei deperit, si propter valoris infinitatem alijs etiam applicetur? Vnde illi, si fortè quereretur, responderi posset: *Tolle quod tuum est, & vade*: hoc est, satisfactione, quæ tibi competit accepta, conquiesce, & gloria fruere: quod si animabus alijs idem sacrificium propter valorem ipsius infinitum modo generalissimo prodesse velim; quid ad te? *Tolle quod tuum est, & vade: idest, recipe mercedem tuam, & vade in gloriam: volo autem, & huic nouissimo, idest gentili populo dare secundum meritum, sicut & tibi*.

Matth. 20.

S. Rem. ibi.

Liberalitas erga aliquẽ nulli iniuriosa est.

Clauem immitto pulcherrima clausula, quam moriens Iacob testamento suo apposuit, dicens: *Ephraim, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi*. Quod tantumdem valet, acsi diceret: quod isti duo Nepotes filij Ioseph tantum in terra promissionis acciperent, quantum alij Iacob filij essent accepturi: sic enim præfata verba versat Lyranus. *Quilibet eorum*, inquit, *in terra promissionis, ita accipiet promissionem suam, quando diuidetur, sicut filij mei naturales*. Deinde addidit: *Reliquos autem, quos genueris, nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis*. Ergo non solum Nepotes, qui iam viuebant, sed alios postmodum futuros in possessione terræ illius exæquauit: quod maxime ponderandum est, & mysterium continet instituto nostro aptissimum: etenim bona illa benedictioni Iacob colligata quodammodo erant: vnde singulis filijs suis peculiares benedictiones impertiuit. *Benedixitque singulis benedictionibus proprijs*. Obtineant hereditatem illi qui viuunt: at qui lucem hanc hactenus non aspexerunt, cur iam heredes instituuntur? Verum respondet D. Hieronymus, Iacob nullam partem futuris nepotibus assignasse, sed partem habere in aliorum hereditate præcepit. *Non accipiant*, inquit, *terram separatim, nec funiculos proprios, sed in tribus Ephraim, & Manasse, quasi appendices miscebuntur*. At quæ ratio impulit Iacob, vt nepotes æqualem cum filijs partem obtinerent, & alij, qui postea nascerentur, bona possiderent, quæ filiorum erant, & proinde ad Nepotes nullatenus pertinebant? Si nihil in particulari ad eos pertinebat, cur præcipit, vt generatim ad omnium hereditates admittantur? Porrò ex ipso successionis nomine dubitationis solutio eruitur: ergo Terra illa promissionis propter suam abundantiam omnibus sufficiens erat. Et ideo potuit Iacob quibusdam partes suas speciatim possidendas tradere, & pro alijs ita disponere, vt generatim eadem bona heredirent, quæ ab alijs possidebantur: quia terræ illius vbertati non obstabat, quominus ita obueniret hereditas. Hinc nostri instituti imago. Nam terra illa cum fructibus suffragia repræsentabat, & Iacob Christi figuram gerebat.

Gen. 48.

Lyr. ibi

Gen. 49.

S. Hiero. in quæst. Hebr.

bat. At vero Christus in Eucharistia, & Missæ sacrificio bonorum omnium memoriale quoddam constituisse videtur, iuxta illud apud Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* vbi addit Lyranus. *Existendo in hoc Sacramento Eucharistiæ, vbi est totus Christus.* Dum autem, ait, vt filij, hoc est animæ ius in hæc bona habeant, dum pro illis modo offeruntur speciali, nihilominus sicut Iacob nepotibus, & alijs postmodum nascituris indulsit, vt in eadem terra possessionis partem obtinerent; sic etiam Christus, non solum animabus iustorum apud nos viuentium prodesse voluit Missæ suffragium, sed etiam animabus Purgatorij, quæ modo generalissimo, propter infinitum illius sacrificij valorem, fructus eius percipere valeant: ita quod illi, pro quibus offertur, quasi iure suo sacrificij fructu gaudent: alij quibus non speciatim applicatur, modo generalissimo, propter vnionem charitatis, infinitum sacrificij valorem, & diuinæ misericordiæ dispositionem, fructus participes efficiuntur. *Non accipiant terram separatim, nec funiculos proprios, sed in tribus Ephraim, & Manasse quasi appendices miscebuntur.*

Matth. 28.

Lyr. ibi.

Sacrificium Missæ omnibus vnitis charitate prodest.



CAPVT X.

Quod grauiter errant qui culpis præpediti suffragia pro animabus offerre desistunt: quia licet ob valoris defectum non satisfaciant; effectum impetrationis tamen obtinent.



DIVI Bernardini Senensis sententia est suffragium pro anima Purgatorij à peccatore oblatum, illi prodesse. *Licet enim*, inquit, *homo peccator sit, & faciat aliquod bonum pro animabus Purgatorij; tamen illud bonum, potest valere ipsis animabus.* Hæc ille. Quod si obieceris opera à peccatore facta mortua esse, & proinde ei minime proficua, igitur neque animabus prodesse poterunt: quoniam si operanti nō prosunt, quomodo illis, pro quibus offertur, fructuosa existent. Respondebit hoc idē sibi obijciens. *Bona quæ peccator facit in peccato mortali, non valent sibi: sed quomodo valebunt animabus in Purgatorio existentibus, quia videtur quod non potest plus conferre alijs quam in se habeat?* Nihilominus adiungit. *Quarta veritas est ista, quod dato quod non valeret illud bonum pro parte illius, qui illud facit, poterit valere respectu sanctæ Ecclesiæ, sicut si hæreticus dicit missam. Nam illa missa non prodest illi hæretico, immo tendit ad eius damnationem: tamen, si dicit secundum ordinem Ecclesiæ; illa missa parit meritum Ecclesiæ, & meritum Christi, & applicatur bonis.* Hæc ille, ex quibus deduces neminem, etsi in peccato existat, debere à suffragijs pro animabus Purgatorij offerendis cessare, quia licet operanti non prosint, *Illud bonum potest valere ipsis animabus.*

D.Bern. Serm. 15. de Purgat. to. 4.

S. Bern. Serm. vbi supra.

S. Bern. vbi supra.

Missa ab hæretico dicta ratione operis operati Ecclesiæ prodest.

Alia ratione res eadem confirmari potest. Nam, vt sentit Scotus, quilibet homo, etsi in peccato sit, bonis tamen operibus satisfacere poterit: licet enim hæc mortua sint, & proinde merito ad vitam æternam careant; nihilominus quo ad temporales pœnas, quas debet, pro se valebit satisfacere. Vnde sequitur, quod etiam pro pœnis Purgatorij satisfacient, quoniam hæ temporales sunt; atque adeò non proinde quod aliquis in peccato existat pro animabus purgatorij suffragia offerre desinat, quia ipsis verè prosunt. Iterum S.Bernardinus. *Talis hominis suffragia, & cætera eius bona, nec sunt vtilia ad gloriam sempiternam, eo quod mortua sunt: tamen defunctis dupliciter prodesse possunt, secundum Franciscum de Mayronis. Primò, quia opera mortua secundum omnes proficiunt ad temporalia bona; sed talia bona sunt, quæ acquiruntur per talia suffragia supradicta, cum Purgatorij pœna temporalis sit. Secundò, quia opera mortua satisfactoria sunt, cum homo existens in mortali culpa possit satisfacere pro se ipso, licet non sint meritoria*

Scot. in 4. dist. 15. q. 1.

S.Bern. serm. 65. ar. 3. c. 3. tom. 3.

Franc. de Mair. ibi.

Mortua opera vni, alteri esse possunt viua, & vtilia.

ad

Scotus in 4. dist. 15. q. 1.

ad æternam vitam, sicut dicit Scotus in 4. dist. 15. q. 1. Hactenus ille. Dum autem I gis, peccatorem mortuis operibus posse satisfacere, si eã pro animabus Purgatorij offerat, non de omnibus operibus absolutè intelligendum hoc esse arbitreris: Sed distinctione vtendum est. *Si enim aliquis malus orat, ieiunat, vel aliter se affligit pro aliquo alio; tunc non credo quod valeant pro defunctis.* Non tamen proinde erunt dimittenda, quia alio modo prodesse poterunt. *Quamuis sis in peccato*, ait S. Bernardinus, *non cesses orare pro defunctis, & facere eleemosynas, & alia bona pro eorum animabus: quia etiam orabunt pro te, quod Deus det tibi gratiam pœnitendi, & conterendi de tuis peccatis.*

S. Bonau. in 4. dist 45.

D Bern serm 15. de Purg.

S. Bern. ser. 15. de pur. tom. 4.

Nec in peccatis cessandum est a bono opere

Sed iam ex sacris litteris propositæ doctrinæ fulcimentum adhibeamus. Et primò sese offert Ionas in mari naufragus, & à cęto deuoratus. Cum enim à nautis in mare proijceretur in ventre piscis reclusus, preces ad Deum fudit. *Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, & dixit. Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me.* Miratur hoc loco Theophilactus, quomodo, qui tam grauiter Deum offenderat, ausus fuerit ipsum orare, prudenter tamen hoc fecit. *Non ignorans autem, quod offenderit Deum, per hoc quod ministerio legationis fungi noluerit, conuertitur ad precationem.* Quo pudore, qua fronte? Dei misericordiæ fisus, qui orantem audiuit, & misericorditer liberauit. *Quique olim in sola Hierusalem Deum apertè apparere arbitrabatur, nunc ipsum in aluo cæti præsentem reperit, gratiasque agit illi, quod se iuuauerit.* Ergo, dicas, peccatorem Deus exaudiuit, & propter orationem liberauit, ac si peccator non esset. Audiuit quidem, sed eius petitioni minimè respondit; cæto tamen imperauit, vt in litus euomeret. *Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* Cæterum cur oranti non loquitur? Ratio est, quia propter inobedientiam à Dei gratia exciderat, & diuino colloquio indignus erat. Quia tamen pro anima sua in afflictione constituta orabat, & figuram animæ Purgatorij sustinebat: aliter profecit oratio; quia licet peccator sit ille, qui orat, & oratio propter valoris defectum ad suffragium, & satisfactionem non deseruiat; nihilominus ad impetrationem conducit, vt nunquam desit, qui pro animabus oret; non aliter quam peccatori proficua est, vt bonam fortunam, & ex resultantia gratiam habeat, sicut idem S. Bernardinus affirmat. *Ego dixi quod confert peccatori bonum quod facit, in habendo bonam fortunam in hoc mundo, et valet sibi (de ribalzo) ad consequendum propter illud gratiam Dei, & contritionem peccatorum suorum; & sic huiusmodi valet existenti in Purgatorio: quia existens in Purgatorio habet pœnas temporales, ideo illud bonum potest valere ad abbreuiandum illam pœnam, quæ est temporalis, quia valet peccatori (de ribalzo) ad gratiam consequendam, & ad fortunas, & honores quantum ad bona temporalia in hoc mundo.* Hactenus ille, vnde iam liquet, quid in præsenti statuendum sit: quoniam si peccatoris oratio non satisfacit, quia tamen habet impetrationis effectum; quando Ionas pro anima afflicta deprecatur, non ei respondet Dominus, quia eius oratio valore destituitur: impetrando tamen proficit, vt bonam habeat fortunam, dum à cæto deuoratus iterum in litus euomitur, & pœna quam in alueo piscis detentus patiebatur finem habeat: & ideo, *Non ignorans quod offenderit Deum, conuertitur ad deprecationem.* Fideles hac ratione docens, ne quia in peccato sunt ab oratione desistant, quia eiusmodi oratio, licet satisfaciendi pretio careat, impetrationis effectu non fraudatur. *Et sic huiusmodi valet existenti in Purgatorio.*

Ionæ 2.

Theophilact. in hunc loc.

Præsens est Deus etsi nõ appareat, vel cernatur.

Inobedientia indignũ facit diuino colloquio.

Opera in peccato facta prosunt, & remunerationem obtinent.

S Bern. Sen serm. 15 de pur. t. 4.

Impetrat oratio etsi nõ satisfaciat.

Confirmari potest ex Ioanne cap. 5. vbi refert Paralyticum triginta, & octa annis lecto affixum, Christi beneficio sanitatem recepisse. Cum enim Christus Piscinam ingrederetur, & miserum hominem ibi inspexisset, interrogauit eum an vellet sanitatem recipere. *Vis sanus fieri?* Cui Paralyticus, hoc mihi in votis est, respondit. At hominem non habeo, qui me in Piscinam mittat cum mota fuerit aqua. Sed hic miraberis Christi interrogationem

Ioann. 5.

quid

quid apertius sanitatis desiderio, quo paralyticus tenebatur; siquidem sanitatem expectando tandiu in piscina morabatur: vt quid ergo an sanari velit interrogat, rem adeò notam, & sibi manifestam? Respondet Caietanus. *Non petit, vt cognoscat voluntatem infirmi, quæ cuilibet erat per se nota, sed vt excitet eum ad aliqualiter petendum opem ab ipso; vt vel sic disponatur ad perceptionem beneficij.* Iacet in lecto paralyticus ad postulandam opem mutus, & quasi Christi salus eius interesset ipsum ad petendum sanitatis beneficium solicitat. Et vero illa Christi interrogatio quædam redargutio fuit, quasi diceret. O te miserum, qui cum infirmitate premeris præsente medico siles, nec auxilium imploras! aperi ostium, postula sanitatem, & absque mora recipies. Conticescit adhuc infirmus, & nihil postulat. Fortè hæc petendæ sanitatis incuria culpabilis est? Dixerim non esse culpabilem, quia ille in peccati pœnam ægritudine percutiebatur, vt illa Christi admonitio indicat. *Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Certè D. Chrysostomus, infirmitatem peccatis attribuit, vbi, inquit, prius discimus quod ex peccatis, ei nata est hæc ægritudo. Igitur iste in peccato erat. Ergo pro se deprecari minime debuerat, certus quod oratio valore destitueretur. Cur vero Christus petendi negligentiam arguit, & ad petendum excitat, cum peccato impeditus petere non debuisset? Respondeo. Paralyticus pœnam sustinebat temporariam, etsi diuturnam, & pœnas Purgatorij significabat: dum autem peteret, quid aliud agebat quam postulare, vt pœna temporalis finem haberet? Quamquam vero peccatoris suffragium propter valoris defectum ad satisfactionem non prosit; nihilominus impetrationis effectu non fraudatur, sed bona temporalia in hoc mundo consequitur. Hinc est, vt à Christo redarguatur, quod sanitatem non postulet. Vbi docemur, quod licet in peccato simus, orationem non dimittamus, sed animas purgatorij suffragijs adiuuemus. Quamuis enim deficiente valore non satisfaciant, impetrabunt, vt pœna illa temporalis, quam sustinent, finem habeat. Iure ergo paralyticum silentem reprehendit, & ad petendum solicitat. *Non petit, vt cognoscat voluntatem infirmi, quæ cuilibet erat per se nota, sed vt excitet eum ad aliqualiter petendum opem ab ipso; vt vel sic disponatur ad perceptionem beneficij.* Videri mus hoc loco ne eiusdem criminis rei simus, si propter peccati conscientiam ab oratione desistamus. Error est reprehensione dignum tale silentium: clamandum namque est, & diuinum auxilium implorandum: quia etsi oratio non satisfaciat, impetrationis tamen effectum habet, & animabus Purgatorij, modo iam explicato, proficua est, & ad pœnæ exitum festinandum aptissima.

Ex hac doctrina illorum negligentia redarguitur, qui in offerendis suffragijs pro animabus Purgatorij desides sunt, & obliuiosi, cum nihil sit, quod nos ab orando retrahere debeat: siquidem orationes illorum, qui in peccato sunt, esto ad satisfactionem, non audiantur, ad impetrandum tamen vtiles sunt. Et quid mirum, si fidelium orationes hac ratione sint fructuosæ, cum etiam infidelium auditionis meritum habuerint, vt cernere est. Actorum 10. vbi de Cornelio gentili agitur, ad quem Angelus e cælo missus fuit, vt talia nuntiaret: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Et deinde ad Petrum Apostolorum Principem eodem Angelo monente remittitur; vt fidei instructionem ab eo accipiat. *Hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Cæterum inquirendum est cum D. Gregorio. Quid orabat iste, si non credebat, & si infidelis, quomodo exauditus fuit? *Si enim, inquit, vere, & ante Baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat.* Quo aspectu gessit ista Deus, & noluit, vt Angelus Cornelium instrueret, sed ad Petrum remisit. Dicam. Cornelij oratio propter infidelitatem valore destituta ad satisfactionem non proderat; & ideo ab Angelo non instruitur, vt autem daretur intelligi orationem, quæ deficiente valo-

re

Marginalia (left): Caiet. ibid. — Præuenit Deus, vt ad orandum excitet, & ad recipiendū disponat. — Ioann. c. 5. — S. Io. Chrys. hom. 37. — Propter peccati non est oratio dimittenda.

Marginalia (right): Crimē est dimittere orationem ob peccati conscientiam. — Act. 10. — S. Greg. hom. 10. sup. Ezec. — Faciliter impetrat qui à Deo perfici postulat.

re non satisfacit, impetrationis effectum habere: quamuis oratio Cornelij, deficiente fide, carebat valore, saltem impetrauit, vt Deus ad Petrum remitteret, à quo fide christiana imbutus Baptismum suscepit. Sed iam ad rem nostram. Si Gentilis hominis oratio fide destituti valorem non habet; & tamen impetrationis effectu non fraudatur, cur de Christiano id inficiabimur: præsertim, si animabus Purgatorij compatiens, pro illis Deum oret? Nemo igitur quamuis gratia Dei careat, pro animabus preces ad Deum fundere desistat, sed frequenter oret, certus, quod licet oratio satisfactionis effectu careat, impetrationis beneficium consequetur. *Nam ei*, hoc est Cornelio, inquit Gregorius, *per Angelum dicitur: orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei.*

Cæterum, quia animus mihi est fidelium affectus excitare, vt animabus purgatorij benefaciant, & oblatis suffragijs illas à tormentorum acerbitate eripiant; ausim dicere, non solos qui Deo sunt grati hoc facturos, sed etiam qui in peccato sunt, quoniam adeo gratum Deo est pro defunctis orare, vt quasi ad orantium peccata conniueat, & veluti non videndo dissimulet: vt sic orationes peccatorum, saltem impetratiue animabus in Purgatorio existentibus proficiant. Supra fidem hæc videntur: cæterum ex sacris litteris probari non mediocriter possunt.

Peccatores etiam oratione proficiunt in purgatorio existentibus.

Sceptrum Israeliticum tenebat Ioachaz profligatis moribus homo, cuius nequitia omnes alios superabat. *Fecit malum coram Domino.* Et quod malum fecit, seu quid non sceleris commisit? Audiendus est Abulensis. *Scilicet fuit idololatra, istud enim erat malum, quod faciebant Reges Israel, nam alia, mala in comparatione huius non vocabantur.* Non distulit Deus scelerati supplicium, concitauit enim contra ipsum Hazaelem Siriæ Regem, & eius filium Benadab, qui bellum atrocissimum aduersus Ioachaz administrantes in extremas angustias redegerunt: quibus compulsus ad orandum Deum se contulit, & ab eo auditus pacem cum hostibus inijt, & Regni calamitatem auertit. *Deprecatus est autem Ioachaz faciem Domini, & audiuit eum Dominus.* Quod Hugoni Cardinali tantundem est, ac si diceret. *Misertus est eius, deditque ei pacem in diebus suis.* Cohæret Abulensis, cuius hæc sunt. *Audiuit eum Dominus condescendendo precibus eius, & liberando de manu Cyrorum.* At dices: quis Deum impulit, vt Ioachaz postularis annueret? Nam propter orationem hoc non fecisse certum est, si quidem peccatoris oratio mortua erat merito, & valore destituta. Quare ergo audiuit? Abulensis hanc Dei exauditionem ad populi miserationem retulit: atque adeo, non propter Ioachaz, sed propter populum, belli calamitatem pace reddita auertisse restatur. *Non exaudiuit Dominus principaliter preces Ioachaz propter merita, vel deuotionem eius: sed potius propter afflictionem Israel.* Vrget tamen difficultas, si enim propter scelera Ioachaz audiri non merebatur: cur non solum audiuit, sed insuper liberauit? Quod si propter populi afflictionem hoc facit: cur Regis orationem expectauit, quasi propter illam populo misertus fuerit? Quod Diuinæ æquitati contrarium videtur, vt fœtidæ peccatoris preces ad ipsius conspectum ascendant, & exauditionis meritum reportent; cum tamen omni merito, valoreque sint destitutæ. Nodū hunc soluit suprapofita Abulensis responsio. Orauit quidem Ioachaz, peruenit ad Dei conspectum Regis oratio, non tamen audiri merebatur. Cæterum videns, quod oratio illa pro populo in afflictione constituto offerebatur, ad orantis insufficientiam non attendit; nec eius peccata respicit: sed quasi ea non videat populo compatitur, & Orationi deferr, ac si valore, meritoque minimè careret. *Non exaudiuit Dominus principaliter preces Ioachaz propter merita, vel deuotionem eius; sed potius propter afflictionem Israel.* Sed iam inquiro. Plebs Israelitica in afflictione constitura nonne Purgatorij animas in pœnis detentas significabat? Ita quidem. Ergo, si illi, qui tormentis cruciantur, & pœnas sustinent Deum ad misericordiam, & compassionem impellunt; quasnam mihi pœ-

4.Reg.13.

Abulen. ibi.

Hugo Card. ibid.

Abulens. ibi

Compatitur affectis Deus, & ob ipsos exaudit peccatores.

Abulens. ibi.

Oratio insufficientos, compassionis occursu diuinæ, ad impetraodum fit sufficientos.

Abulens ibi.

nas, quæ dabis tormenta cum illis exequanda, quibus animæ in Purgatorio existentes cruciantur? Prorsus nullæ sunt. Ergo si Deus peccatoris orationem exaudit, cum pro Israel deprecatur, quia ipsi afflicto miseratur; quanto facilius nostras exaudiet preces, si quamuis peccatores simus, pro animabus Purgatorij offeramus. Ergo nullatenus in hac parte negligentes simus, sed omni cura, & sollicitudine animabus compatiendo orationes, & suffragia offeramus. Neque enim de nostra insufficientia timendum est, quoniam Deus, vt animabus opituletur, & eas à tormentis liberet à peccatis nostris oculos aueret, & in animatum miseriam conijciet; vt quasi non videns Orationis demeritum, illam exaudiat, & animabus auxilium præstet, quemadmodum cum Ioachaz factum animaduertimus. *Non exaudiuit Dominus principaliter preces Ioachaz propter merita, vel deuotionem eius, sed potius propter afflictionem Israel.*

[Illus tribuit Deus eius pro quo oratur indigentiæ, quam orantis merito.]

Nedum, quod non solis animabus oratio nostra prodetit, sed etiam in sinum nostrum conuertetur, & pœnæ quas in hac vita patimur, in requiem mutabuntur, atque in hoc mundo adhuc viuentes iam in cælesti beatitudine constituti iudicabimur. Hine filio suo consulebat Tobias, dicens, *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue:* seu, vt in Hebræo legitur. *Non sit durum in oculis tuis panem tuum, & vinum tuum effundere super sepulchra.* Porrò dum ita consulit, nihil aliud intendit, quam vt filius requie, & sanitate fruatur. Ad hoc autem nihil salubrius inculcare poterat, quam vt suffragia pro defunctis offerret. Et vero panis ille, & vinum supra sepulturam mortuorum constituendum sacrificium Missæ designabat, quod pro animabus Purgatorij offertur. Hinc est illud Diui Ambrosij. *Non quod cibus, inquit, imperetur, aut potus, sed sacræ oblationis veneranda communio reueletur.* Prudenter igitur Tobias, vt filius vitam à pœnis liberam traduceret, vt pro animabus Purgatorij suffragia offerat, adhortatur: quia hæc est eorum virtus, vt dum animabus requiem parant, nobis etiam vitæ huius pœnas mutent in delicias, & tormenta in requiem, oblectamentaque permutent.

[Oratio in sinum orantis conuertitur.]

[Tob. 6.]

[Suffragia pro mortuis viuorum saluti, & sanitati proficiunt.]

[D. Ambros. lib. 7. in Luc.]

FINIS LAVS DEO.





INDEX CAPITVM OMNIVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.



men obtinuit. *Babylon magna.* Tunc Nabuchodonosor illius ædificatorem se prædicat; quasi tunc Regni sui gloriam, & splendorem cumulauerit.

Nunc igitur fas mihi sit proposito instituto rem hanc adaptare. Quando vrbs beata Hierusalem magnæ nomen obtinebit? Plane quando intrantibus in eam animabus purgatorij maior erit iustorum frequentia, & multitudo, qui gloria perfruuntur. Et tunc Christi regnum, maiestas, & gloriæ amplitudo augebitur: licet enim curia illa cælestis magna sit; tunc maior apparebit, quando plurimæ animarum myriades illuc ingredientur. Cum autem hæc vrbis cælestis magnitudo mediantibus suffragijs contingat; nam dum illa offeruntur in terris, & probantur in cœlo, intraturis animabus portæ referantur, & Christi regnum crescit, augetur maiestas, & gloriæ splendor amplius illustratur. Quid ergo mirum si statuimus, adeo magnam esse suffragiorum efficacitatem, vt pro animabus oblata hoc præstent. Atque adeo sicut Nabuchodonosor quasi Babylon antea non fuisset extructa, sed ab ipso nouiter ædificata, quia ædificijs auxerat, & propugnaculis munierat, ac Regni sedem constituerat, fundatorem illius se iactauit, dicens. *Hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui.* Non aliter Christus cœlorum Rex, ac Dominus, quamquam vrbem cœlestem Hierusalem antea fundauerat, & Regni sedem fecerat, intrantibus in eam suffragiorum interuentu animabus, & crescente beatorum frequentia, & multitudine, quasi tunc de nouo ædificauerit, dicere potest. *Nonne hæc est ciuitas Hierusalem magna, quam ego ædificaui in Domum, & sedem regni in robore fortitudinis meæ.* Non quia non antea ædificasset, sed cum nouum Regni decus, maiestatis decorem, & gloriæ claritatem tot animarum accessione fuerit mutuatum, ac si tunc Rex esse inciperet, Regiæ ædificator prædicatur, sanctæque illius vrbis fundationem sibi attogat.

Cœlestis Ierusalem nouis accedentibus colonis quasi de nouo ædificatur.

Suscitatus à mortuis Christus postquam sanctorum Patrum animas ab inferis extrauit, iisque associatus superas remeauit ad auras, Apostolis ita loquitur. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Quænam autem, quærit hoc loco Diuus Chrysostomus, potestas Christus nunc data sibi fateatur? Porrò quænam? Ipse enim ait, *Omnia quæcunque habet pater, mea sunt.* Et Ioannes de ipso affirmat. *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus.* Quinimò, vt testatur Dauid, *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Quare ergo potestatem modo sibi datam perhibet? Respondet D. Chrysostomus. *Hoc non de coæterna Patris diuinitate, sed de assumpta dicit humanitate, in qua minor Angelis, gloria, & honore coronatus est, & omnibus superpositus.* Adhuc tamen sciscitor. Potestas hæc Christo velut homini concessa, non ne magna semper extitit, ita vt inferis terrorem incusserit, & creaturarum omnium obedientiam, obsequiumque extorserit, iuxta illud D. Pauli, *In nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium terrestrium, & infernorum?* Ita plane: sed nunc datam sibi affirmat, cum eductis e Limbo sanctorum animabus redituus triumphat. *Quia, nisi potestatem super inferna habuisset, victor ab inferis non resurrexisset.* Ex magni Albetti sententia. Itaque quod iam antea possessione tenebat, nunc datum sibi testatur. Quandiu enim animæ sanctorum Patrum temporariam illam damni pœnam sustinebant, nec ipsum associabant, & gloria fruebantur, tantum hoc ipsi displicet, vt nec Regnum, nec potestatem accepisse videatur. Postquam vero ad inferos descendens, sanctorum animas ab inferis eduxit, ac triumphabundus in vitam redijt, tunc quasi de nouo Regnum potestatem, gloriam, illiusque splendorem acceperit, *Data inquit, est mihi omnis potestas in cælo, & in terra,* quam absque iustarum animarum consortio non accepisse videbatur. *Quia, nisi potestatem super inferna habuisset, victor ab inferis non resurrexisset.* Cum ergo, accedentibus suffragijs; animæ a pœnis liberæ in cœlum euolent, & Christum in gloria comitentur, ex earumq comitatu ipsius gloria quasi denouo proueniat,

Matth. 28.

Ioann. 16.

Ioann. 13.

Psal. 134.

D. Chrysost. hom. 91. in Matth.

Christo homini data potestas omnia super [illegible].

Ad Philip. 2.

Alber. Mag. in [illegible]

Potestas illa Christi consecutionis quasi completur in glorificatione Patrum.

niat, & potestas accipiatur, mirum non est, si astruamus tantam esse suffragiorum efficacitatem, vt ipsis in terræ oblatis, & in cœlo probatis, Christi regnum augeatur, crescat maiestas, & gloriæ splendor maiora capiat incrementa.

Finem imponat festiua Angelorum acclamatio, qua Christo in cœlos ascendenti applaudentes, alij alios adhortabantur, & dicebant. *Attolite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*: Quo audito alij interrogabant. *Quis est iste Rex gloriæ*? Vt quid ita quærunt quasi eum non agnoscant? nonne descendentem è sinu patris ad terras inspexerunt? quare nunc reuertentem quasi non agnoscentes dicunt. *Quis est iste Rex gloriæ*? Qui ascendit, ipse est qui & descendit. Cæterum, *Admiratiuè*, inquit Lyra, *hoc dicunt, quia excellentia gloriæ eius, & honoris omni est creaturæ admirabilis*. Cæterum æque admirabilis esse debuit gloria descendentis, atque ascendentis. Cur ergo nunc ascendentem admirantur, & quasi excelsiori, & ampliori maiestate fulgenti applaudunt? An illa humanitatis gloria maior esse potuit quam Diuinitatis? Absit. Quid igitur hic de nouo inspiciunt, vt in has admirationis voces erumpant? Dicam: æqua semper fuit in Christo potestas, eadem maiestas, & gloriæ splendor. Cæterum, cum Angeli nunc tot animabus, quas è pœnis liberauerat, sociatum aspiciant, tantum gloriæ, & splendoris ab huiusmodi liberatione accepisse animaduertunt, vt quasi tunc nouus esset Rex, & nouam induerat maiestatem, ampliorique splendore gloriæ clararesceret, admirabundi sciscitantur: *Quis est iste Rex gloriæ*? Admiratiuè dicunt: quia excellentia gloriæ eius, & honoris omni est creaturæ admirabilis. Si ergo iustorum societas, quos è pœnis liberauit, tantum ei contulit splendoris, vt quasi incognitum Angeli admirentur, & dicant: *Quis est iste Rex gloriæ*? Quid mirum, si suffragiorum efficacitate animas in cælum traduci, & cælestem curiam implerit, statuamus, ac vbi primum offeruntur in terris, & in cælo probantur, Regnum Christo, ipsique maiestatem augeri, & maiorem gloriæ splendorem cumulari ideoque indesinenter à fidelibus offerenda.

Psal. 23.

Lyr. ibi.

Liberatio animarum Christo splēdori est.



CAPVT VIII.

Quod Missæ suffragium, quod pro particularibus defunctis celebratur, tantam habeat virtutem, vt iusti omnes, tam viuentes, quam animæ Purgatorij ex eo participent.



FIDEI Christianæ dogma est, fidelium congregationem, quos vna fides, ac doctrina coniungit, quique sub Christo capite viuunt, atque ab ipsius Vicario Romano Pontifice gubernantur, & conseruantur existere: extra quam nemo salutem æternam consequi valet. Sic definitum est in Concil. Trident. sess. 7. canon. 3. *Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & Magistra, &c.* & sess. 14. cap. 3. *Nec profectò Ecclesia Romana aliarum omnium mater, & Magistra*, & sess. 22. cap. 8. *Quamobrem retento, vbique cuiusque Ecclesiæ antiquo & à sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra*. Quibus accinit Petri Canisij explicatio in lib. de fide, & symbolo ad illa verba: *Sanctam Ecclesiam Catholicam*. vbi sic ostendit: *Ecclesiam Christifidelium visibilem congregationem, quæ vna est consentiens in fide, & doctrina Sacramentorum*. Et paulo inferius. *Quæ sub vno capite Christo Iesu Domino nostro, vnoque eius vices in terris gerente Pontifice Romano regitur, & conseruatur; nec vllus extra huius consortium sanctitatis particeps esse potest*. Itaque huius Ecclesiæ pulchritudo in eo consistit, vt membra fidei vnione inter se inuicem colligata sub vno capite Christo, &

Conc. Trid. l. 7. c. 3. sess. 14. c. 3. sess. 22. c. 8.

Ecclesia Romana omniũ aliarum mater.

Petr. Canis. de fide, et symb. ar. 9.

eius Vicario consistant; merita, & orationes, ac reliqua virtutis opera ad inuicem communicent, iuxta illud: *Sanctorum communionem*, in symbolo contentum, quod catholici omnes fatentur.

Nunc autem inquiro. An hæc communicatio viæ huius limites excedat, ita quod in patria degentibus prosit? affirmatiuè respondet Canisius. *In eademque sancta Ecclesia asserimus esse communionem, vt qui in eadem domo Dei, & familia versantur, societatem quandam, & vnionem seruent indiuiduam, vt, sicut vnius corporis membra, mutuis officijs, & orationibus se inuicem iuuent. In qua quidem communione non modo sancti Ecclesiæ militantis in terra peregrinantes, verum etiam beati omnes Ecclesiæ cum Christo in cœlis felicissimè triumphantis, ac insuper piorum animæ quæ ex hac vita egressæ, non dum tamen illam beatorum felicitatem sunt consecutæ, simul comprehenduntur.*

Cani vbi sup. ar. 9.

Viatores cū existētib in cœlo, & Purgatorio vnionem habēt.

Hoc posito, quærendum est. An si quis pro vna Purgatorij anima V. G. Ioannis, Missæ sacrificium offerat, omnibus alijs in eo pœnarum loco degentibus prosit? Scotus affirmat, cuius resolutio, vt percipiatur, tres meritorum gradus attendēdi sunt. *Potest autem meritum in triplici gradu intelligi, vno modo specialissimè, alio modo generalissimè, tertio modo specialiter.* Primo modo sacerdoti competit, quoniam si in gratia celebrat, esto pro alio id faciat; primo sibi prodest: quia ille impulsus, & charitatis intentio, qua ducitur ad Missam celebrandam, ei profuit; atque illius comparatione meritum dicitur specialissime consideratum. Secundo generalissimè, iuxta quod vniuersæ Ecclesiæ, eiusque fidelibus tanquam membris prodest, vt dicitur. *Sanctorum communionem.* Beatos excipe, qui eiusmodi adiutorio non indigent. At Purgatorij animæ simul cum viuentibus sacrificij participes fiunt propter habitualem intentionem, quam habet celebrans, vt pro omnibus fidelibus oret, quamuis animarum non meminerit; sat est quod dicat: *Orate fratres, vt meum, ac vestrum sacrificium acceptabile.* Si ergo charitatis vinculum animas Purgatorij cum viuentibus coniungit, quandoquidem sacrificij fructum non solum sacerdos, sed viuentes participant, etiam animæ Purgatorij illum participabunt. Atque adeo licet Missa pro vno offeratur, omnibus alijs proderit, non solum viuentibus, sed ijs, qui in Purgatorio degunt. Et hoc est meritum generalissimè consideratum.

Scot. quol. q. 20.

Triplex meriti gradus.

Cæterum obstare videtur tertia meriti consideratio, videlicet, specialiter. Nam si hoc modo Missa pro vno celebrata ad illum solummodo pertinet; hoc enim sonant termini, *Tertio modo specialiter*; iam alij fructum illius non acquirent, vel si acquirunt, quomodo specialiter ad ipsum pertinere affirmabitur? Dupliciter respondet Sotus. *Suffragium*, inquit, *peculiariter oblatum pro singulari defuncto, licet ratione charitatis, in qua fundatur, prosit quibuscumque in ea existentibus; nihilominus simpliciter plus prodest illi, pro quo offertur, quin vero ratione satisfactionis, illi soli.* Ita ille: Vnde sequitur Missam pro vno oblatam primò, & per se ei prodesse, hoc est speciali modo: secundo alijs in eadem charitate coniunctis, siue viuentibus, siue in Purgatorio constitutis, hoc est generalissimè. Vbi nulla cernitur repugnantia: ideoque non immerito statuimus Missam pro vno peculiariter oblatam, alijs etiam profuturam esse, propter vnionem charitatis, qua inuicem copulantur.

Sot. in 4. dis. 45. q. 2. ar 4. Co. 1.

Sacrificium Missæ omnibus in gratia existentibus prodest.

Secundo ait Sotus. *Id quod in sacrificio offertur est per se infiniti valoris, est enim corpus, & sanguis Christi, quæ cum sint diuinitati coniuncta, sunt suppositi infinite grati: & ideo in quantum est de se, ad infinitum effectum sufficeret, sed quantum ad efficaciam habet taxatum effectum.* Hinc sequitur Missam oblatam pro anima Ioannis V. G. ipsi peculiariter prodesse dum suum terminat effectum, & alijs ratione infiniti valoris generalissimè profuturam. Exemplum fit. Habet eques decem millia ducatorum annui redditus, soluit clienti ducenta pro stipendio, quis vetat vt reliquam pecuniam quibus velit, distribuat. Atque adeò cliens ille modo speciali, & ter-

Sot. in 4. dis. 11. q. 2. ar. 5.

Tantæ efficaciæ sacrificium Missæ quantum in diuina acceptatione.

mi-

minato redditibus Patroni fruitur, & alij modo generalissimo: non aliter in sacrificio Missæ contingit, quæ pro vno specialiter oblata, terminatum, quoad efficaciam, effectum habet: vnde pro ipso satisfaciet, quidquid satisfaciendum superest: respectu tamen infiniti valoris, multum superest, quod pro alijs offerri possit, atque ipsis prodesse. Vbi nulla inuoluitur contradictio; siquidem sacrificium illud vni applicatum totam vim suam non exhaurit, sed infinitum adhuc restat, quod alijs applicari potest. Hinc est, vt Missa pro vno celebrata, modo speciali terminando quoad efficaciam effectum, ei quoad satisfactionem profit: nihilominus, propter suam infinitatem, alijs etiam, tam viuentibus, quam in Purgatorio constitutis, modo generalissimo proficua erit. Quoniam, *In quantum est de se, ad infinitum effectum sufficeret.*

[Margin: Missa ita pro vno satisfacit, vt superest pro alijs satisfaciendi vis.]

Aliter exponit Diuus Bernardinus hanc extensionem, qua sacrificium pro vno celebratum alijs prodest, videlicet, propter mutuam charitatem, qua Purgatorij animæ se inuicem complectuntur. Charitas autem proximi bono congaudet. Vnde, cum videant animam suffragij merito à pœnis liberatam, lætantur, & pœnarum leuamen sentiunt; atque adeò suffragium illud, illis etiam prodest. *Quia*, inquit, *se inuicem diligunt ex charitate, nec sibi inuident aliquo modo, ideo omnes gaudent de illius pœnæ alleuiatione, pro quo suffragia facta sunt.* Quinimo, etsi Dei iustitia summum erga illos, qui purgantur rigorem exerceat, attamen misericordia eiusdem infinita res ita disponit, vt Missa, quæ pro anima particulari offertur, alijs etiam diuersimodè prosit, vt explicatum est. Iterum Sanctus Bernardinus. *Sed secundo modo facta pro vno alijs prosunt, quia Dei misericordia prouidente suffragia pro quocunque in Purgatorio existente alijs omnibus innotescunt.*

[Margin: S. Bern. Sen. ser. 65. ar. 2 c. 3 r. 2.]

[Margin: Gaudium de bono alieno quodda leuamen est.]

[Margin: S. Bern. vbi supra.]



CAPVT IX.

Proposita doctrina scripturæ locis comprobatur.



GENESIS 18. scribitur Abraham domi suę tres peregrinos excepisse, quos precum instantia illuc pertraxit, & conuiuio recreauit. *Ponamque bucellam panis, confortate cor vestrum, postea transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerunt: Fac, vt locutus es.* Igitur Abraham conuiuium disposuit, vocatisque ad mensam hospitibus, præ vrbanitate illis prādentibus astitit, si Caietano fides est adhibenda. *Assistebat siquidem coram eis tum humanitatis, tum officij grātia.* Quinimo, vt expendit sanctus Chrysostomus, tantum voluptatis ex tali assistentia percipiebat, vt comedentibus illis, ipse etiam comedere videretur, & alimento recreari. *Adstabat*, inquit, *centenarius comedentibus illis: mihi videtur tunc præ gaudio, alacritateque multa imbecillitate sua factus superior, & robur quoddam accepisse.* Miraris quod comedentibus istis peregrinis Abraham solo aspectu reficiatur, & alacris vires nouas recipiat? Quis vnquam audiuit, vt quisquam cibi visione solummodo nutriatur? At magnum hic latet mysterium: etenim panis ille peregrinis appositus panem Eucharisticum significabat, qui pro animabus Purgatorij, quas peregrini repræsentabant, in sacrificio Missæ offertur. Dum ergo comedentibus illis Abraham vires dicitur recepisse perinde fuit ac si diceret, sacrificium Missæ pro peculiari anima Purgatorij oblatum, etsi pro illa specialiter satisfaciat, propter sui valoris infinitatem modo generalissimo alijs prodesse. Vel etiam, quia præ charitate hilarescunt, dum alias sacrificij

[Margin: Gen. 18.]

[Margin: Caiet. ibi.]

[Margin: S. Ioan. Chrys. hom. 41. in Gen.]

[Margin: Feruor charitatis non languescit ætate.]

beneficio à pœnis liberari conspiciunt, & interim leuamen aliquod sentiunt, sicut, comedentibus peregrinis, Abraham præ gaudio refici, & alacritatem recipere videbatur, quamuis nihil ipse comederet, sed tantum comedentibus assisteret. *Mihi videtur, tum præ gaudio, alacritateque multa imbecillitate sua factus superior, & robur quoddam accepisse.*

Operis boni fructus lætitia.

Placet Abrahami conuiuio alterum addere eodem mysterio clarum. Igitur, dum Ioseph in Ægypto esset, fratres suos frumenti gratia illuc euntes conuiuio excipit, loca, & cibos vnicuiq; pro ætate sua distribuens, quanquam Beniamin portio aliorum fratrum portiones quinque partibus excedebat. *Sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.* Et statim additur. *Sumptis partibus quas ab eo acceperant, maiorque venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Hic autem ciborum excessus reliquos in admirationem compulit. *Et mirabantur nimis,* sic aduertit ibid. Caietanus. *Admiratio hæc non quadrat sessioni ordinatæ, quia non est admiratione digna, sed quadrat distributioni subiunctæ, qua Beniamin prælatus apparuit omnibus.* Et vero hæc omnia Iosepho disponente fiebant, vel quia ministrantibus ita præciperet, vel quia ipsemet ministraret. *Sensus est,* ait Caietanus, *quod velà mensa Ioseph, vel ex cibis oblatis coram Ioseph primum distribuebantur alimenta, alijs conuiuis: & disponente Ioseph effectum est, vt Beniamin, qui vltimus sedebat, quinque portionibus excederet alios.* Ita ille. At verò admiratione dignum est, quod Ioseph non timuerit fratrum inuidiam aduersus Beniamin concitare, dum ipsum antelatum in mensa videbant; maximè, quia nouerat patris sui prælationem fratres contra se armauisse. Deinde fratres videndo quod iniuria illos afficeret, natu minimum præferendo, contra ipsum Ioseph excandescerent, & conuiuij fauorem paruipenderent, atque adeo pro gratia odium retribuerent. Totum hoc ad mysterium referre oportet. Porrò in eo conuiuio portio fratribus danda erat.

Gen. 43.

Caie. ibid.

Erunt nouissimi primi.

Caie. vbi sup.

Quod autem Beniamin quinque apponerentur; non proinde alij in ea conuiuij lautissimi abundantia portionibus suis carebant. Certè conuiuium illud Missæ sacrificiū referebat. Cōiuæ animarum Purgatorij figuram gestabant. Dum autem vnicuique datur sua portio; docemur sacrificium missæ modo speciali animæ, pro qua offertur prodesse: dum autem Beniamin quinquies duplicata portio apponitur, ostendit modo generalissimo, idem sacrificium propter suam infinitatem, alijs etiam iustis, & animabus Purgatorij profuturum.

Missæ sacrificium nulli non prodest idoneo.

Facit etiam in hanc rem, quod accidit in distributione terræ promissionis. Cum enim Iosue iactis sortibus terram illam filijs Israel distribueret, & nihil sibi sumeret, completis sortibus, Israelitæ ex terra, quæ ipsis obtigerat, partem Iosue meliorem dederunt. *Cumque complesset sorte diuidere terram singulis per tribus suas, dederunt filij Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui.* Itaque, vt aduertit Caietanus, alij forte obtinuerunt terram, Iosue vero, prout ei placuit illam fuit consecutus. *Datur,* ait Caietanus, *hereditas Iosue absque sorte:* Nec solum absque sorte, sed quod ei placuit, libenter dederunt *iuxta tamen suum beneplacitum,* commentatur ibi Lyranus. *Sicut ergo tribus aliæ sortibus iactis terram promissionis adeptæ sunt, & Iosue nihil obtinuit, nisi quod a tribubus accepit: quia terra illa capax erat, vt omnibus distribueretur; & subinde Iosue acciperet, quod tribus aliæ largirentur;* Hinc est, vt in sacramento Eucharistiæ, quod pro animabus purgatorij in missa offertur, licet alij pro sua parte quisque fructum percipiant, quod perinde est, acsi illud speciali modo participent, alij tamen, vt Iosue, absq; sortibus modo generalissimo satisfactionem illius adipiscuntur. *Datur hereditas Iosue absque sorte, iuxta tamen suum beneplacitum.* Non aliter accidit in animabus Purgatorij: cum enim pro qualibet in speciali sacrificium Missæ offertur, satisfactionem, quæ ipsi comperit, modo speciali consequitur, & alijs modo generalissimo prodest propter infiniti valoris æstimationem, quæ

Iosue 19.

Cai. ibid.

Lyr. ibi.

Certè ab enim quotia alicuius Iosue.

Dum nihil sibi accepit plus est melius accepit Iosue.

ad

ad omnes extendi poteſt.

Non longe diuerſus abit ab hoc inſtituto ſtylus ille, quem cum vineæ ſuæ operarijs vineæ Dominus obſeruauit: (Matth. 20) quoniam, vt Matth. cap. 20. refert, finito die, procuratori ſuo præcepit, vt vocatis operarijs mercedem illis reddetet, & ſolutionem à nouiſſimis inciperet: quo factum fuit, vt aliquorum contra ſe murmurationem excitaret. *Et accipientes murmurabant aduerſus Patrem familias, dicentes: hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus*. Certè videtur hæc operariorum obmurmuratio aliqua ratione fulciri. Si enim nouiſſimi vna tantum hora laborauerant, iniuſtum videtur, vt in ſolutione mercedis eos alijs exæquauerit, qui totum diem laborauerant? Quæ ratio ſuadet, vt æquali pretio maior, & minor labor compenſetur. Vnde iniuſtum videtur, vt eis, qui pondus diei, & æſtus portauerant, aliquid amplius non contulerit? Cæterum Pater familias obmurmurantibus reſpondens, omnem querelæ occaſionem præcidit. Quid ille? *Tolle quod tuum eſt, & vade*. (S. Rem. ibi.) Commentatur D. Remigius: *id eſt recipe mercedem tuam, & vade in gloriam. Volo autem, & huic nouiſſimo, id eſt gentili populo dare ſecundum meritum, ſicut & tibi*. (Liberalitas erga aliquē nulli iniurioſa eſt.) Pulchra eſt in rem noſtram Remigij reſponſio. Offertur pro qualibet anima Purgatorij ſacrificium Miſſæ, accipit illa pro debito ſuo ſatisfactionem ſpeciali modo applicatam: quid hinc ei deperit, ſi propter valoris infinitatem alijs etiam applicetur? Vnde illi, ſi fortè quereretur, reſponderi poſſet: *Tolle quod tuum eſt, & vade*: hoc eſt, ſatisfactione, quæ tibi competit accepta, conquieſce, & gloria fruere: quod ſi animabus alijs idem ſacrificium propter valorem ipſius infinitum modo generaliſſimo prodeſſe velim; quid ad te? *Tolle quod tuum eſt, & vade: id eſt, recipe mercedem tuam, & vade in gloriam: volo autem, & huic nouiſſimo, id eſt gentili populo dare ſecundum meritum, ſicut & tibi*.

Clauem immitto pulcherrima clauſula, quam moriens Iacob teſtamento ſuo appoſuit, dicens: (Gen. 48.) *Ephraim, & Manaſſes, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi*. Quod tantumdem valet, acſi diceret: quod iſti duo Nepotes filij Ioſeph tantum in terra promiſſionis acciperent, quantum alij Iacob filij eſſent accepturi: ſic enim præfata verba (Lyr. ibi) verſat Lyranus. *Quilibet eorum*, inquit, *in terra promiſſionis, ita accipiet promiſſionem ſuam, quando diuidetur, ſicut filij mei naturales*. Deinde addidit: *Reliquos autem, quos genueris, nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis*. Ergo non ſolum Nepotes, qui iam viuebant, ſed alios poſtmodum futuros in poſſeſſione terræ illius exæquauit: quod maxime ponderandum eſt, & myſterium continet inſtituto noſtro aptiſſimum: etenim bona illa benedictioni Iacob colligata quodammodo erant: vnde ſingulis filijs ſuis peculiares benedictiones impertiuit. (Gen. 49.) *Benedixitque ſingulis benedictionibus proprijs*. Obtineant hereditatem illi qui viuunt: at qui lucem hanc hactenus non aſpexerunt, cur iam heredes inſtituuntur? Verum reſpondet D. Hieronymus. Iacob nullam partem futuris nepotibus aſſignaſſe, ſed partem habere in aliorum hereditate præcepit. (S. Hier. in quæſt. Hebr.) *Non accipiant*, inquit, *terram ſeparatim, nec funiculos proprios, ſed in tribus Ephraim, & Manaſſe, quaſi appendices miſcebuntur*. At quæ ratio impulit Iacob, vt nepotes æqualem cum filijs partem obtinerent, & alij, qui poſtea naſcerentur, bona poſſiderent, quæ filiorum erant, & proinde ad Nepotes nullatenus pertinebant? Si nihil in particulari ad eos pertinebat, cur præcipit, vt generatim ad omnium hereditates admittantur? Porrò ex ipſo ſucceſſionis nomine dubitationis ſolutio eruitur: ergo Terra illa promiſſionis propter ſuam abundantiam omnibus ſufficiens erat. Et ideo potuit Iacob quibuſdam partes ſuas ſpeciatim poſſidendas tradere, & pro alijs ita diſponere, vt generatim eadem bona hereditent, quæ ab alijs poſſidebantur: quia terræ illius vbertati non obſtabat, quominus ita obueniret hereditas. Hinc noſtri inſtituti imago. Nam terra illa cum fructibus ſuffragia repræſentabat, & Iacob Chriſti figuram gerebat.

bat. At vero Christus in Eucharistia, & Missæ sacrificio bonorum omnium memoriale quoddam constituisse videtur, iuxta illud apud Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* vbi addit Lyranus. *Existendo in hoc Sacramento Eucharistiæ, vbi est totus Christus.* Dum autem, ait, vt filij, hoc est animæ ius in hæc bona habeant, dum pro illis modo offeruntur speciali, nihilominus sicut Iacob nepotibus, & alijs postmodum nasciturus indulsit, vt in eadem terra possessionis partem obtinerent; sic etiam Christus, non solum animabus iustorum apud nos viuentium prodesse voluit Missæ suffragium, sed etiam animabus Purgatorij, quæ modo generalissimo, propter infinitum illius sacrificij valorem, fructus eius percipere valeant: ita quod illi, pro quibus offertur, quasi iure suo sacrificij fructu gaudent: alij quibus non speciatim applicatur, modo generalissimo, propter vnionem charitatis, infinitum sacrificij valorem, & diuinæ misericordiæ dispositionem, fructus participes efficiuntur. *Non accipiant terram separatim, nec funiculos proprios, sed in tribus Ephraim, & Manasse quasi appendices miscebuntur.*

Matth. 28.

Lyr. ibi.

Sacrificium Missæ omnibus vnitis charitate prodest.



CAPVT X.

Quod grauiter errant qui culpis præpediti suffragia pro animabus offerre desistunt: quia licet ob valoris defectum non satisfaciant; effectum impetrationis tamen obtinent.



DIVI Bernardini Senensis sententia est suffragium pro anima Purgatorij à peccatore oblatum, illi prodesse. *Licet enim*, inquit, *homo peccator sit, & faciat aliquod bonum pro animabus Purgatorij; tamen illud bonum potest valere ipsis animabus.* Hæc ille. Quod si obieceris opera à peccatore facta mortua esse, & proinde ei minime proficua, igitur neque animabus prodesse poterunt: quoniam si operanti nõ prosunt, quomodo illis, pro quibus offertur, fructuosa existent. Respondebit hoc idẽ sibi obijciens. *Bona quæ peccator facit in peccato mortali, non valent sibi: sed quomodo valebunt animabus in Purgatorio existentibus, quia videtur quod non potest plus conferre alijs quam in se habeat?* Nihilominus adiungit. *Quarta veritas est ista, quod dato quod non valeret illud bonum pro parte illius, qui illud facit, poterit valere respectu sanctæ Ecclesiæ, sicut si hæreticus dicit missam. Nam illa missa non prodest illi hæretico, immo tendit ad eius damnationem: tamen, si dicit secundum ordinem Ecclesiæ; illa missa parit meritum Ecclesiæ, & meritum Christi, & applicatur bonis.* Hæc ille, ex quibus deduces neminem, etsi in peccato existat, debere à suffragijs pro animabus Purgatorij offerendis cessare, quia licet operanti non prosint, *Illud bonum potest valere ipsis animabus.*

D.Bern Sen serm. 15. de Purgat. ar. 4.

S. Bern. Sen. vbi supra.

S. Bern. vbi supra.

Missa ab hæretico dicta ratione operis operati Ecclesię prodest.

Alia ratione res eadem confirmari potest. Nam, vt sentit Scotus, quilibet homo, etsi in peccato sit, bonis tamen operibus satisfacere poterit: licet enim hæc mortua sint, & proinde merito ad vitam æternam careant; nihilominus quo ad temporales pœnas, quas debet, pro se valebit satisfacere. Vnde sequitur, quod etiam pro pœnis Purgatorij satisfacient, quoniam hæ temporales sunt; atque adeò non proinde quod aliquis in peccato existat pro animabus purgatorij suffragia offerre desinat, quia ipsis verè prosunt. Iterum S.Bernardinus. *Talis hominis suffragia, & cætera eius bona, nec sunt vtilia ad gloriam sempiternam, eo quod mortua sunt: tamen defunctis dupliciter prodesse possunt, secundum Franciscum de Mayronis. Primò, quia opera mortua secundum omnes proficiunt ad temporalia bona; sed talia bona sunt, quæ acquiruntur per talia suffragia supradicta, cum Purgatorij pœna temporalis sit. Secundò, quia opera mortua satisfactoria sunt, cum homo existens in mortali culpa possit satisfacere pro se ipso, licet non sint meritoria*

Scot. in 4. dist. 15. q. 1.

S.Bern. serm. 65. ar. 3. c. 3. tom. 2.

Franc. de Maior. ibi.

Mortua opera val. alteri esse possunt vtilia, & vtilia.

ad

Scotus in 4. dist. 15. q. 1. *ad æternam vitam, sicut dicit Scotus in 4. dist. 15. q. 1.* Hactenus ille. Dum autem I gis, peccatorem mortuis operibus posse satisfacere, si ea pro animabus Purgatorij offerat, non de omnibus operibus absolutè intelligendum hoc esse arbitreris: Sed distinctione vtendum est. *Si enim aliquis malus orat, ieiunat, vel aliter se affligit pro aliquo alio; tunc non credo quod valeant pro defunctis.* Non tamen proinde erunt dimittenda, quia alio modo prodesse poterunt. *Quamuis sis in peccato,* ait S. Bernardinus, *non cesses orare pro defunctis, & facere eleemosynas, & alia bona pro eorum animabus: quia etiam orabunt pro te, quod Deus det tibi gratiam pœnitendi, & conterendi de tuis peccatis.*

S. Bonau. in 4. dist. 45.

D. Bern. serm. 15. de Purg.

S. Bern. ser. 15. de pur. tom. 4.

Nec in peccatis cessandum est à bono opere

Sed iam ex sacris litteris propositæ doctrinæ fulcimentum adhibeamus. Et primò sese offert Ionas in mari naufragus, & à ceto deuoratus. Cum enim à nautis in mare proijceretur in ventre piscis reclusus, preces ad Deum fudit. *Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, & dixit. Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me.* Miratur hoc loco Theophilactus, quomodo, qui tam grauiter Deum offenderat, ausus fuerit ipsum orare, prudenter tamen hoc fecit. *Non ignorans autem, quod offenderit Deum, per hoc quod ministerio legationis iungi noluerit, conuertitur ad precationem.* Quo pudore, qua fronte? Dei misericordiæ fisus, qui orantem audiuit, & misericorditer liberauit. *Quique olim in sola Hierusalem Deum apertè apparere arbitrabatur, nunc ipsum in aluo ceti præsentem reperit, gratiasque agit illi, quod se iuuauerit.* Ergo, dicas, peccatorem Deus exaudiuit, & propter orationem liberauit, ac si peccator non esset. Audiuit quidem, sed eius petitioni minimè respondit; ceto tamen imperauit, vt in litus euomeret. *Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* Cæterum cur oranti non loquitur? Ratio est, quia propter inobedientiam à Dei gratia exciderat, & diuino colloquio indignus erat. Quia tamen pro anima sua in afflictione constituta orabat, & figuram animæ Purgatorij sustinebat:

Ione 2.

Theophilact. in hunc loc.

Præsens est Deus etsi nõ appareat, vel cernatur.

Inobedientia indignũ facit diuino colloquio.

aliter profecit oratio: quia licet peccator sit ille, qui orat, & oratio propter valoris defectum ad suffragium, & satisfactionem non deseruit; nihilominus ad impetrationem conducit, vt nunquam desit, qui pro animabus otet; non aliter quam peccatori proficua est, vt bonam fortunam, & ex resultantia gratiam habeat, sicut idem S. Bernardinus affirmat. *Ego dixi quod confert peccatori bonum quod facit, in habendo bonum fortunam in hoc mundo, et valet sibi (de ribalzo) ad consequendum propter illud gratiam Dei, & contritionem peccatorum suorum; & sic huiusmodi valet existenti in Purgatorio: quia existens in Purgatorio habet pœnas temporales, ideo illud bonum potest valere ad abbreuiandum illam pœnam, quæ est temporalis, quia valet peccatori (de ribalzo) ad gratiam consequendam, & ad fortunas, & honores quantum ad bona temporalia in hoc mundo.* Hactenus ille, vnde iam liquet, quid in præsenti statuendum sit: quoniam si peccatoris oratio non satisfacit, quia tamen habet impetrationis effectum; quando Ionas pro anima afflicta deprecatur, non ei respondet Dominus, quia eius oratio valore destituitur: impetrando tamen proficit, vt bonam habeat fortunam, dum à ceto deuoratus iterum in litus euomitur, & pœna quam in alueo piscis detentus patiebatur finem habeat: & ideo, *Non ignorans quod offenderit Deum, conuertitur ad deprecationem.* Fideles hac ratione docens, ne quia in peccato sunt ab oratione desistant, quia eiusmodi oratio, licet satisfaciendi pretio careat, impetrationis effectu non fraudatur. *Et sic huiusmodi valet existenti in Purgatorio.*

Opera in peccato facta prosunt, & remunerationem obtinent.

S. Bern. Ser. 15. de pur. t. 4.

Impetrat oratio etsi nõ satisfaciat.

Confirmari potest ex Ioanne cap. 5. vbi refert Paralyticum triginta, & octa annis lecto affixum, Christi beneficio sanitatem recepisse. Cum enim Christus Piscinam ingrederetur, & miserum hominem ibi inspexisset, interrogauit eum an vellet sanitatem recipere. *Vis sanus fieri?* Cui Paralyticus, hoc mihi in votis est, respondit. At hominem non habeo, qui me in Piscinam mittat cum mota fuerit aqua. Sed hic miraberis Christi interrogationem

Ioann. 5.

quid

quid apertius sanitatis desiderio, quo paralyticus tenebatur; siquidem sanitatem expectando randiu in piscina morabatur: vt quid ergo an sanari velit interrogat, rem adeò notam, & sibi manifestam? Respondet Caietanus. *Non petit, vt cognoscat voluntatem infirmi, quæ cuilibet erat per se nota, sed vt excitet eum ad aliqualiter petendum opem ab ipso; vt vel sic disponatur ad perceptionem beneficij*. Iacet in lecto paralyticus ad postulandam opem mutus, & quasi Christi salus eius interesset ipsum ad petendum sanitatis beneficium solicitat. Et vero illa Christi interrogatio quædam redargutio fuit, quasi diceret. O te miserum, qui cum infirmitate premeris præsente medico siles, nec auxilium imploras! aperi ostium, postula sanitatem, & absque mora recipies. Conticescit adhuc infirmus, & nihil postulat. Fortè hæc petendæ sanitatis incuria culpabilis est? Dixerim non esse culpabilem, quia ille in peccati pœnam ægritudine percutiebatur, vt illa Christi admonitio indicat. *Ecce sanus factus es, iam noli ampliùs peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Certè D. Chrysostomus, infirmitatem peccatis attribuit, vbi, inquit, prius discimus quod ex peccatis, ei nata est hæc ægritudo. Igitur iste in peccato erat. Ergo pro se deprecari minime debuerat, certus quod oratio valore destitueretur. Cur vero Christus petendi negligentiam arguit, & ad petendum excitat, cum peccato impeditus petere non debuisset? Respondeo. Paralyticus pœnam sustinebat temporariam, etsi diuturnam, & pœnas Purgatorij significabat: dum autem peteret, quid aliud agebat quam postulare, vt pœna temporalis finem haberet? Quamquam vero peccatoris suffragium propter valoris defectum ad satisfactionem non prosit; nihilominus impetrationis effectu non fraudatur, sed bona temporalia in hoc mundo consequitur. Hinc est, vt à Christo redarguatur, quod sanitatem non postulet. Vbi docemur, quod licet in peccato simus, orationem non dimittamus, sed animas purgatorij suffragijs adiuuemus. Quamuis enim deficiente valore non satisfaciant, impetrabunt, vt pœna illa temporalis, quam sustinent, finem habeat. Iure ergo paralyticum silentem reprehendit, & ad petendum solicitat. *Non petit, vt cognoscat voluntatem infirmi, quæ cuilibet erat per se nota, sed vt excitet eum ad aliqualiter petendum opem ab ipso; vt vel sic disponatur ad perceptionem beneficij*. Viderimus hoc loco ne eiusdem criminis rei simus, si propter peccati conscientiam ab oratione desistamus. Error est reprehensione dignum tale silentium: clamandum namque est, & diuinum auxilium implorandum: quia etsi oratio non satisfaciat; impetrationis tamen effectum haber, & animabus Purgatorij, modo iam explicato, proficua est, & ad pœnæ exitum festinandum aptissima.

Ex hac doctrina illorum negligentia redarguitur, qui in offerendis suffragijs pro animabus Purgatorij desides sunt, & obliuiosi, cum nihil sit, quod nos ab orando retrahere debeat: siquidem orationes illorum, qui in peccato sunt, esto ad satisfactionem, non audiantur, ad impetrandum tamen vtiles sunt. Et quid mirum, si fidelium orationes hac ratione sint fructuosæ, cum etiam infidelium auditionis meritum habuerint, vt cernere est. Actorum 10. vbi de Cornelio gentili agitur, ad quem Angelus e cælo missus fuit, vt talia nuntiaret: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*. Et deinde ad Petrum Apostolorum Principem eodem Angelo monente remittitur; vt fidei instructionem ab eo acciperet. *Hic dicet tibi quid te oporteat facere*. Cæterum inquirendum est cum D. Gregorio. Quid orabat iste, si non credebat, & si infidelis, quomodo exauditus fuit? *Si enim*, inquit, *vere, & ante Baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat*. Quo aspectu gessit ista Deus, & noluit, vt Angelus Cornelium instrueret, sed ad Petrum remisit. Dicam. Cornelij oratio propter infidelitatem valore destituta ad satisfactionem non proderat; & ideo ab Angelo non instruitur, vt aurem daretur intelligi orationem, quæ deficiente valo-

Caiet. ibid.

Præuenit Deus, vt ad orandum excitet, & ad recipiendū disponat.

Ioann. 5.

S. Io. Chrys. hom. 37.

Propter peccatū non est oratio dimittenda.

Crimē est dimittere orationem ob peccati conscientiam.

Act. 10.

S. Greg. hom. 10. sup. Luc.

Faciliter impetrat qui à Deo perfici postulat.

re non satisfacit, impetrationis effectum habere: quamuis oratio Cornelij, deficiente fide, carebat valore, saltem impetrauit, vt Deus ad Petrum remitteret, à quo fide christiana imbutus Baptismum suscepit. Sed iam ad rem nostram. Si Gentilis hominis oratio fide destituti valorem non habet; & tamen impetrationis effectu non frau datur, cur de Christiano id inficiabimur: præsertim, si animabus Purgatorij compatiens, pro illis Deum oret? Nemo igitur quamuis gratia Dei careat, pro animabus preces ad Deum fundere desistat, sed frequenter oret, certus, quod licet oratio satisfactionis effectu careat, impetrationis beneficium consequetur. *Nam ei*, hoc est Cornelio, inquit Gregorius, *per Angelum dicitur: orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei.*

Cæterum, quia animus mihi est fidelium affectus excitare, vt animabus purgatorij benefaciant, & oblatis suffragijs illas à tormentorum acerbitate eripiant; ausim dicere, non solos qui Deo sunt grati hoc facturos, sed etiam qui in peccato sunt, quoniam adeo gratum Deo est pro defunctis orare, vt quasi ad orantium peccata conniueat, & veluti non videndo dissimulet: vt sic orationes peccatorum, saltem impetratiue animabus in Purgatorio existentibus proficiant. Supra fidem hæc videntur: cæterum ex sacris litteris probari non mediocriter possunt.

Peccatores etiam oratione proficiunt in purgatorio existentibus.

Sceptrum Israeliticum tenebat Ioachaz profligatis moribus homo, cuius nequitia omnes alios superabat. *Fecit malum coram Domino*. Et quod malum fecit, seu quid non sceleris commisit? Audiendus est Abulensis. *Scilicet fuit idololatra, istud enim erat malum, quod faciebant Reges Israel, nam alia, mala in comparatione huius non vocabantur*. Non distulit Deus scelerati supplicium, concitauit enim contra ipsum Hazaelem Siriæ Regem, & eius filium Benadab, qui bellum atrocissimum aduersus Ioachaz administrantes in extremas angustias redegerunt: quibus compulsus ad orandum Deum se contulit, & ab eo auditus pacem cum hostibus inijt, & Regni calamitatem auertit. *Depreca*

4. Reg. 13.

Abulen. ibi.

tus est autem Ioachaz faciem Domini, & audiuit eum Dominus. Quod Hugoni Cardinali tantundem est, ac si diceret. *Misertus est eius, deditque ei pacem in diebus suis*. Cohæret Abulensis, cuius hæc sunt. *Audiuit eum Dominus condescendendo precibus eius, & liberando de manu Cyrorum*. At dices: quis Deum impulit, vt Ioachaz postulatis annueret? Nam propter orationem hoc non fecisse certum est, siquidem peccatoris oratio mortua erat merito, & valore destituta. Quare ergo audiuit? Abulensis hanc Dei exauditionem ad populi miserationem retulit: atque adeo, non propter Ioachaz, sed propter populum, belli calamitatem pace reddita auertisse testatur. *Non exaudiuit Dominus principaliter preces Ioachaz propter merita, vel deuotionem eius: sed potius propter afflictionem Israel.* Vrget tamen difficultas, si enim propter scelera Ioachaz audiri non merebatur: cur non solum audiuit, sed insuper liberauit? Quod si propter populi afflictionem hoc facit: cur Regis orationem expectauit, quasi propter illam populo misertus fuerit? Quod Diuinæ æquitati contrarium videtur, vt fœtidæ peccatoris preces ad ipsius conspectum ascendant, & exauditionis meritum reportent; cum tamen omni merito, valoreque sint destitutæ. Nodũ hunc soluit suprapofita Abulensis responsio. Orauit quidem Ioachaz, peruenit ad Dei conspectum Regis oratio, non tamen audiri merebatur. Cæterum videns, quod oratio illa pro populo in afflictione constituto offerebatur, ad orantis insufficientiam non attendit; nec eius peccata respicit: sed quasi ea non videat populo compatitur, & Orationi defert, ac si valore, meritoque minimè careret. *Non exaudiuit Dominus principaliter preces Ioachaz propter merita, vel deuotionem eius; sed potius propter afflictionem Israel.* Sed iam inquiro. Plebs Israelitica in afflictione constituta nonne Purgatorij animas in pœnis detentas significabat? Ita quidem. Ergo, si illi, qui tormentis cruciantur, & pœnas sustinent Deum ad misericordiam, & compassionem impellunt; quasnam mihi pœ-

Hugo Card. ibid.

Abulens. ibi

Compatitur affectis Deus, & ob ipsos exaudit peccatores.

Abulens. ibi.

Oratio insufficiens, compassionis occursu diuinæ, ad impetrandum fit sufficiens.

Abulens. ibi.

Pp nas,



INDEX
CAPITVM OMNIVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.



INDEX CAPITVM.

INDEX CAPITVM.

LIBER SEXTVS.

CAPVT I.



IN-

Cum-



INDEX
AVCTORITATVM, QVAE IN HOC OPERE HABENTVR

ſecundum ordinem librorum veteris, & noui teſtamenti.

Erudite Lector, hoc te monitum velim, quò conſulerem breuitati, truncatas aliquando inſeruiſſe ſententias, quas integras in loco deſignato inuenies, ſi primum numerum Libro, ſeçundum Capiti, tertium Paginæ, litteram a, columnæ primæ, b, ſecundæ attribuas: niſi fortè eadem ſententia eodem libro, vel capite repetatur, quia tunc index libri, vel capitis numerus ſupprimitur, appoſita ſolum nota paginæ.

de

EX EXODO.

EX LEVITICO.

titudini, & ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum. Ruentes in facies suas. 5.13.249.a

13 *Vestis lanea, siue linea, quæ lepram habuerit, &c. idcirco igne comburetur.* 5.3.206.b

14 *Purificatusque ingredietur castra.* 6.2.264.b

24 *Præcipe filijs Israel, ut offerant tibi oleum de oliuis purissimis.* 4.4.163.b

25 *Terra quoque non uendetur in perpetuum, quia mea est, & uos aduenæ, & coloni. Sub redemptionis conditione uendetur.* 6.4.271.a

EX LIB. NVMERORVM.

C. 4. *SEd altare mundabunt cinere.* 3.9.147.a

9 *Homo qui fuerit immundus super anima, siue in uia. procul à gente uestra. Comedent illud.* 4.8.182.a

11 *Non possum solus sustinere hunc populum, quia grauis est mihi: sin aliter tibi uidetur: obsecro, ut interficias me,* 2.2.59.a

Congrega mihi septuaginta uiros de senioribus Israel, quos tu nosti quòd seniores sint populi. 6.6 679 b

16 *Dirupta est terra sub pedibus eorum. Descenderuntque in infernum uiui operti humo.* 6.1.262.a.b

At uero omnis Israel, qui stabat per girum, fugit ad clamorem pereuntium. 5.2.202.a

Sed & ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta uiros qui offerebant incensum. 5.2.201.b

Locutus est Dominus *ad Moysem dicẽs: præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti. Quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum.* 5.2.202.b

20 *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram quam dedi eis,* 2.10.102.a. 6.1.260.a

21 *Quamobrem misit dominus ignitos serpentes in populum suum.* 6.1.258.a

Orauitque Moyses pro populo, & locutus est dominus: fac serpentem æneum. 6.1.258.b

22 *Fasciculum hysopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem.* 4.8.183.a

31 *Hoc est præceptum legis quod mandauit Dominus Moysi, aurum, & argentum, & æs, ferrum, & plumbum, & stamnum.* 5.10.237.a

Omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur. 5.1.194.b. 5.13.251.a

Quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctifibitur. Purificati postea intrabitis castra. 5.13.251.b

EX DEVTERONOMIO.

C. 4 *DOminus Deus tuus ignis consumens est.* 1.2.7.a. & 5.13.253.b

11 *Omnis locus quem calcauerit pes uester, uester erit.* 1.1.1.b

21 *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* 3.5.128.b

30 *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo uitam, & bonum, & econtrario mortem, & malum. Elige ergo uitam.* 2.9.99.a.b

34 *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente* Domino. 1.8.33.a. 4.2.156.a. 6.3.267.b

Et sepeliuit eũ Dominus *in ualle terræ Moab contra Phogor.* 4.2.156.a 6.3.267.b

Non cognouit homo sepulchrum eius usque in præsentem diem. 3.2.119.b. 6.3.267.b

EX LIB. IOSVE.

C. 1. *OMnem terram, quam calcauerit uestigium pedis vestri, vobis tradam.* 1.1.1.b

10 *Irruit itaque Iosue super eos repente.* 1.7.27.b

Tunc locutus est Iosue Domino in die, qua tradidit Amorræum in conspectu filiorum Israel. Dixitque *coram eis: Sol sta contra Gabaon. Steteruntque Sol, & Luna; donec ulciscerentur se gens de inimicis suis.* ibid.

19 *Cumque complesset sorte di uidere*

Ia-

Iabes Galaad sepelliissent Saul. 2. 6. 81. a. b
5 *Vnxerunt* David *in Regem super Israel.* 3. 5. 126. a
7 *Vade loquere ad seruum meum Dauid.* 6. 5. 274. b
Misit ergo Dominus Natan ad Dauid. *ibi.*
14 *Lugere te simula, et induere ueste lugubri, et ne ungaris oleo: ut sis quasi mulier tam plurimo tempore lugens mortuum.* 6. 1. 261. a
15 *David ascendebat cliuum oliuarum, scandens, et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite.* 6. 1. 259. a
Absalon ingressus est Ierusalem. 6. 2. 259. a
18 *Et precepit Rex Ioab, et Abisai, et Ethai, dicens: seruate mihi puerum Absalon.* 5. 4. 213. a
Cumque ingressus fuisset mulus, subter condensam quercum, et magnam adhæsit caput eius quercui, et illo suspenso inter cœlum, et inter terram, mulus cui insederat pertransijt. 1. 6. 25. a. 2. 11. 112 a
Tulit ergo tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalon. 5. 8. 226 b
24 *Immisit Dominus pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum.* 6. 1. 259 a. *Aedificabit ibi,* David *altare Domino, & obtulit holocausta, &c.* 6. 1. 259. a

EX LIB. III. REGVM.

C. 3. ECce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens. Dedi tibi diuitias, & gloriam. 1. 8. 35. b. 3. 4. 125. a. 3. 6. 133. b. 3. 7. 136. a
13 *Non comedit leo de cadauere, neque læsit asinum.* 3. 2. 119. a. b
17 *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem. Vt pascant te.* 5. 9. 232. a. b
Corui quoque deferebant panem, & carnes mane, similiter panes, & carnes vesperi, & bibebat de torrente. 4. 9. 185. b
Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hidria, &c. Comedamus, & moriamur. 4. 8. 184. a
Ad quam Elias, noli timere, verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem. ibi.
Quid mihi, & tibi, vir Dei, ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum. 6. 2. 265. a
18 *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* 5. 2. 201. b
19 *Misitque Iezabel ad Eliam nuncium dicens: hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis.* 4. 5. 168. a
Cũque venisset, et sederet subter vnã iuniperum, petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait: sufficit mihi Domine, tolle animam meam. 2. 7. 86. a. 4. 5. 167. b
Proiecit se, & obdormiuit in vmbra Iuniperi. 2. 7. 86. b
Qui cum surrexisset comedit, & bibit & ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Oreb. 4. 9. 186. a. b

EX LIB. IV. REGVM.

C. 2. AScendit Elias per turbinem in cœlum. 1. 8. 33. a
Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei. 2. 3. 63. a
3 *Fecit malum coram Domino.* 6. 10.
4 *Incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri.* 6. 2. 266. a
Et egressus est vnus in agrum, vt colligeret herbas agrestes, inuenitque quasi vitem siluestrem. Nesciebat enim quid esset. 4. 8. 182. a
Infuderunt ergo socijs, vt comederent: cumque gustassent clamauerunt, dicentes. Non potuerunt comedere. 4. 8. 181. b
Mors in olla, mors in olla, vir Dei. 4. 6. 173. b
Afferte inquit farinam: cumque tulissent, misit in ollam, & ait. Infunde turbæ, vt comedant. Et non

fuit

seuerans. 2.7.87.*a*
34 *Vir in multis expertus cogitauit multa*. 4.3. 160.*a*
41 *O mors, quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantijs suis*. 4.5.167.*a*. 6.172.*a* 8.182.*b*
O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti. 4.6.169.*a*

EX ISAIA.

C. 1 *Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt. Cum succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat*. 5.3.209.*a*
Erubescetis super hortos, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus absque aqua. 4.3 160.*b*.
Et erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintillæ. *ibi*.*a*
4 *Si abluerit Dominus sordes filiorum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris*. 5.10.237.*b*
6 *Seraphim stabant super illud*. 3.7. 137.*a*
Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum: Peccatum tuum mundabitur. 5.6.218.*b*. 5.10.236.*a*
8 *Suspiciet sursum, & ad terram intuebitur: & ecce tenebræ, & tribulatio, & dissolutio, & angustia*. 2.11.109.*b*
11 *Erit sepulchrum eius gloriosum*. 3. 6.133.*a*. 7.138.*a*
13 *Ecce dies Domini veniet crudelis*. 5.3 205.*a*
14 *In cœlum conscendam super astra Dei, exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti similis ero altissimo*. 2.1.51.*a*
30 *Insanabilis dolor, plaga crudelis*. 4. 4.166.*a*
33 *Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur*. 5.2.204.*a*
34 *Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, &c. ascendet fumus eius à generatione in generationem*. 4.4.164.*b*
Et conuertentur torrentes eius in picem, &c. Nocte, & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus, etc. 4.4.165.*b*
36 *Ecce confidit super baculum arundineum confractum istum, cui si innixus fuerit homo, intrauit in manum eius, & perforabit eam*. 4.3. 159.*b*
38 *In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & introiuit ad eum Isaias. Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues, &c*. 6.1. 261.*b*.
Dum adhuc ordirer succidit me. 1.5. 20.*b*
40 *Omnis caro fœnum*. 3.6.132.*b*
43 *Cum ambulaueris in igne non comburreris, & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus*. 5.1 195.*a*
60 *Inundatio camelorum operiet te*. 2.8 93.*a*
Erit Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus eius. 4. 4.166.*a*
65 *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, bibent & vos sitietis, lætabuntur, & vos confundemini. Vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulantes*. 4 4. 166.*a*

EX IEREMIA.

C. 1. *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum*. 5.10.236.*a*
Quid tu vides? & dixi. Ollam succensam ego video. 5.6.219.*a*
7 *Et proijciam vos à facie mea, sicut proieci fratres vestros vniuersum semen Ephraim*. 5.7.221.*a*
Tu autem noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & ne obsistas mihi: quia non exaudiam te. 6.1.257.*b*
4 *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, ne forte egrediatur, vt ignis indignatio mea*. 5.3.205.*b*
11 *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis*

EX AMOS.

C. 4. QVia ecce dies veniunt super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus. 5. 6. 219. b

EX IONA.

C. 2. ET orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis: & dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me. 6. 10. 291. a

Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circundedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. 5. 7. 222. a

Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum. 5. 7. 222. b

3 Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam. 4. 2. 158. a

4 Scio enim, quia tu es Deus clemens, misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Et nunc domine: tolle quæso animam meam à me. 2. 7. 85. b

10 Et lætatus est Ionas super hædera lætitia magna. 2. 3. 62. a

Et parauit Dominus vermem in ascensu diluculi, & percussit hæderam & exaruit. ibi.

Melior est mihi vita, quam mors. ibi. b. 2. 7. 85. b

EX MICHAEA.

7. NE læteris inimica mea super me: quia cecidi Consurgam cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est, & iram Domini portabo, quia peccaui ei. 5. 12. 247. b

EX MALACHIA.

C. 2. Sol Iustitiæ. 1. 7. 28. a

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHAEO.

C. 1. LIber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham, 3. 5 127. a

2 Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? 3. 5. 127. b

Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum. 1. 7. 30. a. & 31. 4. Futurũ est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. ibid. b & 31. a

Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, accipe puerum, & matrem eius. 2. 2. 54. a

3 Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. 1. 5. 21. a

Qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere: ipse baptizabit in Spiritu sancto, & igni. 5. 10. 239. a

4 Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. 3. 2. 119. b

5 Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici, & Iudex tradat te ministris. Non exibis inde donec reddas nouissimum quadrantem. 5. 1. 195. a. 5. 6. 219. a 5. 13. 253. b

6 Nolite thesaurizare vobis Thesauros in terra 1. 2. 11. a

Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. ibid.

Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? 2. 8. 94 b

7 Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. 2. 11. 110. a. 114 a

8 Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyses in testimonium illis 6. 2. 264. b

Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepellire mortuos suos. 2. 3. 63. b

Domine salua nos, perimus: & dixit Iesus: Quid timidi estis? 2. 4. 68. a

10 Excutite puluerem de pedibus vestris. 4. 2. 156. b

12 Quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui dixerit contra Spiritum sanctum; non

& in terra. 6. 7. 284. *b*
Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. 6. 9. 290. *a*

EX S. MARCO.

G. 2. *Fili dimittuntur tibi peccata tua*. 6. 6. 279. *a*
5 *Videns autem Iesum à longè, cucurrit, & adorauit eum*. 3. 2. 120. *a*
6 *Excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis*. 4. 2. 156. *b*
Et audiuit Rex Herodes, & dicebat, quia Ioannes Baptista surrexit à mortuis. 4. 1. 154. *a*
Quem ego decollaui Ioannes, hic à mortuis surrexit. ibid.
9 *Et venit vox de nube dicens: Hic est filius meus charissimus*. 1. 8. 32. *a*
Ignis qui non extinguitur. 5. 3. 208. *a*
11 *Non enim erat tempus fructuum*. 2. 11. 108. *b*
12 *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophilacium*. 2. 5. 77. *a*
14 *Sed non quod ego volo, sed quod tu*. 4. 6. 170. *a b*
15 *Rex Iudæorum*. 1. 9. 38. *a*
16 *Coopertum stola candida*. 3. 7. 137. *b*
Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. 4. 7. 177. *b*

EX S. LVCA.

C. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo*. 3. 7. 137. *b*
Ecce concipies in vtero, et paries filiũ, et vocabis nomen eius Iesum. 1. 4. 16. *a*
Hic erit magnus, et filius altissimi vocabitur. ibid. *b*
Benedictus Dominus Deus *Israel: quia visitauit, et fecit redemptionem plebis suæ. Illuminare his, qui in tenebris, etc*. 6. 4. 272. *b*
2 *Pannis eum inuoluit, et reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio*. 3. 6. 132. *b*
4 *Nonne hic est filius Ioseph?* 2. 9. 36. *b*
Repleti sunt omnes in Synagoga ira hæc audientes. Et surrexerunt; et eiecerunt illum extra ciuitatem, et duxerunt illum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum ibid. *a*
Ipse autem transiens per medium illorum ibat. ibid. *a*
6 *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, et flebitis*. 4. 4. 164. *b*
Vę vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. ibid.
Vę vobis, qui saturati estis, quia esurietis. ibid.
7 *Stans retro secus pedes, lachrymis cœpit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius, et vnguento vngebat*. 3. 1. 118. *a*
Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit. Noli flere, & accessit, & tetigit loculum. 1. 11. 43. *b*
Et ait: Adolescens tibi dico, surge, & resedit qui erat mortuus. 4. 6. 174. *a*
Hic si esset Propheta sciret vtique quæ, & qualis est mulier, quæ eum tangit. 2. 10. 105. *b*
9 *Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*. 1. 8. 32. *a* 3. 7. 140. *a. b*
Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant somno. 3. 6. 129. *b*
Hæc autem illo loquente facta est nubes, & obumbrauit eos, et timuerunt valde, intrantibus illis in nubem. 2. 10. 101. *a*
Loquebatur nesciens quid diceret. ibid. *b*
10 *Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: curam illius habe, et quodcumque supere rogaueris, ego cum venero, reddam tibi*. 6. 2. 263. *a*
12 *Cogitabat intra se dicens. Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* 1. 1. 5. *b*
Dicam animę meę: Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, & epulare; 1. 1. 5. *b*. 1. 6. 26. *b*. 1. 8. 34. *a*
Dixit autem illi Deus, stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. 1. 1. 6. *a*
Quę autem parasti, cuius erunt? ibid.
13 *Arborem fici plantatam habebat quidam in vinea sua, et venit quærens*

EX S. IOANNE.

EX ACT BVS APOSTOLORVM.

Cha-

4 *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 6. 10. 293. *b.*

EX EPIST. B. IVDÆ.

CVm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de corpore Moysis, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit. Imperet tibi Dominus. 2. 1. 50. *a. b.* 3. 2. 119. *a. b*

EX APOCALYPSI.

C. I. *ECce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus.* 1. 2. 8. *a*

4 *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, & requiem non habebunt die, ac nocte.* 4. 4. 165. *b*

Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. 5. 6. 216. *b*

18 *Quantum se glorificauit, & in delicijs fuit; tantum date ei luctum, & tormentum.* 2. 7. 84. *a.* 4. 4. 164. *b.* 5. 6. 217. *a*

19 *Et in capite eius diademata multa.* 6. 7. 282. *b*

Et habet in vestimento, & in fœmore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. 3. 5. 129. *a*

21 *Sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem Hierusalem.* 2. 8. 92. *b*

Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, 5. 1. 198. *a.* 13. 248. *b*

22 *Ecce venio citò reddere vnicuique secundum opera sua.* 4. 4. 162. *b*

Finis Indicis Sacræ Scripturæ.



feuerans. 2.7.87.*a*
34 *Vir in multis expertus cogitauit multa*. 4.3.160.*a*
41 *O mors, quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantijs suis*. 4.5.167.*a*. 6.172.*a* 8.182.*b*
O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti. 4.6.169.*a*

EX ISAIA.

C. 1. *Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt. Cum succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat*. 5.3.209.*a*
Erubescetis super hortos, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus absque aqua. 4.3 160.*b*.
Et erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintillæ. ibi. *a*
4 *Si abluerit Dominus sordes filiorum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris*. 5.10.237.*b*
6 *Seraphim stabant super illud*. 3.7. 137.*a*
Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum: Peccatum tuum mundabitur. 5.6.218.*b*. 5.10.236.*a*
8 *Suspiciet sursum, & ad terram intuebitur: & ecce tenebræ, & tribulatio, & dissolutio, & angustia*. 2.11.109.*b*
11 *Erit sepulchrum eius gloriosum*. 3. 6.133.*a*. 7.138.*a*
13 *Ecce dies Domini veniet crudelis*. 5.3 205.*a*
14 *In cœlum conscendam super astra Dei, exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti similis ero altissimo*. 2.1.51.*a*
30 *Insanabilis dolor, plaga crudelis*. 4. 4.166.*a*
33 *Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur*. 5.2.204. *a*
34 *Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, &c. ascendet fumus eius à generatione in generationem*. 4.4.164.*b*
Et conuertentur torrentes eius in picem, &c. Nocte, & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus, etc. 4.4.165.*b*
36 *Ecce confidit super baculum arundineum confractum istum, cui si innixus fuerit homo, intrauit in manum eius, & perforabit eam*. 4.3. 159.*b*
38 *In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & introiuit ad eum Isaias. Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues, &c*. 6.1. 261.*b*.
Dum adhuc ordirer succidit me. 1.5. 20.*b*
40 *Omnis caro fœnum*. 3.6.132.*b*
43 *Cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus*. 5.1 195.*a*
60 *Inundatio camelorum operiet te*. 2.8 93.*a*
Erit Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus eius. 4. 4.166.*a*
65 *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, bibent & vos sitietis, lætabuntur, & vos confundemini. Vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulantes*. 4 4. 166.*a*

EX IEREMIA.

C. 1. *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum*. 5.10.236.*a*
Quid tu vides? & dixi. Ollam succensam ego video. 5.6.219.*a*
7 *Et proijciam vos à facie mea, sicut proieci fratres vestros vniuersum semen Ephraim*. 5.7.221.*a*
Tu autem noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & ne obsistas mihi: quia non exaudiam te. 6.1.257.*b*
4 *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, ne forte egrediatur, vt ignis indignatio mea*. 5.3.205.*b*
11 *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandi*

EX AMOS.

EX IONA.

EX MICHAEA.

EX MALACHIA.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHAEO.

&

EX ACT BVS APOSTOLORVM.

4 *Charitas operit multitudinem peccatorum*. 6. 10. 293. *b*.

EX EPIST. B. IVDÆ.

CVm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de corpore Moysis, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit. Imperet tibi Dominus. 2. 1. 50. *a*. *b*. 3. 2. 119. *a*. *b*

EX APOCALYPSI.

C. 1. *ECce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus*. 1. 2. 8. *a*

4 *Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum, & requiem non habebunt die, ac nocte*. 4. 4. 165. *b*

Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. 5. 6. 216. *b*

18 *Quantum se glorificauit, & in delicijs fuit; tantum date ei luctum, & tormentum*. 2. 7. 84. *a*. 4. 4. 164. *b*. 5. 6. 217. *a*

19 *Et in capite eius diademata multa*. 6. 7. 282. *b*

Et habet in vestimento, & in fœmore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. 3. 5. 129. *a*

21 *Sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem Hierusalem*. 2. 8. 92. *b*

Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, 5. 1. 198. *a*. 13. 248. *b*

22 *Ecce venio citò reddere vnicuique secundum opera sua*. 4. 4. 162. *b*

Finis Indicis Sacræ Scripturæ.





INDEX RERVM QVAE IN HOC SPECVLO SPIRITVALI CONTINENTVR.

Hoc te monitum velim, Erudite Lector, hunc rerum indicem obseruatione indigere Indici Scripturæ Sacræ appositi: idipsum obserua, si occurrat, post librorum, capitum, paginarum, & columnarum signa: & scito, de illa re agi, vel per totum caput, vel sequenti pagina: post vero remissiones, tuæ solertiæ relinquitur.



B

Ra-

Eu-

Il-

Lux

P

T

V

Laus, Deo, beatæque Virgini Matri Mariæ; & Omnibus Sanctis.




REGESTVM.

a. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

A a B b C c D d E e Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu.

Omnes ſunt Duerniones, præter, N, qui eſt folium ſimplex, & V u, Ternio.



R O M AE,

Ex Typographia Franciſci Caballi. 1642.

SVPERIORVM PERMISSV.

